


DECRETA,

&c.

DECRETA

QUATUOR

CONCILIORUM PROVINCIALIUM

WESTMONASTERIENSIUM,

1852-1873.

ADJECTIS PLURIBUS DECRETIS, RESCRIPTIS,

ALIISQUE DOCUMENTIS.

EDITIO SECUNDA.

LONDINI:
BURNS ET OATES.

SALFORDII:

EX TYPIS JOANNIS ROBERTS ET FILIORUM.

CONSPECTUS

RERUM QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

CONC. I.

CONC. III.

CONC. IV.

APPROBATIO.

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE.

Vix datum fuit Angliae antistitibus ea rite disponere quae pro regimine Ecclesiarum nuper institutarum illico erant praestanda, Eminentissimus ac Reverendissimus D. Nicolaus tituli S. Pudentianae S. R. E. cardinalis Wiseman, archiepiscopus Westmonasteriensis, S. Concilii Tridentini praescriptionibus inhaerens, de provinciali Synodo cogenda curam suscepit. Habita eadem est apud Collegium S. Mariae de Oscott, tribusque sessionibus absoluta; diebus nimirum septima, decima tertia, ac decima septima Julii anni 1852: actis deinde, decretis, aliisque synodalibus placitis, ad S. C. pro revisione ac recognitione transmissis. Porro accurato adhibito examine in generali S. Congregationis conventu habito die 8 Martii 1853, relatio proposita est per Eminentissimum ac Reverendissimum dominum Ludovicum S. R. E. Card. Altierium, omnibusque rite perpensis, Eminentissimi ac Reverendissimi PP. gesta quidem plurimum commendanda duxerunt, praesertim ob singulare studium quo uno veluti eodemque spiritu de religionis bono atque animarum salute promovenda episcopi, adjuvantibus administris, adlaborarunt. Nonnullis vero juxta peculiarem instructionem modificationibus peractis, Decreta, Statuta etiam pro capitulis canonicorum ac methodum circa rectores missionarios, habita praesertim ratione quod canonici juris observantia haud in omnibus induci adhuc valeat, probanda censuerunt.

Sententiam vero S. Congregationis Sanctissimo domino Nostro Pio PP. IX., ab infrascripto secretario in audientia diei 13 Martii relatam, Sanctitas Sua benigne in omnibus probavit, contrariis quibuscunque haud obstantibus.

Dat. Romae ex Aed. S. C. de P. F., die 14 Maii, 1853.

J.-Ph. Card. Fransoni, *Praef.*

L. ✠ S. Al. Barnabo, *a secretis.*

CONCILII DECRETA.

DECRETUM I.

De aperienda Synodo.

In nomine Sacrosanctae et individuae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Nos Nicolaus miseratione divina S. R. E. titulo S. Pudentianae presbyter cardinalis Wiseman archiepiscopus Westmonasteriensis, ad laudem et gloriam Dei omnipotentis, et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad honorem beatissimae et immaculatae Virginis Dei Genitricis Mariae beatorum apostolorum Petri et Pauli, sanctorum martyrum Thomae et Georgii, et omnium sanctorum, ad aedificationem Ecclesiae Dei, ad corrigendos abusus, pietatem fovendam et zelum animarum augendum, tam in clero quam in populo;

Statuimus et decernimus, de consilio et consensu illustrissimorum ac reverendissimorum DD. episcoporum Angliae, hoc ipso die qui est sextus mensis Julii hujus anni MDCCCLII, Deo adjuvante, initium fieri, et jam factum esse hujus Synodi provincialis Angliae, apud collegium S. Mariae de Oscott, quam ad hunc diem et locum convocavimus et indiximus, per litteras nostras datas die secundo mensis Februarii proxime elapsi. Faxit Deus, ut quidquid a nobis in hoc Concilio coeptum absolutumque fuerit, ad ipsius honorem, ad Ecclesiae commodum, et ad animarum salutem recte fiat, et maxime proficiat

DECRETUM II. *De Methodo Vitae in Synodo servanda* (1).

DECRETUM III. *De non Praejudicando.*

DECRETUM IV. *De Officialibus Synodi.*

DEC. V. *De Judicibus in Causis Personalibus constituendis.*

DECRETUM VI. *De non Discedendo.*

DECRETUM VII.

De Fide orthodoxa.

1. Cum, docente Apostolo, sine fide impossibile sit placere Deo (*Hebr.* XI, 6), cumque ipsa fides, testante S. Tridentina Synodo, sit "humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis," (sess. VI., c. 8) idcirco ante omnia tenenda ac inviolabilis custodienda est sana et orthodoxa fides, quam tenet, semperque tenuit, S. Ecclesia Catholica. Quidquid igitur in conciliis oecumenicis definitum fuit, praesertim vero omnia et singula quae a Sacrosancta Tridentina Synodo sancita, definita, vel promulgata sunt, summa animi reverentia et amore amplectimur, confitemur, et usque ad extremum spiritum intemerata servare, Dei adjuvante gratia, intendimus. Omniaque prava dogmata, omnesque haereses et errores in dictis conciliis damnatos, nos pariter rejicimus et condemnamus.

2. Sed cum Dominus nos per prophetam adhortetur dicens: *Attendite ad petram unde excisi estis; attendite ad Abraham, patrem vestrum* (*Isa.* LI., 1), aequum est nos, qui immediate ab Apostolica Sede fidem, sacerdotium, veramque religionem accepimus, eidem plus caeteris amoris et observantiae vinculis adstringi. Fundamentum igitur verae et orthodoxae fidei ponimus quod Dominus Noster Jesus Christus ponere voluit, inconcussam scilicet Petri Cathedram, totius orbis magistram et matrem, S. Romanam Ecclesiam. Quidquid ab ipsa semel

(1) Decreta, quorum tituli solum sine textu exarantur, ea ex ratione exscribere abstinuimus, quod apud omnes auctores qui de re synodali tractant, passim inveniuntur.

definitum est, eo ipso ratum et certum tenemus; ipsius traditiones, ritus, pios usus et omnes Apostolicas constitutiones, disciplinam respicientes, toto corde amplectimur et veneramur. Summo denique Pontifici obedientiam et reverentiam, uti Christi vicario, ex animo profitemur, eique arctissime in catholica communione adhaeremus.

3. Cum, igitur, nostris hisce temporibus hisque in regionibus, novam induerit error larvam, et inveniantur non pauci, qui doctrinas Ecclesiae se tenere profiteantur, ritus et praxim imitentur, et proinde sese quamvis a societate sponsae Christi divulsos, catholicos vocitent et simpliciores fallaci spe deludant, se extra Ecclesiam salutem consecuturos; hujusmodi errori, veluti tutissimum Fidei scutum, opponenda est doctrina unitatis Ecclesiae, et inviolabilis communionis necessario habendae cum centro unitatis. Caveant igitur qui cum hujusmodi viris, vel scriptis vel coram tractant, ne illos in suo errore confirment. Sed potius cum Hieronymo semper clamemus: "Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est; si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio." (*Ad Damas.*)

DECRETUM VIII.

De Modis tuendi Fidem.

Oportet eos qui aedificant civitatem Dei, ita semper ad operis sui praesidium esse accinctos, quemadmodum de populo Hebraeorum, jam a captivitate reduce, legimus: *Una manu sua faciebat opus, et altera tenebat gladium, aedificantium enim unusquisque gladio erat accinctus renes.* (*II. Esdr.* IV., 17). Sic in colluctatione quam habemus, non quidem adversus carnem et sanguinem sed adversus spiritus nequitiae (*Eph.* VI., 12), duplex veluti opus nobis incumbit; ut scilicet et nostros per pietatem et virtutem, uti vivos et electos lapides, in aedificationem corporis Christi pacifice instituamus, et interea quidquid nocere possit, impavidi ab eis arceamus. Quod quidem nostri officii munus recentioribus temporibus magis nos urget, cum infestus hostis Jesu Christi ovile circuit, quaerens quem devoret, et nunc quidem oves vi rapere, nunc vero subtili calliditate conatur seducere.

1. Prima igitur nostra solicitudo sit de puerorum educatione procuranda. Sacerdotes Domini imprimis hortamur, ut scholas numero puerorum et puellarum in sua congregatione sufficientes erigant, vel si jam erectae satis amplae non sint, augeant, seu multiplicent. Fideles pariter per viscera misericordiae Jesu Christi precamur et supplicamus, ut in hoc opere sacerdotes adjuvent, cum nullo modo melius sibi, coram Deo, consulere poterunt, quam parvulorum in fide et pietate institutionem promovendo. In hisce scholis doctrina Christiana, seu catechismus approbatus, omnibus catholicis tradatur; neque sacerdos aliis, quamvis alioquin bonis et religiosis, viris, hoc officium ita committat, ut ipse saepius scholas non invisat, et teneris juniorum animis verae fidei et pietatis principia insinuet.

2. Obsistant sacerdotes, omni quo licet modo, inimicorum conatibus, quibus nituntur catholicos seducere, ut liberos ad scholas heterodoxas mittant. Saepe inter praedicandum agant de necessitate fidei, de parentum in filios officiis, deque ratione Deo in districto suo judicio reddenda, si ipsorum culpa perierint. Sed praecipue in sacro tribunali eos ab impio animarum sibi creditarum commercio deterreant, monentes quam acriter Deus per prophetam in Israel minas intentaverit, *eo quod vendiderit pro argento justum, et pauperem pro calceamentis (Amos* II., 6); quanto magis (ipsi recte argumentabuntur) parentibus irascetur, qui pro mercede, vel pro vestibus sibi aut filiis donandis, prolem ad scholas acatholicas, cum periculo saltem labefactandae fidei, non dubitant mittere. Excitent etiam zelum catholicorum, qui eleemosynas copiosius elargiendo, saepe parentes miserabiles ab hoc scelere poterunt cohibere.

3. Praeter traditionem catechismi quae quotidie in scholis fit, quavis die Dominica, publice in ecclesia habeatur catechesis, in qua mysteria fidei, Dei, Ecclesiaeque praecepta, et doctrina Sacramentorum plane et aperte explicentur. Et quidem studeat sacerdos, ut dum ad parvulorum captum se dimittit, verba tamen scientibus non onerosa proferat; imo gravitate eloquii, copiosis et aptis sacrae Scripturae locis, et exemplis sanctorum, concinne ad illustrationem sermonis allatis, etiam adultos ad audiendum et discendum inducat.

4. Cum mirum in modum disseminentur ubique, et ipsis catholicorum domibus introducantur, aut etiam eorum manibus inserantur pessimi libelli, in religionem catholicam invehentes, vel eam calumniis, mendaciis, et conviciis impugnantes, moneantur fideles, ut ab ipsis legendis sese abstineant; imo ut eos a se penitus rejiciant, revocatis in eorum mentes poenis ab Ecclesia indictis, contra legentes hujusmodi libros. Sed quo melius huic occurratur pesti, provideat sacerdos librorum piorum, et aedificationem praebentium copiam, seu ad captum suorum comparatam bibliothecam, ex qua etiam pauperes et rudiores utilem scientiam haurire valeant, libris ad tempus ipsis praestitis. Disseminentur etiam inter illos quantum fieri potest, opuscula pia, quae quotidie a nostris typis mandantur.

5. Quod vero de scholis pauperibus destinatis decrevimus, id etiam ad alias scholas in quibus honestae conditionis pueri educantur, volumus applicari. Moneat scilicet parentes sacerdos, ut liberos ad ejusmodi scholas non mittant, ubi cum religionis dispendio, vel periculo, scientia mere mundana ipsis traditur.

DECRETUM IX.

De Professione Fidei emittenda.

Juxta S. Tridentinae Synodi Decreta et Summorum Pontificum constitutiones (sess xxiv., c. 1, et c. 12, *De reform.* Pius IV. in Bulla: *In sacrosancta*), praecipimus ut qui ad infra recensita munera designantur, professionem fidei a Pio IV., in bulla *Injunctum Nobis* anno 1564 editam, prompte et intra terminos praescriptos, emittant. Scilicet 1° episcopi in prima provinciali Synodo cui interfuerint; quod nos praestare non negleximus.

2. Vicarii generales.

3. Canonici post nominationem, in ipso capitulo, et infra bimestre in manibus episcopi.

4. Rectores Ecclesiarum aliive curam animarum habentes.

5. Professores Sacrae theologiae et philosophiae in seminariis et collegiis.

DECRETUM X.

De Hierarchia Ecclesiastica.

Quidquid emolumenti ex hac Synodo in nostras dioeceses dimanaturum confidimus, id imprimis a restaurata Hierarchia ecclesiastica est procul dubio repetendum. Vix enim erat sperandum, manente antiquiore regiminis forma, Episcopos Synodali conventu fore adunandos, et ea qua par est auctoritate, de rebus ecclesiasticis decreta laturos. Solemni igitur modo Deo agendae sunt gratiae, qui non fecit taliter omni nationi, sed nobis tam praeclarum munus et insigne sui amoris pignus impertitus est.

Sed etiam Sanctissimo Domino Pio divina providentia Papae IX., devotissimo cordis affectu sunt grates rependendae, cujus in nos propensi et paterni animi argumentum inde accepimus, quod ad nostras clerique preces inclinatus, diu anxieque speratam Hierarchiam benignissime concesserit. Antequam igitur hoc concilium absolvatur, volumus ut litterae ad Sanctissimum Dominum conscribantur, atque ab omnibus Patribus subscribantur, in quibus unus omnium nostrum filialis affectus reverenter exprimatur, et grati nostri animi testimonium, pro hoc praesertim beneficio, ad ipsum deferatur.

DECRETUM XI.

De Capitulis Cathedralibus.

Quamvis ab Apostolica Sede, per breve Apostolicum, die 19 Novembris 1850 datum, concessum benignissime fuerit, ut unusquisque Episcopus Capitulum erigere valeret, jamque in unaquaque fere dioecesi, virtute concessionis hujusmodi, Capitulum legitime constitutum existat, placuit tamen ut ad pleniorem hujus institutionis cognitionem, hic apponantur, ac in perpetuum mansurae recolantur, leges, ac alia illuc pertinentia, jam quidem Decretis S. Congregationis de Propaganda Fide, die 21 aprilis anni currentis 1852 plene approbata; quorum decretorum tenor actis hujus Synodi adnectetur [1].

(1) *Vide* Appendicem, n° I., II., III., IV., V., VI, p. 50 et seqq.

1. Capitulum constabit ex decem canonicis, et una Dignitate.

2. In dioecesi tamen Plymuthensi poterit constare ex minori numero, attenta sacerdotum inopia.

3. In dioecesi Newportensi et Menevensi, capitulum cathedrale idem erit ac capitulum monasticum ab Anglo Benedictinis in ea dioecesi erigendum.

4. Quum praeter dioeceses Suthwarcen., Birminghamen., Salforfordien. et Nottinghamen. nullae aliae Angliae dioeceses ecclesiis gaudeant quae cathedrales dici mereantur, in qualibet alia dioecesi episcopus designabit ecclesiam vice cathedralis provisoria ratione constituendam, donec idoneum templum, Deo favente, provideatur, ac cathedralis ecclesia designetur, ac in perpetuum constituatur.

5. Dignitas in singulis capitulis *Praepositi* titulo distinguetur.

6. Designandi etiam sunt in unoquoque capitulo canonici theologus et poenitentiarius: qui post primam nominationem, episcopo concessam, ad tramites sacrorum canonum eligantur. Canonicus poenitentiarius quoad fieri potest penes ecclesiam cathedralem moretur. Theologus vero suo fungetur munere loco ac diebus per episcopum designandis, ad tramites sacrorum Canonum: item episcopus argumentum praefiniet.

7. Regula pro Canonicis designandis haec erit: Post primas electiones virtute commemorati brevis Apostolici ab episcopis libere effectas, in posterum, observata distinctione mensium circa collationem S. Sedis rescripto peragendam, in reliquis mensibus, alternis vicibus nominatio fiat, vel libere per episcopum, vel per capitulum, ea tamen ratione ut quoties propositio ad capitulum pertineat, tres ecclesiastici viri semel, iterum, et tertio episcopo exhibeantur, ut idoneus, et undequaque comcommendatus ab eodem canonicus instituatur; aliter electio libere ad episcopum pertineat.

8. Cum desint inter nos canonicales praebendae, et canonici vel animarum curae, vel juventutis institutioni in seminariis vacare ut plurimum debeant, ipsi canonici ab onere residentiae, et sacra officia in cathedrali peragendi, auctoritate pontificia eximuntur; dummodo quolibet mense semel chorum adire, et

divina officia peragere diebus per episcopum, ineunte anno designandis, habita ratione, si fieri possit, solemnioris alicujus festi in eodem mense incidentis, canonici teneantur. Ea vero occasione capitulares conventus haberi poterunt. Episcopus vero praefiniet quando apud ipsum sit conventus habendus, praesertim pro negotiis circa quae, ex S. Canonibus, capituli sententia est exquirenda. Episcopi vero assensus obstinendus, cum extraordinario canonici convenire ad capitulum velint.

9. Nulla impraesentiarum erit inter canonicos ordinum distinctio, seu divisio in presbyteros et diaconos.

10. Cum congruum admodum existat, ut qui in ecclesiae senatum, consiliarios episcopi, ac praecipuos adjutores ejusdem pro administratione dioeceseos assumuntur, habitu quoque, aliqua ratione, distinguantur; canonici, ex concessione Pontificia, nulla facta distinctione dioeceseos aut gradus, supra supercelliceum assument mozettam nigri coloris non tamen sericam, juxta formam ab eminentissimo archiepiscopo designatam.

11. Canonicos mere titulares, sive, ut aiunt, honorarios, designari prohibemus.

12. Tandem exacte observari praecipimus statuta capitularia, quae in hac Synodo lecta et approbata sunt.

DECRETUM XII.

De Modo commendandi ad Episcopatum.

Si ob praeeminentiam qua pollent, ac officium quo in dioecesi funguntur, canonici toti clero vitae honestate, pietate, doctrina, ac zelo praefulgere debeant, quanto magis ipsos convenit omni virtutum genere esse ornatos, quibus competit quodammodo ipsum regimen Ecclesiae pastore viduatae, et munus certe praeclarum a S. Sede benignissime concessum, ipsi commendandi, quos ad onus episcopale digne promovendos in Domino censuerint. Pro quo tam insigni beneficio, clero ad nostras preces collato, nos in hac Synodo congregati Sanctissimo Domino Nostro Pio IX. humillime ac devotissime gratias reddendas volumus, in epistola quae ipsius concilii provincialis acta comitabitur.

1. Defuncto igitur Episcopo, post justa funebria rite soluta, convenient canonici, praeside praeposito, ac omnia peragent, quae a jure praescribuntur pro electione Vicarii Capitularis, quae infra octo dies locum habere debet.

2. Infra mensem vero (vel, si agatur extra casum mortis episcopi de eligendo Antistite, cum convocantur,) capitulariter dignitarius et canonici illius Ecclesiae conveniant, sub praesidentia Archiepiscopi, vel ipso impedito, aut si de archiepiscopatu vacante agatur, Episcopi senioris, qui tamen nullam in actu partem habeat; ibique ad commendationem procedant, ad normam instructionis hac super re, a S. C. de Propaganda Fide, die 21 aprilis anni curr. emissae, et actis hujus Synodi subjiciendae (1).

3. Tunc, prout ibidem legitur, actus capitularis transmittendus est ad Archiepiscopum, vel ad Suffraganeum antiquiorem, ut coetus episcopalis, consiliis collatis circa tria nomina, alphabetico ordine conscripta, ad S. Congregationem referat, annexo suo de singulis commendatis judicio.

4. Si quis canonicus legitime impediatur, ne ad Capitulum accedat, in quo hujusmodi commendatio est facienda, licebit ei, per procuratorem, de gremio Capituli electum, tres schedas mittere, quae nomina et pronomina commendandorum contineant.

5. Hanc vero commendandi facultatem ita benignae concessioni S. Sedis acceptam referimus, ut nullatenus praetendi possit jus aliquod eligendi vel proponendi; sed ipsi S. P. liberum erit, quoties expedire judicaverit, suo uti jure eligendi alterum praeter commendatos.

DECRETUM XIII.

De Regimine Congregationum seu Missionum.

Restituta a Sanctissimo Domino Nostro Hierarchia ecclesiastica, consentaneum omnino est ut regiminis forma ipsi conveniens, quantum locorum circumstantiae sinant, restauretur. Quod quidem non omni ex parte fieri potest; neque enim paroecias circumscribere vel canonice instituere licet, tum ob

(1) *Vide* Append., n° VII, p. 57.

locorum ubi existunt ecclesiae inter se distantiam, tum quod multis in casibus, ecclesiarum loco, missionibus inserviant oratoria virorum laicorum aedibus annexa, nec non alias ob causas quas hic enumerare supervacaneum videtur. Quapropter Archiepiscopi et Episcopi supplicandum censuerunt Sanctissimo Domino Nostro, ut dignaretur concedere, ac sancire formam regiminis ab ipsis propositam, per quam et incommoda recensita evitarentur, et parochialis regiminis methodus paulatim introduceretur. Quibus nostris precibus Sanctissimus annuit; ut patent ex decreto a S. C. de P. F. die 21 Aprilis anni curr. emisso: cujus tenor actis hujus Synodi adjicietur (1).

1. Hujus igitur vigore, donec a S. Sede aliter provideatur, in singulis dioecesibus, auctoritate Episcopi, de consilio tamen Capituli, ecclesiae nonnullae seligantur, quae magis aptae videntur, ut ad instar paroeciarum haberi possint.

2. Iis ordinario praeficiatur sacerdos qui titulum habeat *Rectoris missionarii*, qui Ecclesiae et animarum curam gerat, quemadmodum caeteri ecclesiis in Anglia praepositi; sed permanenter institutus habeatur.

3. Episcopus, in dioecesana Synodo, seligat quinque probatissimos presbyteros, qui *commissionem investigationis* constituant, atque unus ex his commissioni ipsi per Episcopum praeficiatur.

4. *Rector missionarius* permanenter institutus definitive dejici non poterit, nisi tribus saltem ex memorata commissione ad causae examen adhibitis, atque eorum consilio accepto.

De modo procedendi in hujusmodi investigatione providebitur per aliquod statutum, quod ab Episcopis nonnullis in Synodo deputandis praeparabitur, ac S. Congregationi pro approbatione submittetur (2).

5. Ad praecavendas quaestiones quae insurgere possent, declaramus quod, non obstante rectoris missionarii deputatione, licebit Episcopo, de consilio Capituli, intra limites missionis cui praeponitur, novas ecclesias condere, ac portionem districtus iisdem attribuere, si necessitas aut utilitas populi fidelis id requirat. Hujusmodi autem limites quantocius Episcopi definiri curent.

(1) *Vide* Append., n° VIII., p. 59.
(2) *Vide* Append. n° IX., X., p. 60. et seq.

In caeteris ecclesiis seu missionibus, simplices missionarii, ad nutum episcopi amovibiles, curam animarum habebunt, intra limites unicuique missioni ab episcopo pro tempore assignatos; ubi vero contingit nullos tales limites ab episcopo designatos esse, volumus mediam distantiam, quantum fieri potest, inter ecclesias viciniores, pro limitibus inter ipsas missiones haberi.

6. Quod si duo vel plures sint sacerdotes in eadem missione, decernimus, unum tanquam primum designandum, qui gerat curam animarum et administrationem ecclesiae, seu congregationis.

DECRETUM XIV.

De Vicariis Generalibus, aliisque Personis Regimini Ecclesiastico addictis.

1. Convenit ut in unaquaque dioecesi nominetur vicarius generalis, cui per scripta delegandae erunt facultates, quae episcopo visae fuerint; quique, eo absente, vel impedito, negotiis ecclesiasticis possit providere, eique adjumentum in regenda Ecclesia praebere.

2. Praeter vicarium generalem, poterit episcopus etiam alios *vicarios foraneos*, seu, prout in Anglia nuncupari solebant, et nunc vulgari sermone dicuntur *rural deans (decanos rurales)* nominare, cum delegatione scripta quarumdem, quas expedire judicaverit, facultatum, in certo quodam districtu exercendarum.

3. Vicarii foranei erit praesidere conventibus, vel collationibus de casibus moralibus seu liturgicis, in territorio sibi demandato, infirmis sacerdotibus curam impendere, bonorum ecclesiasticorum administrationi invigilare, curare ut sacra aedificia sarta tecta serventur, ac episcopo seu vicario generali quae correctione egeant referre.

4. Expedit praeterea, ut episcopus viros prudentes, sive de gremio capituli, sive de clero, eligat, ut ipsum in administratione temporali dioeceseos adjuvent. Horum consilium frequenter adhibeat, ut legata pia optimo modo administrentur, ac tuto serventur; utque fidelium collectae sapienter et proficue, ac sine partium studio distribui, et applicari valeant.

5. Singuli episcopi, etiam in Synodo dioecesana proxime habenda, designent pro suis dioecesibus examinatores synodales

6. In eadem etiam, quinque spectatissimos presbyteros seligant, qui *Commissionem investigationis* constituant, de qua supra, cap. 13, actum est. Congruum etiam videtur ut horum duo e gremio capituli, reliqui tres de clero assumantur.

7. Unusquisque episcopus habeat suum archivistam, qui debeat custodire omnia instrumenta, et alia documenta ad dioecesim spectantia, et exempla habeat instrumentorum, ne ipsa originalia in alienas manus incidant; et registrum omnium instrumentorum dioeceseos teneat.

DECRETUM XV.

De Sacramentis in genere.

Cum Dominus Noster Jesus Christus in sacramentis gratiae copiam, in vitam aeternam supereffluentem, ponere dignatus sit, nihil Ecclesiae sacerdotibus magis cordi esse debet, quam ut fideles semper aquas in gaudio hauriant de hisce fontibus Salvatoris. Sed cum nihil sanctius, nihil augustius hujusmodi institutionibus, sollicite et enixe cavendum, ne quid negligentiae vel irreverentiae, in eisdem pertractandis, admittatur. Casta caste, sancta sancte, divina, quantum humana id sinat fragilitas, perfecto mentis totiusque animae affectu peragenda. Nihil quod eorum administrationem spectat, sive ritus, sive verba, sive loci temporisque adjuncta parvi est faciendum; sed potius etiam minutissima quaeque ab Ecclesia praescripta, magni ponderis sunt reputanda, ac summa diligentia observanda. Quamobrem, si propter locorum circumstantias difficile, aut ferme impossibile sit, sacramentorum administrationem eo, quo par est, splendore et exteriore cultu perficere, eo ipso magis studere debemus, ut interiori animae devotione hujusmodi defectui suppleamus, ac fidelium recipientium, seu assistentium, mentes ad ardentiorem pietatem inflammemus. Propterea quae sequuntur statuenda censemus:

1. Cum locus congruus sacramentorum administrationi sit ecclesia, curet sacerdos ut illuc veniant qui eadem suscipere desiderant; noscantque omnes certas horas, et locum singulis sacramentis destinatum; ut ita confusio evitetur. Non tamen recuset, quotiescunque petantur, praecipue si vel necessitas

urgeat, vel periculum immineat quod non sint redituri petentes, si repellantur.

2. Ad reverentiam Sacramentis conciliandam summopere praestat, ut sacerdos vestibus convenientibus indutus ea ministret; superpelliceo, scilicet, et stola; nisi necessitas aliter suadeat, vel loci aut temporis circumstantiae non sinant.

3. Opportunam etiam ex ipsa Sacramenti administratione occasionem arripiat, doctrinam Ecclesiae de Sacramentis, generatim sive in specie, plane et simpliciter circumstantibus explicandi. Non raro, de eorum fructibus et natura, populum sibi commissum fideliter instruat; utens maxime Catechismo Romano ad parochos, veluti fundamento quodam instructionis tradendae.

4. Studeat etiam munditiem et nitorem in iis omnibus servare, quae in Sacramentorum administratione adhibenda sunt, ut inde fidelium reverentia magis augeatur.

5. Tandem rubricis adamussim inhaereat, easque accurate observet.

DECRETUM XVI.

De Baptismo.

Cum inter protestantes nullum sit dogma quod magis, hisce temporibus, corruptum evaserit, quam quod de parvulorum regeneratione per Baptismum tractat, oportet ut eo magis sana et clara Ecclesiae doctrina hac super re perspicue, et saepe tradatur. Sed et ipsa tanti Sacramenti administratio maximo decore perfici debet. Proinde sequentia praecipimus observari:

1. In unaquaque ecclesia, cui annexa est cura animarum, sit fons baptismalis nisi ad tempus dispensaverit Episcopus, in loco conspicuo et conveniente positus; in quo aqua baptismalis jugiter servetur. Sit decenter ornatus, clave obseratus, et, si locus sinat, cancellis inclusus. Commendamus igitur observantiam regularum quas circa modum custodiendi fontem baptismalem S. Carolus Borromaeus tradidit (1). Monemus etiam, Baptisma haud esse administrandum aqua non benedicta, vel benedicta pro alio usu sacro, excluso necessitatis casu uti a Benedicto XIV. explicatur Constitutione *Inter omnigenas*, § 10.

(1) In Appendice relatae sunt, n° XI, p. 63.

Isuper notandum quod, ubi parochi, seu rectores missionarii habentur, ad ipsos solemnis baptismi collatio spectat, idque ex eorum venia alii sacerdotes praestant.

2. Oleum catechumenorum et sanctum chrisma, necnon, si placet, sal, et alia ad baptismi administrationem requisita, in baptisterio, vel saltem in sacrario, seorsim, et cum omni reverentia, et summa cum munditie, asserventur. In novis ecclesiis aedificandis, praeparetur locus in quo recondantur, in ipso baptisterio.

3. Liber item baptizatorum a sacerdote sedulo et caute in sacrario servetur, in quo baptizatorum necnon patrini ac matrinae nomina ab ipso sacerdote, forma injuncta, conscribantur; et uniformitas in iis conscribendis per totam provinciam obtineatur.

4. Baptismus in sola ecclesia debet administrari, nisi in casibus in Rituali exceptis; et quidem, secluso casu periculi, vel gravis incommodi, non sine episcopi permissu. Excipiuntur baptismata quae in stationibus a principali ecclesia seu sacello remotis administrantur, quando eas sacerdos, statutis quibusdam temporibus, vel vocatus, invisit.

5. Non admittantur patrini vel matrinae qui non sint catholici, vel qui a jure excluduntur: nimirum, impuberes, excommunicati majori excommunicatione, nondum confirmati, qui paschalis communionis praeceptum non adimplent: demum ecclesiastici. Curet sacerdos ut, propter periculum fidei infantium facile obventurum post mortem parentum, ambo, quoties fieri possit, adhibeantur.

6. Baptizare potest sacerdos infantes parentibus acatholicis natos, dummodo consensus habeatur eos in vera religione esse educandos, et patrinum, seu matrinam, catholicam habeant.

7. Cum magis invaluerint causae quae animos vicariorum apostolicorum, ineunte hoc saeculo, impulerunt, ut decernerent, omnes post annum 1773 natos, et inter protestantes baptizatos, conversos ad fidem, esse baptizandos sub conditione, hanc regulam absolute innovamus, praecipientes, omnes a protestantismo conversos esse baptizandos conditionate, nisi ex indubiis probationibus certissime constet in ipsorum baptismo omnia rite fuisse peracta, quoad materiae et formae applicationem.

8. Hujusmodi baptismus non fiat publice sed omnino

privatim, cum aqua lustrali et absque caeremoniis. Confessio etiam sacramentalis semper in tali casu est exigenda.

9. Quum mulieres catholicae a chirurgis et obstetricibus acatholicis saepissime tractentur, quibus de baptizando parvulos in periculo constitutos nequidem levis est cura, instruendi sunt sedulo fideles utriusque sexus de modo baptizandi in casu, ut aiunt, necessitatis; ut infans nullus discedere permittatur absque hoc salutari regenerationis balneo. Quod si convaluerit, ad ecclesiam feratur, ut suppleantur caeremoniae. Sed sacerdos bene inquirat de modo quo baptismus ipse fuerit collatus, et ad tutiorem inclinet partem, in ferendo judicio; et sub conditione, si visum fuerit, non dubitet baptizare.

10. Moneantur etiam frequenter ut parvulorum baptismum parentes non differant, sed ut eos, vix mundo natos, ad aeternam vitam renasci procurent.

DECRETUM XVII.

De Confirmatione.

Cum hisce regionibus catholici, et praesertim rudes et pauperes, saepissime conatibus exponantur qui ad catholicam fidem labefactandam quotidie fiunt, summa diligentia adhibenda est, ut sacramento confirmationis corroborentur ad resistendum hujusmodi tentationibus; ut firmi et stabiles in fide et bonis operibus perseverent.

1. Quo vero copiosius S. Spiritus gratiam, in hoc sacramento elargitam, accipere valeant, ante confirmationem, omnes tam pueri quam adulti, bene de ejus natura et fructibus instruantur; et nullus admittatur quin in doctrina Christiana sufficienter sit instructus. Hortamur sacerdotes ut, juxta laudabilem consuetudinem, utantur ea occasione, ad confirmandos in catechismi scientia plene instituendos.

2. Cum saepe etiam fiat ut pueri in ipsa tenera aetate a scholis ad opificia mittantur, neque postea facile ad instructionem revocari possint, praestat illos mature confirmari, modo tamen sufficientem habeant aetatem, ad debitam praeparationem faciendam.

3. Conversi pariter ad fidem excitentur, ne hanc gratiam

negligant neve ultra quam necessitas poscat, ad remotum tempus remittant.

4. Teneatur in unaquaque ecclesia registrum confirmatorum, inserto nomine patrini seu matrinae ; et elenchus confirmatorum episcopo tradatur.

5. Patrinus vel matrina, pro diversitate sexus, unicuique ex confirmandis assistat, servatis tamen conditionibus supra pro Baptismo expressis. (Dec. xvi, n° 15.)

DECRETUM XVIII.

De Sanctissimo Eucharistiae Sacramento.

Inter tot amoris pignora nobis tradita a Divino humani generis Salvatore, cum nullum sanctius, nullum praeclarius illo inveniatur quo Corpus Suum Sacratissimum in cibum, et Pretiosissimum Suum Sanguinem in potum nobis dedit, ita nec ullum fuit, in quod adeo infraenate insaevierit ejusdem humani generis infensissimus hostis. Hinc adversus Divinissimum S. Eucharistiae Sacramentum vix est verbis promere quam nefarie et quam impie in nostris regionibus actum scriptumque sit. Nullus licentiae modus impositus, quin dicteriis, conviciis, et blasphemiis, ut sacrilegam profanationem taceamus, impetitum fuerit, et etiamnum impetatur. Sed quo insanior incredulorum rabies quo gravior divinae bonitatis injuria, eo debet esse vivacior credentium fides, et grati animi sensus ; eo insignior cultus ac religionis affectus. Nihil ergo haec Synodus antiquius habet, quam pietatem et devotionem erga Dominum Nostrum in S. Eucharistia fovere, et ubique omnimodo promovere : ut sacerdotum corda, spiritus pinguedine repleta, eant de virtute in virtutem, ac Ecclesiae filii veluti novellæ olivarum in circuitu Dominicae mensae quotidie assistentes, coelestis panis dulcedine recreentur, ac in fortitudine cibi illius ambulent usque ad montem Dei.

1. Quaecunque igitur ad divinissimum hoc Sacramentum, et ad Sacrificium incruentum referuntur, altaria, vasa sacra, sacraque supellex, si non splendida et pretiosa, saltem nitida, munda et decentia sunto. Nihil lacerum, nihil squalidum, nihil vilioris quam decet pretii, in re sacra facienda sacerdos admittat.

Calix et pyxis, si fieri potest, cuppam saltem habeant argenteam, intus inauratam ; quod de patena pariter dicendum. Paramenta sacra ex holoserico, reliquae vestes et tobaleae altaris ex solo lino conficiantur. Ut vero uniformitas hisce in rebus obtineat, adlaborandum est ut forma paramentorum sacrorum usui Ecclesiae Romanae accommodetur.

2. Optandum quidem esset missam quotidie ab omnibus sacerdotibus celebrari; sed saltem frequenter ab altari sumant Christum, qui eorum in gratia renovet juventutem: et indicent fidelibus dies et horas quibus missa in ecclesia per hebdomadam celebrabitur.

3. Et quidem Dominicis et festivis diebus, quo potest fieri, solemniori modo celebretur. Serventur autem accurate rubricae; praesertim in missa sine ministris sacris cantanda. Non enim licet hujusmodi usum pro lubitu immutare, sed omnia secundum ordinem fiant, et uniformi modo.

4. Benedictio sanctissimi Sacramenti dari non potest sine episcopi licentia. Multo minus processiones, praeter eas quae a rubricis praescribuntur, vel expositio solemnis sanctissimi Sacramenti haberi possunt nisi cum ejusdem permissu (1). In expositione et benedictione exacte servetur ritus jam ab episcopis approbatus, et typis impressus, utpote qui Ritui Romae adhibito est conformis, et in Synodo Thurlesiana a S. Sede approbata, fuit pro Hibernia praescriptus.

5. Ante S. Eucharistiam in tabernaculo repositam lampas diu noctuque luceat. Pyxis velo serico albo, vel aureo cooperiatur.

6. Si vero ob periculum sacrilegii S. Sacramentum in altari vel etiam in ecclesia tuto servari non possit, praeparandus est locus decens et semotus, ab episcopo approbandus; in quo conservetur, cum lampade semper accensa, ut in Decreto 5.

7. Sanctissimum Sacramentum custodiri non debet, nisi in iis oratoriis quae missioni inserviunt, et veluti publica proinde reputantur. Sed etiam hoc in casu, clavis tabernaculi non debet

(1) Scilicet quae fit per ostensorium. Nam minus solemnis quae fit per pyxidem non requirit ejusmodi permissum; prout constat ex Epist. Bened. XIV. ad episcopum Wormiens, 17 Aprilis, 1746, nec non ex alia ad card. Urbis vicarium, 27 Julii, 1755.

aedituo vel alii personae custodienda tradi: sed solus sacerdos penes se eam teneat, et conscientiam suam oneratam sentiat, de sacris hostiis frequenter renovandis (1).

8. Fideles ad frequentem communionem exhortandi sunt et excitandi; ac opportune admonendi de communionis necessitate ad sacras indulgentias lucrandas, non solum statutis quibusdam anni temporibus, sed, quantum fieri potest, saepissime; modo congruam tantae gratiae vitam degant, ac se devota praeparatione disponant.

9. Ad hanc devotionem magis magisque fovendam, vehementer optandum est, ut ecclesiae aditus vel continuo diu, vel si ruri sit, per aliquot horarum spatium, fidelibus pateat; et doceantur omnes amantissimum Salvatorem in S.S. Eucharistia latentem invisere, adorare, ac fervidis precibus supplicare, animamque simul communione spirituali refocillare.

10. Utque pietas fidelis populi augeatur, videtur summopere expedire ut oratio Quadraginta horarum per totam Angliam statuatur, ita ut nullum sit temporis punctum, in quo Domino Nostro, in hoc Sacramento graviter offenso, expiatio aliqua non offeratur, precesque pro Ecclesiae pace ac animarum salute fundantur.

11. Ad promovendam pariter devotionem erga hoc divinum Sacramentum, convenit ut, ubi fieri potest, fundetur Sodalitas Sanctissimi Sacramenti, cujus socii cultui altaris, processionibus, aliisque ritibus, providebunt. Haec sodalitas, una cum confraternitate Doctrinae christianae, ante omnes alias in congregatione erigi debet. (*Conc. prov. Mediol. I.*)

12. Quamvis, ob locorum circumstantias, non liceat, absque sacrilegii et scandali periculo, Sanctissimum Viaticum aegrotis publice et solemniter deferre, et ideo a S. Sede nobis permissum jam sit sine lumine ac occulte illud portare, nunquam tamen non advertere sacerdos debet, se Deum absconditum sibi adhaerentem habere, et secum ad suorum solatium ferre. Reverenter igitur, imo devote, et veluti in contemplatione defixus, Sanctissimum Sacramentum in sacculo decenter vel pretiose ornato, ad collum appenso, ad aegroti domum deferat. Et cum saepe miserrimae sint pauperum nostrorum habitationes,

(1) Vide *Decretum* hac super re in Append., nº XII., p. 65.

ita ut vix decore administrari in iis possit S. Viaticum, magnopere laudandum usum declaramus, et omnibus commendatum volumus, deferendi secum, vel praemittendi, capsulam omnibus requisitis instructam, ad decentem sancti sacramenti administrationem. Quamprimum fieri possit, pyxis post communionem infirmorum ad ecclesiam deferatur, et usque ad purificationem in Tabernaculo reponatur.

13. Hostiae consecratae, sive pro communione fidelium, sive pro benedictione Sanctissimi Sacramenti, frequenter renovari debent. Pyxis etiam purificari debet, ita ut fragmenta minutiora in ea non congerantur, cum periculo etiam irreverentiae in administrando (1).

14. Similiter, "linteamina, corporalia, pallae, et alia altaris indumenta, integra sint et mundissima, et saepe abluantur per personas a canonibus deputatas" (scilicet quoad corparalia et pallas, per ipsum sacerdotem, ubi subdiaconus non adest), "ad reverentiam et praesentiam Salvatoris Nostri et totius Curiae coelestis, quam huic Sacramento conficiendo, et confecto non dubium est interesse" (2).

15. Item ab omni alia re vacuum debet esse Tabernaculum; "quamobrem nec vasa olei S. nec capsula reliquiarum, neque calix, neque purificatorium, ibi servari debent: ut omnino sacra Eucharistia cum suo vase in eo duntaxat conservetur; aliud praeterea nihil." (*Concil. Mediol.* IV., p. II.)

16. Ut omne dubium de materia sacramenti amoveatur, non cuilibet permittendum ut hostias consecrandas conficiat, sed personis fiducia dignis, et, si placet, monialibus hoc munus concredatur. Similiter vinum ad sacrificium, non a cauponibus, nec a quolibet oenopola est comparandum, cum notorium sit sincerum vinum ab hujusmodi hominibus saepe non vendi; sed omnis diligentia est adhibenda, curantibus etiam episcopis, ut vinum de genimine vitis presbyteris ubique praesto sit.

17. Cum multis in locis impossibile sit ob inopiam sacerdotum, omnium fidelium confessiones inter terminum temporis Paschalis excipere, a summo Pontifice suppliciter petendum

(1) "Nec ultra septem dies conserventur Hostiae consecratae; sed qualibet septimana renoventur." (*Constit. prov. conc. Oxon., an. 1222, De Euchar.*)

(2) *Ibid.*

videtur, ut extensionem dicti temporis pro tota Anglia concedat, a Fer. IV. Cinerum usque ad Dominicam in albis inclusive ([1]).

18. Nullus sacerdos, sub poenis in jure latis, bis in die missam celebrare praesumat (praeterquam in S. Nativitatis festo), nisi ab Episcopo, vel ejus Vicario, facultatem ex delegatione Apostolica concedi permissam in scriptis obtinuerit.

19. Similiter rubricae Missalis Romani et Ritualis parvi S. M. Benedicti XIII. ([2]) stricte serventur, quantum servari possint, de tribus ultimis diebus majoris Hebdomadae; ita ut unica celebretur in unaquaque ecclesia Missa in Feria V. et Sabbato. Neque in hoc celebretur Missa, nisi cum toto officio (excepta sola Fontis baptismalis benedictione, ubi in ecclesia Fons non existat;) neque ulla pars pro lubitu omittatur.

20. Tandem meminerint sacerdotes, infinitum hujus Sacramenti et Sacrificii pretium in praesentia Domini Nostri Jesu Christi consistere, non in exteriori cultus apparatu; ideoque satius esse simpliciter Missam lectam fidelibus praebere, quam ultra vires solemniorem tentare ritum, caeremoniis saepe foede deturpatis, ac musicali inepto concentu devotionen potius pellente quam excitante. Cantus igitur, praecipue in Missa et Benedictione Sanctissimi Sacramenti, sit gravis et devotus, ut audientes fideles modo cum Augustino ad lacrymas moveantur, modo, cum choris Angelorum, laudes Deo et Agno cum ingenti concinant laetitia. Pueri etiam musicen in scholis edoceantur, ut femina-

(1) Sanctissimus benignissime annuit. Vide *Rescriptum* in Append., n° XIII., p. 66.

(2) "Beatissime Pater. Vicarii Apostolici Angl. ad pedes Sanctitatis tuae provoluti humillime supplicant, ut benigne dignetur, attenta inopia sacerdotum aliisque locorum adjunctis perpensis, indulgere ut in iis diebus in quibus, juxta Rubricas, missa solemnis duntaxat esset celebranda, possit recitari missa etiam privata, dummodo ea sit parochialis et principalis, et serventur quantum servari possint ea quae in Rituali parvo Benedicti XIII. sanctae memoriae praescripta inveniuntur. Quare, etc. Ex Audientia Sanctissimi habita die 7 Martii 1847. Sanctissimus Dominus Noster Pius divina providentia PP. IX., referente me infrascripto S. C. de Propaganda Fide secretario, perpensis expositis, benigne annuit pro gratia, in omnibus, juxta preces. Contrariis quibuscunque non obstantibus."

"Datum Romae, ex Aedib. dic. Sac. Congreg. die et anno quibus supra.

"Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

"Joannes, arch. Thessalonicensis, *secretarius*."

Loco ✠ sigilli.

rum, maxime pretio conductarum, in choro concentus, ab Ecclesiis excludantur. Sicque paulatim erit (quod maxime optamus) totum fidelium coetum unanimi vocis et cordis consensu psallentem audire.

Non ita protrahatur cantus, ut Missae cursus, nisi ubi Rubricae sinunt, interrumpatur.

DECRETUM XIX.

De Sacramento Poenitentiae.

Cum hoc sacramentum secunda recte dicatur post naufragium tabula, cumque omnes peccaverimus ac gloria Dei egeamus (*Rom.* III., 23), ab ipsa tenera aetate omnibus inculcanda est tam salutaris medicinae efficacia, ejusque usus sedulo exercitandus. Exhortandi etiam sunt fideles, ut non modo semel in anno, vel raro, sed saepe ad hoc lavacrum animae recurrant; imo ut quoties peccati sordes contraxerint, toties munditiem exquirant: quoties aegritudinem sentiant, properent ad medelam. De administratione igitur hujusce sacramenti quae sequuntur observanda decernimus.

1. In omni ecclesia erigendas praecipimus, si jam non existant, sedes confessionales, pro numero sacerdotum. Si locus non sinat, episcopi judicio res est deferenda. Mulierum confessiones nullibi nisi in confessionali sunt excipiendae, nisi infirmitas vel surditas aliter suadeat. Sed etiam tunc mulieres in loco patente, ubi facile ab aliis possunt videri, audiantur.

2. In confessionali sedeat sacerdos, superpelliceo et stola violacea indutus.

3. Pueri doli capaces, ad confessionem non solum admittendi sed attrahendi sunt; eisque rite dispositis absolutio danda. Quare non probandus usus absolutionem differendi, donec ad primam communionem admittantur. Sed e contra, summa diligentia etiam rudiores et crassioris indolis pueri sunt disponendi ad hoc sacramentum.

4. Medicinalis hujus Sacramenti ratio poscit ut quantocius post lethale peccati vulnus recipiatur. Propterea non absque causa justa, ad aliud tempus sine absolutione remandandi qui peccata contrite confitentur. Praesertim vero conversorum ad

fidem confessiones generales non sunt ad diuturnum tempus protrahendae; sed si satis instructi inveniantur, et sincero cordis dolore tacti veniam petant, eam misericorditer ipsis impertiatur Dei clementissimi minister. Quod si de rudioribus conversis agatur, ipsos bene instrui curet, antequam ad Sacramenta admittat.

Sed etiam catholicos quos ignorantes deprehenderit vel suspicatus fuerit, diligenter de mysteriis fidei interroget, et non nisi satis instructos ulterius procedere sinat. Praeterea hujusmodi homines, et pueros praesertim, aptis interrogationibus adjuvare studeat, ut confessionis integritatem et claritatem reddat certiorem.

6. Fidelibus liberum est etiam in Paschate apud quemlibet presbyterum ex approbatis peccata confiteri, neque unquam rejiciendi sunt ab illo quem maluerint sacerdote, hoc praetextu quod ad aliam pertineant congregationem. Nec sacerdos qui animarum curam gerit obicem ponat, vel deterrere praesumat, si quis ad alium convolet sacerdotem: sed potius gaudeat de salute ovis, quamvis ab alterius pastoris ab exitio ereptae manu.

7. Caveant sacerdotes ne retributionem aliquam propter confessionem a poenitentibus accipiant.

8. Sint in unaquaque ecclesia dies et horae pro confessionibus excipiendis designatae, et accurate observentur.

DECRETUM XX.

De Sacramento Extremae Unctionis.

Magno pretio habenda est hujus sacramenti institutio, quo, in extremo cum salutis hoste certamine, ad victoriam uncti, roboramur.

1. Quamobrem caveat sacerdos, ne quis fidelium sibi commissorum vel propria incuria, vel ex defectu suae pastoralis vigilantiae, absque hac salutari medicina tam corporis quam animae e vita discedat.

2. Hortetur igitur fideles ut non ad extremum vitae punctum, cum jam sensus deficere coeperint, hujus saluberrimi sacramenti receptionem remittant, sed ut potius, ingravescente morbo, statim ac fuerint in periculo constituti, vocent presbyteros

ecclesiae, qui eos oleo ungant, sicque pro extremo agone vires praebeant et tutamen.

3. Ideoque aegroti familiares studiose moneat, ac frequenter fidelibus, dum bene valent, insinuet, quod, si medici acatholici ope utantur, insistant, ac frequentibus interrogationibus urgeant, ut statim ac morbus periculi speciem inducat, ipsos admoneat, ne, superveniente repentino aliquo casu, anima hujus sacramenti beneficio privetur.

4. Ad custodiam olei infirmorum habeat locum decentem, clave obseratum, si fieri potest in ecclesia, vel in sacrario : aut etiam, juxta praescriptum in Concilio prov. Mediolanensi IV., "in ipsa domo, loco decenti ac tuto."

In novis ecclesiis aedificandis, paretur fenestella prope altare majus, cui inscribatur *Oleum infirmorum*, cum suo ostiolo clave munito.

5. Sacerdos ad moribundum vocatus, si is "vel morbi vi, vel repentino aliquo casu jam sensum omnem amiserit, ut nihil plane intelligat," hoc extremae unctionis sacramentum ministrare debet "si modo adhuc vivat, et, dum usum rationis haberet, pii animi significationem dederit, ut inde judicari possit, eum hoc sacramentum petiturum, si adhuc integrae mentis esset." (1)

DECRETUM XXI.

De Sacramento Ordinis.

Pastoralis sollicitudinis praecipua pars est, ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei, rectos, fideles, omni virtutum genere praestantes efformare, et in ecclesia constituere.

De clericorum igitur promotione et ordinatione, quae sequuntur sedulo observari praecipimus.

1. Episcopi ordinationes teneant, quantum fieri potest, temporibus a jure statutis, vel in ecclesiis suis cathedralibus, vel in ecclesiis seu sacellis seminariorum. Fiant autem maxima cum solemnitate, adhibitis omnibus ritibus qui in Pontificali Romano praescribuntur.

2. Cum vero inter ordinandos saepe inveniantur, qui ab

(1) *Concil. Mediolan. prov.* III.

haeresi conversi, vel parentibus conversis nati, aut etiam alias ob causas irregularitatem contraxerint, hac de re diligenter inquirat Episcopus, ut si quis forte ex promovendis tali macula reperiatur notatus, ante ordinationem ab ea liberetur. Supplicandum vero videtur esse Sanctissimo Domino Nostro, ut in Seminariis pluribus Episcopis communibus, ordinans habeat facultatem absolvendi ab irregularitate, etiam non subditos, de consensu suorum Ordinariorum. Et quidem cum dubium exortum fuisset utrum facultas extraordinaria ordinandi extra tempora, in favorem omnium alumnorum ejusmodi Seminariorum posset exerceri, S. Congregatio de Propag. Fide decretum emisit, die 24 aprilis proxime elapsi datum, a Sanctissimo approbatum, quo conceditur facultas Episcopis, in quorum dioecesibus talia Collegia sita sunt, ordinandi extra tempora alumnos sibi non subditos, praevio consensu respectivi Ordinarii ([1]).

3. Ordinandi per examinatores de ordine suscipiendo districte examinentur: ad primam tonsuram et minores ordines promovendi, de litteratura; ad subdiaconatum, in uno saltem tractatu S. theologiae; ad diaconatum in duobus; ad presbyteratum autem provehendi, in tribus tractatibus ad minus, vel si placet in tota theologia dogmatica examinentur. Praemittantur etiam, si fieri potest, proclamationes ordinandorum.

4. Serventur, quantum fieri potest, interstitia, ut unusquisque, antequam ad altiorem gradum ascendat, ordinem jam susceptum exercendi opportunitatem frequenter habeat, sicque rubricas mature discat.

5. Ut aliquis modus statuatur quo clericus, titulo patrimonii ad subdiaconatum promotus, decentem sustentationem habeat, Patres censent neminem ordinari debere nisi habeat legaliter certum redditum quadraginta ad minus librarum sterlinarum. In quo rite constituendo prae oculis habeatur, quantum licet, Instit. XXVI., Bened. XIV., et regula in ea tradita.

6. Sciant autem ii, qui titulo sui patrimonii promoventur, sibi non esse liberum a propria dioecesi discedere, nisi de episcopi consensu, cui reverentiam et obedientiam in ipsa ordinatione promiserunt. "Neque enim," inquit Ben. XIV. (Const. XXV.,

(1) Vide *Decreta* in Append., n°s XIV. et XV. p. 67. De ordinatione vero titulo Missionis, *vid. ibid.*, n°s XVI. et XVII. p. 68, et seq.

Ex quo dilectus), "nos pro mera inanique formula habendam esse putamus solemnem illam obedientiae et reverentiae sponsionem ..... quinimo libenter agnoscimus presbyterum hujus promissionis vigore, ea lege inter alias adstrictum teneri, ut a servitio Ecclesiae, cui in ordinatione addictus fuerit, discedere nequeat absque licentia episcopi."

DECRETUM XXII.

De Sacramento Matrimonii.

Vix aliud est Ecclesiae sacramentum, circa cuius administrationem tam graves insurgere possint difficultates, in regione praesertim ubi leges civiles matrimonia in facie Ecclesiae contracta non admittunt, et ubi cum acatholicis fideles permixti vivunt. Summa igitur cum prudentia agendum est a sacerdotibus curam animarum habentibus, in iis quae hujus Sacramenti administrationem respiciunt.

1. Moneant frequenter sibi subditos de ejus sanctitate, utpote a Domino Nostro Jesu Christo instituti, et primo ipsius miraculo cohonestati. Faciant ut abhorreant a nuptiis alias quam ritu catholico initis; acriterque eos reprehendant qui in templo protestantico matrimonium contrahunt.

2. Servanda lex faciendi publicationes matrimoniorum in Ecclesia. Modus vero et tempus eas introducendi relinquenda videntur prudentiae singulorum episcoporum, pro diversis locorum circumstantiis rem diverse tractantium.

3. Eos qui matrimonium sunt contracturi adhortetur sacerdos, et omnino nihil intentatum relinquat, ut inducat ad praeviam peccatorum suorum confessionem, et dignam S. Eucharistiae perceptionem.

4. Non celebretur matrimonium in ecclesiis quae non habent sibi annexum districtum aliquem, cum cura animarum in eo degentium.

5. Liber matrimoniorum accurate teneatur in omni ecclesia in quibus celebrantur.

6. Sacerdos matrimonium mixtum non celebret, sine praevia promissione obtenta tam a parte catholica quam a parte acatholica, de educanda prole utriusque sexus in religione catholica, nec

non a parte acatholica de permittendo libero exercitio religionis parti catholicae; a parte vero catholica, de conversione compartis acatholicae curanda.

7. Cum saepe fiat ut exteri in Angliam veniant ad ineundum matrimonium, caveant summopere presbyteri, ne concurrant matrimonio in fraudem legis contrahendo. Propterea, in omni hujusmodi casu, recurrant ad episcopum: prae oculis habita pro hoc casu, nec non pro matrimoniis vagorum, instructione S. Officii, die 21 Aug. 1670 edita.

8. Cum occurrerit casus impedimenti matrimonialis, mittat sacerdos ad episcopum supplicem libellum, in quo casum exponat, ita ut gradus, vel alia causa in qua petitur dispensatio, accurate describatur; simulque rationes pandat ob quas concedendam censeat. Quod si episcopo visum fuerit dispensationem largiri, vel propriis facultatibus utens, vel post Sanctae Sedis petitam et obtentam veniam (si facultatum quibus pollet limites excedat casus), ipse, per se aut per vicarium, dispensationem per scripta, cum omnibus clausulis a jure requisitis, sacerdoti supplicanti tradi curabit, cum annexa scheda attestante exsecutionem dispensationis. Quam quidem sacerdos, a se subscriptam, reddet episcopo, in archivo servandam, in testimonium legitimi matrimonii.

9. Dispensationes igitur matrimoniales nunquam viva voce, vel per simplicem epistolam, concedantur, sed per formulam accurate concinnatam.

DECRETUM XXIII.

De Praeceptis Ecclesiae.

1. Optandum quidem esset ut festorum observantia accurata inter nos vigeret; sed cum difficile sit a servilibus operibus abstinere, iis maxime qui ab heris protestantibus dependent, enixe adlaborandum, ut fideles iis diebus, si infra hebdomadam cadunt, saltem Missae assistant. Ac propterea debent missionarii, si fieri potest, ad satisfaciendum eorum devotioni, saltem unam Missam diluculo celebrandam curare. Ipsos autem moneant, ut non propria auctoritate, sed de licentia sacerdotis, negotiis et operibus in iis diebus incumbant.

2. Ad augendam populi devotionem erga sanctos Patronos dioecesium et ecclesiarum, supplicandum erit Summo Pontifici ut benigne concedat ut liceat horum dies festos in Dominicam proxime sequentem, ni rubricae id vetent, transferre (1).

3. Jejunii leges diligenter exponant presbyteri, praecipue initio quadragesimae; promiscuitatem ciborum prohibeant, et sanctam severitatem charitate temperatam, in exercenda commissa potestate dispensandi, exhibeant.

4. Cum obligatio decimas solvendi inter nos non existat, moneantur fideles, non idcirco se eximi ab obligatione providendi divino cultui, ac honestae sacrorum ministrorum sustentationi.

5. Fideles qui, ob devotionem vel aliam quamcunque causam, non frequentant ecclesiam quasi parochialem, seu missionariam, cui assignatur eorum domicilium, non ideo se liberatos credant ab officio ipsam adjuvandi, et ejus pastores sustentandi. Quinetiam de pauperum inedia sublevanda, et de parvulorum educatione, aeque solliciti esse debent ac ii qui propriam adeunt ecclesiam. Ideoque eleemosynis juxta vires suos legitimos pastores ad hoc officium communiant, quorum est ut sustineant pondus diei et aestus in vinea Domini colenda.

DECRETUM XXIV.

De Vita et Honestate Clericorum.

Recte a Domino ii sal terrae nuncupantur, quorum ministerio aliorum sunt animae a vitiorum putredine conservandae, quique, si ipsi infatuati fuerint, vix ad meliorem frugem poterunt renovari; sed simul, cum commisso sibi grege, in pejus ruent, *eritque sicut populus sic sacerdos.* (*Isa.* XXIV., 2; *Osee.* IV., 9.) Quod si ita luceat pastoris lux coram hominibus, ut glorificent Patrem ejus qui in coelis est, et sacerdos in omnibus seipsum praebeat *exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate* (*Tit.* II., 7), ut is qui ex adverso est vereatur, nihil malum habens dicere de nobis, tunc quidem aedificabit domum Dei vivis et electis lapidibus, et crescente Ecclesiae sobole,

(1) Sanctitas sua benignissime annuit. V. *Rescript.* in Append., n° XVIII. p. 70. Nec non Indulgentias aliasque gratias pro Angliae et Hiberniae SS. Patronis concessit. *Ib.*, n° XIX., XX. p. 70. et seq.

et credentium multitudine, dilatabit locum tentorii sui, et pelles tabernaculorum extendet. (*Isa.* LIV., 2.) Maxima igitur sollicitudine omnes qui, in excolenda Domini vinea, nobis collaborant, hortamur, ut, nascente jam novo rerum ecclesiasticarum ordine, renoventur spiritu mentis suae, resuscitantes gratiam Dei quae est in ipsis, per impositionem manuum nostrarum. (*Eph.* IV., 23.) Quae ergo sequuntur accurate observanda decernimus.

1. Abstineant sacerdotes a spectaculis viro ecclesiastico indignis, a venatione clamorosa quae equo et canibus fit, a publicis choreis, ab illicitis ludis, et a comessationibus quae usque ad intempestam noctem protrahuntur (*Trid.* sess. XXIV., *De Reform.*, *Conc. Prov. Mediol.* I.)

2. Prohibemus districte, ne ecclesiastici sacris ordinibus initiati, scenicis spectaculis in publicis theatris intersint, imponentes transgressoribus poenam suspensionis ipso facto incurrendam, hactenus ubique in Anglia vigentem, cum reservatione respectivo Ordinario.

3. In domibus sacerdotum simplex splendeat munditiés: neque in supellectile neve in ornatu, aliquid luxui vel mundanis affectibus inserviens deprehendatur. Imagines ludicras et insulsas, aliasve sacerdoti non convenientes, prae oculis ne habeant; sed sit in unoquoque cubiculo imago Domini crucifixi vel Sanctissimae Dei Genitricis, sanctorumve effigies, vel tabulae vitam Salvatoris, vel sacram historiam illustrantes.

4. Famulae quae ipsis serviunt sint provectioris aetatis, modestia, prudentia, vitaeque illibatae experimento probatae; ut canonum sanctiones serventur.

5. Ecclesiasticorum virorum vestes tales esse debent, quae et a laicis eos omnino discernant, et tamen cum ministris heterodoxis non confundant. Sint ergo nigri vel subnigri coloris; neque sub itineris praetextu ad ignominiam saecularis habitus, a quo erepti fuerunt, clerici revertantur. Formam illam commendamus, quae, paucis ab hinc annis, a clero saeculari adhiberi coepit. Domi vero, habitum talarem, vel, si magis placet, eum qui *zimarra* appellatur, cum bireto, induere eos maxime decet.

6. Sed cum peculiare insigne cleri catholici per totum fere orbem sit collare quod Romanum vulgo dicitur, cumque jam inter nos etiam a protestantibus pro tali dignoscatur, quin con-

tumeliam aut injuriam provocet, volumus ut ab omnibus sacerdotibus sacrum ministerium exercentibus feratur; nisi forsan ad tempus arbitrio episcoporum, attento rerum statu, aliter statuatur. Et pro augendo cultus divini decore, nec non pro majori in sacris officiis uniformitate, praecipimus, ut sacerdotes saeculares, et regulares qui proprium ordinis habitum non gerunt, quotiescunque publice Missam celebrant, verbum Dei praedicant, vel aliter vestibus sacris induti, officia in ecclesia peragunt, vel iis assistunt, eodem collari induti conspiciantur, ita ut camisia circa collum nullatenus appareat.

7. Cum devotionis fervor facile refrigescat, et de mundano pulvere, ut ait S. Leo, oporteat etiam religiosa corda sordescere, singuli sacerdotes teneantur, quoque saltem biennio, exercitia spiritualia, quae episcopus providebit, adire.

8. Collationes de casibus moralibus, sive aliis de materiis theologicis, et liturgicis, in omnibus dioecesibus, certis statutis temporibus, omnino volumus adhiberi. Pro locorum vero diversitate definient episcopi, utrum totius dioeceseos clero unus debeat esse penes episcopum conventus; vel plures, sub praesidentia vicariorum foraneorum, in singulis scilicet vicariatibus, sint habendi. Ad suam collationem tenentur convenire, respondere parati, omnes sacerdotes saeculares, et regulares, salvis eorum juribus, qui curam habent animarum. (*Benedicti XIV. Instit.*) Tenentur etiam conventus ad episcopum suas casuum resolutiones, vel conclusiones examinandas, et corrigendas, mittere. Caeterum, de methodo has collationes tenendi, nec non de materiis tractandis, singuli episcopi in suis dioecesibus providebunt.

9. Cum *nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus* (*II. Tim.* II., 4), volumus ut, juxta praescripta a jure, nullus sacerdos negotiationem exerceat; vel etiam sese rebus immisceat quae negotiationem sapiunt, vel solius lucri causa peraguntur. (*Conc. Prov. Mediol. I.—Constit. Prov. Conc. Oxon.*, c. *Ne clerici.*) Similiter non assumat vel accipiat munus tutoris vel administratoris bonorum saecularium, sine episcopi licentia.

10. Sacerdotes, jam ad munera ecclesiastica admissi, non ideo studiis, praecipue sacris, valedicant: sed cum ex ore sacerdotis scientiam populi requirere debeant (*Mal.* II., 7), sint

assidui in lectione S. Scripturae, et Theologiae tam dogmaticae quam moralis, et asceticae. Ita fiet, ut, gregem instruentes, non inanibus verbis hominum tantum pulsabunt aures, non contra inimicos dimicabunt, velut aerem verberantes, sed et illos fructuose vero vitae pane nutrient, et hos solida argumentatione profligabunt. Evitent pariter librorum de rebus ineptis et mundanis tractantium lecturam noxiam, quippe qui et tempus et animum inutiliter consumunt, et facile tentationibus aditum praestant.

11. Expedit ut facultates, aliis quam rectoribus missionariis concessae, limitentur quoad tempus; ita ut in principio ad annum, et sic gradatim ad longius temporis spatium, tradantur. Meminerint vero sacerdotes episcopis jus competere, usumque alibi vigere, a Benedict. XIV. (*Instit.*) magnopere commendatum, ante renovationem facultatum ipsos sacerdotes, praesertim juniores, iterum ad examen revocandi. Ita quidem fiet, ut, in sacris lectionibus ac verbi Dei studio perseverantes, assistricem coelestibus sedibus sapientiam, quasi matrem honorificatam, sibi occurrentem in sacro ministerio inveniant. (*Eccl.* XV., 2.)

12. Sed cum in manu Dei simus *et nos et sermones nostri, et omnis sapientia, et operum scientia et disciplina* (*Sap.* VII., 16), igitur Ipsum invocare debemus, ut veniat in nos Spiritus sapientiae. (*Ib.* 7.) Quamobrem sacerdotem decet orationi saepe vacare, ut hoc donum a Patre luminum descendens obtineat. Quotidie sacris meditationibus vacet, divinum Officium devote recitare studeat, Sanctissimae Eucharistiae sacramentum semel saltem in die visitet, Beatissimam Virginem Mariam eximia devotione colat.

DECRETUM XXV.

De Rectoribus Ecclesiarum.

Qui praeest ecclesiae, sive simplex sit missionarius, sive titulo rectoris missionarii condecoretur, Dei villicus est habendus, cui concredita est pars Dominicae vineae excolenda. Sit ergo utilis et fidelis, in omnibus laborans, memor eamdem esse rectori navis et navigio deferendis salutis vel periculi rationem.

1. Quicunque igitur alicui congregationi praeficitur emittat in manibus episcopi, vel ejus vicarii, professionem fidei, quam integram fidelibus sibi commissis se praedicaturum spondebit.

2. Si jam non existat, totam percurrens suae pastoralis sollicitudinis regionem, ejusdem exactam relationem conscribat, ac librum status animarum, ad normam Ritualis Romani, quantum fieri potest, conficiat.

3. Libros etiam baptismorum, confirmatorum, defunctorum, et matrimoniorum, accurate teneat.

4, Aedificia omnia sacra, scholas, presbyterium, nec non alia omnia ad ecclesiam pertinentia, sarta tecta custodire curet. Nihil innovet, vel addendo, vel alienando, vel etiam notabiliter immutando, inconsulto episcopo.

5. De oneribus missarum diligenter inquirat; eorumdem tabellam in sacrario appensam teneat: nova perpetua non assumat sine episcopi sanctione: si nimis onerosa videantur ea quae jam habet persolvenda, aut non existat congrua dotatio, episcopum adeat, vel in visitatione de re certiorem faciat.

6. Si quis fidelium Missam anniversariam vel quotidianam fundare voluerit, negotium cum episcopo est tractandum; et summa ad hoc collata in utilibus investimentis erit insumenda, servatis, in quantum locorum et temporum circumstantiae sinant, canonicis sanctionibus; ut annuum fructum pro dotatione perpetua reddat.

7. De aegrotos visitando et morientes juvando sit solicitus; nec post Sacramenta suscepta prorsus relinquat; sed saepe, et, si tempus suppetat, quotidie invisat, ac in extremis assistat. S. Viaticum, protracto morbo, nec cessante periculo, frequentius administret. Vere laudabile est defunctis, si coemeterium non habeatur, domi justa persolvi, si ad ecclesiam (quod esset optandum) cadaver deferri non possit. Catholicos vero hortamur, ut ubique vel coemeteria ritu catholico benedicenda sibi comparent, vel ubi publica coemeteria sumptibus communibus praeparantur, partem sibi solis reservari procurent.

8. Cavendum est ne sacerdos in aliquam incidat avaritiae suspicionem, se testamentorum confectioni immiscens, si saltem in commodum ecclesiae vel pauperum, bonorum partem moribundus cedat. Sed ab insanis quorumdam clamoribus non deterreatur ab officio monendi eos qui injuste rapuerunt, ut nunc tandem restitutionem faciant; nec non eos hortandi qui nunquam in pauperes misericordiam fecerunt, ut tandem aliquando peccata sua eleemosynis redimant.

9. Quidquid ad pietatem fovendam aptum est, inter suos instituat; scholas feriales, et dominicales, nec non serotinas seu nocturnas nuncupatas aperiat; confraternitatem doctrinae Christianae fundet, cujus socii hisce scholis assistant; eas ipse frequenter visitet. *(Conc. Prov. Mediol*, II., dec. II.)

Devotionem erga Domini nostri passionem, et B. Virginem promoveat, e. g. Viam Crucis erigendo, Rosarium recitando, nec non pietatem erga Sacratissimum Cor Jesu et Immaculatum Cor Sanctissimae ejus Matris excitando, ac benedictionem Sanctissimi Sacramenti saepius impertiendo ([1]).

10. Videat tamen ut nihil introducat quod non fuerit ab Ecclesia approbatum. Quumque invaluerit usus recitandi, in minoribus ecclesiis praecipue in campestribus, orationes quasdam vulgari idiomate, ante et post missam, volumus ut nullae admittantur preces, maxime vero litaniae, quae ab Ecclesia non sint sancitae, vel ab Episcopo approbatae. Et quidem optandum videtur, ut haec Synodus aliquas personas pias deputet, ad effectum compilandi orationes, ex locis probatis, quae ritu uniformi ubique recitentur.

11. Sed volumus praesertim, ut quoties expedire judicaverit Episcopus missionem vel exercitia spiritualia ab aliquot viris religiosis, seu de clero, fidelibus sibi commissis tradenda procuret. Ita eveniet, ut surgant expergefacti qui in delictis dormiunt, tepidi ac debiles animentur et corroborentur, justi vero ac devoti ad ferventius pietatis studium inflammentur.

12. Rectoris ecclesiae, sive ordinarii, sive missionarii, designatio penes Episcopum est: ita ut nullum jus ad hujusmodi praelationem inde acquiratur, quod aliquis sacerdos secundum locum in missione occupaverit, vel etiam pro tempore eam administraverit.

13. Caveat ne assumat onera, temporalia vel spiritualia, successoribus transmittenda; v. g. pecunias fenore accipiendo, vel etiam promittendo fidelibus Missas pro benefactoribus perpetuo celebrandas, ut opera pia fundare, vel etiam ecclesias exstruere eorum inducat animos.

14. Qui curam gerunt animarum, ad residentiam se sciant teneri; et proinde nemo saepe, neque sine rationabili causa, a

(1) Videatur *Rescriptum* in Append., n° XXI., p. 72.

loco ubi ministerium suum exercet se subtrahat; et is qui abesse voluerit ultra paucos dies, licentiam in scriptis ab episcopo, vel vicario, obtineat. (*Conc. Trid.* sess. XXIII., cap. 1, *De reform.*; item, sess. v., cap. 2, *De reform.*)

DECRETUM XXVI.

De Collegiis seu Seminariis.

Summopere religionis augmento profuturum putamus, si seminaria, in quibus seorsim educarentur clerici, possent fundari. Sed quum in nostris collegiis ipsi, juventuti saeculari immisti, nunc instituantur, debemus pro virili parte adlaborare, ut ecclesiasticus spiritus inter eos vigeat, nec ad mundana desideria ipsorum corda deflectantur.

1. Juvenes seu pueri igitur eligantur qui signa vocationis non aequivoca dederunt; in quibuus jam fulgeat vitae innocentia, docilitas et pietas, cum ingenio non mediocri conjuncta. Examinatores deputentur, qui omnes in collegium, inter clericos admittendos, examini subjiciant; quique de illorum anteacta vita, non minus quam de animi dotibus, investigationem instituant.

2. Juvabit etiam, si per concursum alumni in collegia admittantur, ita tamen ut jura nulla existentia vel futura laedantur.

3. Quovis anno rector collegii episopo, vel episcopis, rationem reddet de profectu et moribus uniuscujusque alumni.

4. Diligenter instruantur, etiam si expediat seorsim, de re ascetica, in collationibus quovis mense habendis; methodum meditandi doceantur; rubricas ac caeremonias Ecclesiae apprime discant.

5. In cantu ecclesiastico exerceantur, postquam theorice didicerint. Et ut uniformitas introducatur, volumus ut ubique, sed maxime in collegiis, ubicunque in missa et in officiis adhibetur cantus planus seu Gregorianus, cantus Romanus solus adhibeatur. Orationes ergo, responsoria, epistola, evangelium et alia hujusmodi, prout in Caeremoniali episcoporum, vel in aliis authenticis libris traditur, canantur. Idem dicendum de rubricis, et caeremoniis ecclesiasticis; in quibus non pro lubito adoptandae consuetudines aliarum nationum, sed adhaerendum stricte definitionibus et regulis, et, his deficientibus, usibus et praxi S. Romanae Ecclesiae.

DECRETUM XXVIII.

De Regularibus.

Quum in Anglia viri regulari vitae addicti laudabiliter extra monasteria ut plurimum degant, ministerium scilicet sacrum exercentes, expedit ut etiam de illis agatur; ita tamen ut privilegia et exemptiones quibus, suis in domibus vel extra, legitime gaudent, ultro admittamus, nec ullo modo laedere intendamus.

1. Ecclesiae missionariae et publicae, quae a regularibus deserviuntur, subjectae sunt visitationi episcopi; a quo, testante S. Tridentina Synodo "quaecumque in dioecesi ad Dei cultum spectant, diligenter curari, atque iis, ubi oportet, provideri, aequum est" (1). Debet igitur Episcopus, prout ecclesiis a sacerdotibus saecularibus administratis, ita iis invigilare, in omnibus quae ad Divinum cultum, Sacramentorum administrationem, verbi Dei praedicationem, et generatim ad curam animarum referuntur, ita tamen ut non inhibeat ritus, si qui sint, in celebratione Missae pro Ordine Religioso ecclesiae addicto legitime approbatos, vel calendarii proprii observantiam.

2. Quum grave incommodum provenire facile possit ex inopinata missionariorum Regularium translatione seu revocatione, praesertim si fiat invito vel inconsulto Episcopo, haec Synodus a provincialibus et superioribus Ordinum instanter, pro bono pacis et animarum salute, efflagitat, ut cum Episcopis concorditer agant in instituendo vel removendo sibi subditos missionarios. Quum enim pastor caeteris diligentius agnoscat vultum pecoris sui, et consideret super gregem suum (*Prov.* XXVII.), quumque ipsi a Domino commissa fuerit ovium custodia, decere videtur, ut quod gregi vel valde nocere vel prodesse necessario debeat, ipso non inscio, sed potius, si fieri possit, probante, statuatur (2).

3. Sacerdos regularis a superiori regulari, alicui missioni, vel audiendis saecularium confessionibus destinatus, Episcopo est

(1) Sess. XXI., cap. 8, *De ref.*, lib. III. *Decret.*, tit. XXXVII., *De capellis monach.*, sec. III., 18.

(2) Videatur hac super re *Epistola* relata in Append., n° XXII. p. 72. Necnon *Istruzione* in Append., n° V. p. 92.

praesentandus, cujus erit ipsius scientiam theologicam, etiam si voluerit per suos examinatores, exploratam habere, antequam petitam approbationem illi concedat.

4. Viri religiosi, qui missionariorum officio funguntur, caeteros antecellere debent arctiori vitae disciplina, mundanarum rerum contemptu, ac sublimioris contemplationis studio. Quamobrem, donec missionibus inserviendis incumbunt, iis decretis se subjectos teneant, quae pro vita honesta clericorum custodienda et confirmanda supra tulimus. Optandum est ergo ut vestibus eisdem quibus sacerdotes saeculares, induti incedant, nisi sui ordinis proprium habitum gerant: ab iisdem se abstineant; eadem aut potius majora perficiant.

5. Nulla nova domus religiosa fundetur, sine expresso ordinarii consensu (1).

DECRETUM XXVIII.

De Sanctimonialibus.

1. Monasterium, seu domus nova religiosarum, non fundetur nisi de licentia episcopi, qui de instituto, ejusque legibus ac fine est plene informandus (2).

2. Praeter monasteria exempta, quae superiori alicui regulari jam legitime sunt subjecta, alia omnia visitationi ordinarii subduntur, etiamsi ab aliqua alia domo, etiam trans mare sita, dependeant.

3. Quum ob mutatas locorum et temporum circumstantias plura saepe in constitutionibus approbatis monialium, observatu difficilia, et plane impossibilia reperiantur, veluti sunt abstinentiae et jejunia, satius videtur, in talibus casibus, ad scrupulos tollendos ipsam regulam reformare, Apostolica obtenta auctoritate, quam dispensationem perpetuam, prout nunc fieri videtur, cum laqueo conscientiae concedere.

4. Ad confessiones monialium excipiendas deputentur viri ecclesiastici gravitate, prudentia et virtute conspicui; et confessarius extraordinarius unicuique monasterio assignetur, statutis temporibus.

(1) *Trid.*, sess. xxv., cap. 3. *De regul.*
(2) *Ibid.*

5. Administrationi oeconomicae monasteriorum non exemptorum invigilet solerter episcopus, providendo vel per se vel per alium rectae bonorum administrationi gerendae. Status administrationis, etiamsi moniales ordini regulari subsint, episcopo est exhibendus. Monialium dotes in utilibus iuvestimentis ponantur, ut certum redditum annualem producant; neque extraordinarii inducantur sumptus absque episcopi approbatione.

DECRETUM XXIX.

De Episcopis.

Quum oporteat judicium incipere a domo Dei (*I Petr.* IV., 17), quumque episcopus, factus forma gregis ex animo (*Ib.* V., 3), non tantum sacrarum vestium splendore, nec etiam ecclesiasticae dignitatis gradu, quantum virtutum praestantia et vitae candore, populum et clerum debeat antecellere, idcirco etiam quae ad nos referuntur non erunt silentio praetereunda; sed potius, timentes ne dum aliis praedicamus, ipsi reprobi fiamus, circa nostri muneris officia, sequentia praescribenda censemus.

1. Quod de accurata cognitione gregis sibi commissi a sacerdote comparanda supra dictum fuit, id majus vere de episcopis observandum. Ipsi enim, veluti speculatores super muros Jerusalem positi, undequaque indefesso zelo vigilare debent. Igitur dioecesim accurate addiscant, exactas de singulis locis relationes exigentes.

2. Sed his non contenti, totam dioecesim ipsi perlustrent. Quod quidem facilius evadet, si episcopus dioecesim in tres partes dividat, ita ut unam partem quotannis invisat; totamque in triennio investiget, in unaquaque ecclesia confirmationis sacramentum administrans.

3. Sed quod maximi est momenti, visitationem episcopalem, statutis temporibus, facere non negligat. Et quidem hujusmodi visitatio non quovis modo est habenda, neque juxta aliquam quae jam vigeat, consuetudinem, sed quantum fieri potest, ad normam in Pontificali Romano praescriptam. Episcopus igitur ecclesiam, presbyterium, scholas, coemeterium, et omnia quae in eorum ambitu continentur, et quae in iis servantur, vasa quoque sacra, sacram supellectilem, altaria, tabernaculum, et quidquid

ad Dei cultum vel Sacramentorum administrationem pertinet, diligenter lustrabit, inspicietque. Si quid vero emendandum deprehenderit, decreta emittat ad hunc effectum, quae per Vicarium Generalem, vel Foraneum, exsecutioni dari curabit.

Meminerint Episcopi, ad normam Apostolicarum Constitutionum onus sibi incumbere statutis temporibus Romam veniendi, status propriarum diocesium S. Sedi exhibituri, et SS. Apostolorum limina visitaturi.

4. Cum aliqua nova ecclesia est condenda, totius aedificii ichnographia cum partium accurata delineatione est Episcopi conspectui subjicienda ; non tantum eo fine ut de operis decore vel elegantia judicium ferat, sed multo magis ut dignoscat, utrum omnia rubricis et ecclesiasticis legibus sint conformia, et etiam utrum ad fidelium pietatem fovendam aedificii ratio possit conducere. Diligenter igitur inspiciat, utrum altaria sint magnitudinis sufficientis, et expositioni Sanctissimi Sacramenti apta (ubi haec fieri solet), utrum gradus presbyterii sint recte dispositi, et sedes ministrantium juxta rubricas constructae : utrum etiam fideles altare, et sacros ritus qui in eo peraguntur, facile discernere valeant. Nec sinat architectum ad aedificationem progredi, nisi in his omnibus, rubricis, decretis et usibus approbatis Ecclesiae se conformaverit.

5. Post peractam hanc provincialem Synodum, et a S. Sede ejus emendata vel approbata Decreta, singuli Episcopi dioecesanas convocabunt Synodos, in quibus Provincialis hujus Concilii promulgabunt decreta, et ea quae hic vel alibi, in tali Synodo peragenda vel decernenda praescribuntur, facient et decernent. Dioecesanam Synodum, si fieri potest, quotannis celebrabunt.

6. Nullus Episcopus ordinet clericos ex aliena dioecesi oriundos, sine litteris testimonialbus, vel dimissoriis proprii Episcopi. Servetur autem haec regula relative ad conversos ad fidem, qui se sacro ministerio desiderant mancipare.

7. Sacerdos, a dioecesi cui est addictus discedere volens, debet muniri litteris excorporationis sui Ordinarii, neque Episcopus alienum sacerdotem sine talibus litteris suae dioecesi aggregare possit (1).

(1) De usu pontificalium ab episcopis, extra suas dioeceses *vid.* Append., n° XXIII. p. 73.

STATUTA CAPITULARIA

IN SYNODO PRIMA PROVINCIALI WESTM. APPROBATA.

I. De Canonicis in genere.

1. Canonici meminisse debent se in senatum episcopi dioecesani accitos fuisse, ideoque debere ipsum juvare, et clericis totius dioecesis praelucere in exercitio virtutum, quae statum ecclesiasticum praecipue decent.

2. Expedit ut singuli saepe legant statuta capituli, quo melius et efficacius servare possint quae in ipsis decernuntur.

3. Singuli attente colligent ex S. canonibus authenticisque eorum interpretationibus, quaenam sint obligationes, et quaenam sint jura canonicorum, ut, dum haec accurate perpendunt, illas etiam rigorose adimpleant.

4. Summopere commendamus, ut canonici ad id vires opesque suas conferant, ut paulatim praebendae formentur cathedrali ecclesiae annexae, quatenus, favente Domino, canonici, apud ecclesiam ipsam residentes, divina officia persolvant, et facilius possint episcopum in dioecesi regenda sublevare.

5. Canonici ad hoc saepe implorabunt auxilium atque intercessionem sancti N. sub cujus invocatione ecclesia cathedralis dedicata est.

II. De Admissione Canonicorum.

6. Canonicus, acceptis litteris suae promotionis, personaliter vel saltem per epistolam, earum exemplum ad Reverendum adm. D. praepositum *(Very Rev. the Provost)* transmittet, eumque rogabit, ut ad possessionem sui Canonicatus admittatur. Praepositus ipsi deinde significabit diem proximae convocationis capituli, ad quam praesentare possit litteras praedictas. Canonicus neque privilegiis uti, neque ulla jura exercere valet, nisi post captam possessionem sui canonicatus.

7. Die a capitulo praefixo, novus canonicus, cum duobus canonicis ab ipso rogatis hinc inde assistentibus, litteras suae

nominationis capitulo exhibebit. Deinde professionem fidei coram capitulo proferet. (*Conc. Trid.* sess. XXIV., c. 12, *De reform.*) Praeterea vero, observandum quod Tridentina Synodus sub poenis ibi relatis imperat: scilicet ut "teneatur a die adeptae possessionis ad minus intra duos menses, in manibus ipsius episcopi, vel, eo impedito, coram generali ejus vicario, seu officiali, orthodoxae suae fidei publicam facere professionem; et in Romanae Ecclesiae obedientia se permansurum spondeat ac juret." Postea emittet declarationem sequentem:

"Ego N., electus canonicus hujus ecclesiae cathedralis, declaro me cum debito obsequio accipere statuta hujus capituli, et promitto obedientiam de secreto servando, etiam sub gravi, quoties episcopus vel capitulum praeceperit."

8. Tunc praepositus canonico electo adsignabit stallum et convenientibus verbis ipsum nomine totius capituli adloquetur.

9. Capitulum neque exigere neque accipere a novo canonico aliquid potest, propter nominationem vel installationem. Optandum est ut dispendium vitetur, quantum fieri potest, quoties capitulum convenire contigerit, et praesertim in celebrando novorum canonicorum ingressu (1).

III. De Praecedentia Canonicorum.

10. Praeposito competit primum stallum, vel prima sedes post episcopum.

11. Post ipsum sedebit canonicus senior juxta tempus suae possessionis; deinde caeteri canonici successive locum suum habere debent.

12. Functiones caeremoniales episcopales non ad vicarium capitularem pertinent, sed ad primam dignitatem capituli. S. R. C. Aug. 7, 1627.

13. Praecedentia debetur vicario capitulari super omnes de capitulo, excepta dignitate vel alio repraesentante capitulum. S. R. C. Junii 12, 1638; Aprilis 2, 1667.

14. Vicario capitulari locus competit, tam in choro quam in processionibus, a sinistris dignitatis; vel, prima dignitate deferente sanctissimum Sacramentum, a sinistris primi et

(1) Qua de re prae oculis habenda quae egregie tradit MONAICELL, *Formular. legale*, part. III., tit. 3, form. IX.

dignioris canonici repraesentantis Capitulum. S. R. C. Martii 16, 1658.

15. Vicarius Generalis Episcopi in choro, in ecclesia, et ubique, praecedere debet omnibus canonicis et praeposito. (S. R. C. in Nicien. Octobris 2, 1677.) Sed functiones quae ad Episcopum pertinent, ipso absente, a dignitate et canonicis successive, non vero a Vicario Generali sunt peragenda. S. R. C. Februarii 25, 1606.

16. Attendatur praesertim Decretum S. R. C. in Casalensi 5 Julii 1614: "Quoad praecedentiam inter Vicarium Generalem, et canonicos ecclesiae Casalensis, S. R. C. censuit non esse recedendum a decretis alias in similibus causis factis; nempe praecedentiam dandam esse Vicario Generali super omnes dignitates et canonicos, dummodo ipse Vicarius non sit de numero ipsarum dignitatum et canonicorum; quia tunc deberet sedere, incedere in suo loco, sive stallo, ut distributiones quotidianas lucrari posset; et dummodo canonici non sint sacris vestibus parati, quia tunc ratione paramentorum debet Vicarius cedere locum digniorem canonicis paratis" (1).

IV. De Divinis Officiis et Servitio Chorali.

17. Inhaerentes decreto S. C. de Propaganda Fide, injungimus quod singuli canonici, legitimo cessante impedimento, quolibet mense, diebus per Episcopum ineunte anno designandis, (salvo tum jure Capituli saepius conveniendi, de consensu tamen Episcopi, tum etiam jure Episcopi illud cum voluerit convocandi,) conveniant ad Ecclesiam Cathedralem, ut recitent psallendo Tertiam officii currentis, et deinde assistant Missae solemni. Officia vero celebrantis et ministrorum ita distribuenda erunt, ut regulariter per omnes canonicos adimpleantur. Ubi autem Episcopus celebraverit, habet jus eligendi suos ministros, nullo attento praecedentiae ordine.

18. Tertia incipiet hora decima circiter, ad quam omnes adesse debent, et senior canonicus in choro praesens (si exierit praepositus ut paramenta assumat) hebdomadarii vices geret. Duo vero canonici, ad hoc munus eligendi quotannis, cantores vocabuntur, et aliis praecinere debebunt.

(1) De habitu canonicali, v. *Rescript.* in Append., nº XXIV., p. 74.

19. Horas canonicas alte et intelligibili voce, digne, attente et devote recitent pariter, nec altera pars chori versiculum suum incipiat antequam altera pars suum bene compleverit, interjecta semper congrua pausula ad asteriscum. Unusquisque, recitando officium cum aliis, debet ad integri officii recitationem concurrere, supplens audiendo quod omittet recitando. (*Synod. Fulgin.*)

20. Juxta rubricas, pro temporis et officii diversa ratione, omnes surgant, stent, sedeant, genuflectant, caput bireto tegant aut detegant, vel inclinent omnes contemporanei et uniformes; et unanimiter omnes eodem corporis situ, unisono vocum concentu, ac mentium elevatione, cantent aut respective attendant.

21. Ad Missam canonici meminerint se praestare teneri non solum praesentiam sed etiam vocem, bini ac bini submisse dicentes ea quae recitari debent juxta rubricas.

22. Quum omnibus aliis ecclesiis cathedralis praeeminere debeat in iis quae ad cultum divinum spectant, omnes cum maxima devotione, pietate et gravitate ad missae celebrationem adstent, et accurate servent rubricas missalis, et caeremonialis, et authentica S. R. C. responsa et decreta.

23. Ad formam decreti S. Congregationis card. interpretum S. Concilii Tridentini, duo canonici, alter ab episcopo, alter a capitulo deputati, invigilare debebunt exactae observantiae omnium quae ad Missae et divinorum officiorum convenientem recitationem pertinent. (Jun. 18, 1589, apud CRESPIN., *De visit.*, p. 387.)

V. De Ecclesia Cathedrali.

24. Jus administrationis temporalis et spiritualis ecclesiae cathedralis integrum permaneat apud episcopum, nisi aliter auctoritate S. Sedis fuerit provisum. Capitulum tamen potest ibi divina officia peragere.

25. Ad formam Concilii Tridentini oeconomum de suo gremio capitulum deputabit, sede vacante, ad curam gerendam ecclesiae cathedralis.

VI. De Dignitate, Officiis, et Officialibus.

26. Unica dignitas erit *praepositura*, quae S. Sedi reservatur.

27. In capitulo erit canonicus theologus, qui loco, diebus et horis ab episcopo definiendis, lectiones de argumento pariter ab episcopo praefiniendo tradere debet.

28. Canonicus poenitentiarius erit insuper, qui tenebitur audire confessiones in ecclesia ab episcopo designata, tempore Adventus, Quadragesimae, ac aliis quibuscunque anni temporibus, quae episcopus illi praescripserit.

29. Vacante canonicatu theologali vel poenitentiario, concursus erit habendus inter eos qui licentiam sui episcopi habuerint ad concurrendum, et ab episcopo loci fuerint admissi, ut ex approbatis in concursu S. Sedes vel episcopus eligat magis idoneum. Alii jam canonici possunt concurrere, si fuerint rite admissi.

30. Alternativa propositio trium candidatorum ad canonicatum vacantem, a S. Sede concessa, locum non habet in nominatione canonici theologi vel poenitentiarii, si ea vice nominatio ad capitulum spectare contigerit. Alternativa designatio candidatorum suum cursum debet habere, veluti si nominatio theologi, poenitentiarii, vel dignitatis non intercessisset.

31. In primo conventu singulorum annorum, canonici eligent *secretarium* capituli, *thesaurarium*, et *sacristam* et *caeremoniarium*, pro rebus et muneribus ad capitulum spectantibus.

32. Secretarius debet accurate transcribere acta capituli, et omnia documenta ipsius nomine mittenda vel recepta coram toto capitulo praelegere prima sessione proxime habenda. Ad valorem documentorum requiritur appositio sigilli capitularis et subscriptio praepositi et secretarii, vel eorum qui auctoritate capituli ipsorum vice funguntur. Custodia sigilli est apud praepositum, et apud secretarium cum duabus clavibus diversis.

33. Thesaurarius rationem in sessione Januarii reddet de omnibus pecuniis ad capitulum quomodocunque pertinentibus, et absque capituli decreto illas expendere nequit.

34. Caeremoniarius et sacrista debent curare ut ecclesia disponatur ad functiones capitulares in ipsa peragendas. Praeterea munere punctatorum fungentur; ita ut ad ipsos spectet absentes punctare, praesentiumque canonicorum notam in libro capitulari tenere. Episcopo vero liberum erit, ut exquirat ac examinet librum quo canonicorum frequentia adnotatur.

VII. De Sessionibus Capitularibus.

35. Sessiones ordinariae habendae sunt post celebratam Missam feriis jam indicatis; extraordinariae quoties episcopus eas habere voluerit, vel quoties praepositus capitulum convocaverit. Rogatus a majori parte canonicorum, praepositus obligatur ad convocandum capitulum, dummodo sit facta sub hac forma petitio: "Nos subscripti petimus ut capitulum convocetur die.... mense.... anno...., et hora.... testantes nos hoc requirere gravibus de causis, et horam esse commodam omnibus capitularibus." Episcopi vero assensus, hujusmodi conventui extraordinario habendo, est necessario obtinendus: qui etiam praefiniet quando apud ipsum sit conventus habendus.

36. Ad sessiones tam ordinarias quam extraordinarias vocandi sunt canonici per litteras tenoris sequentis, "R. Domine... hora... die... habebitur sessio capitularis in aula capitulari, vel in aedibus Reverendissimi Domini Episcopi. De mandato Episcopi seu Praepositi, [N.], Secretarius."

37. Elapsa quarta parte horae post tempus assignatum, praepositus vel senior canonicus per sonitum campanulae canonicos monebit sessionem esse incoeptam: et omnes, genibus flexis, recitabunt orationem: *Adsumus Domine.*

38. In fine capituli recitabitur antiphona B. M. V. de Tempore.

39. Tunc sedebunt omnes juxta ordinem sui canonicatus, scilicet suæ possessionis, incipiendo a juniore capituli; omnes qui loqui voluerint sententiam suam aperiant, super negotio proponendo a Praeposito, vel ab alio canonico ab ipso indicato, et si fieri potest per eum qui negotium idem pertractandum proposuerit. Postquam semel quis explicaverit quae dicenda sibi videntur, taceat, et nequeat amplius loqui nisi de assensu capituli. Tandem juxta constitutionem 36 Alexandri VII, singuli secreto sub poena nullitatis votum suum conferent.

40. Quoties agendum erit de aliquo negotio tangente commodum alicujus capitularis, vel propinquorum ejus usque ad secundum gradum inclusive, idem canonicus non potest interesse capitulo quoad illum actum, ut caetera magis libera sint vota; secus actus ipse sit irritus. *(Synod. Fulginat.)*

41. Praesentibus tribus canonicis tempore praefinito, ad actus capitulares procedi protest etiam absente dignitate, dummodo canonice facta fuerit capituli Convocatio.

42. Post mortem Episcopi singuli Canonici aderunt ut ejus funeri debito cum honore faciendo assistant. Et intra octo dies a morte Episcopi, Capitulum nominabit per liberam electionem suum Vicarium, qui ad tramites canonum dioecesim regere possit, quique semel nominatus non potest revocari a Capitulo, quique unus tantum esse potest.

43. Tunc loco et die ab Archiepiscopo, vel, eo impedito, vel demortuo, ab Episcopo seniore assignando, non tamen ultra mensem a die mortis Episcopi, Capitulum convocabitur ; et, celebrata per Canonicum digniorem missa de Spiritu Sancto, et praestito a singulis juramento de secreto servando, Canonici suffragia sua secreto deponent in urna ad hoc disposita. In primo suffragio singuli adnotabunt nomen illius personae ecclesiasticae quam ad Sedem vacantem magis idoneum in Domino judicaverint. Haec vero suffragia in scriptis dabuntur, nulla discussione praecedente in conventu capitulari, et a tribus scrutatoribus in initio sessionis electis excipientur. Ita tamen plicanda sunt ut nonnisi nomen proponendi legi possit. Nomen proponentis interius scribatur, et suffragium sit bene clausum sigillo non noto. Stylus vero scriptionis sit diversus ab eo, quo utitur ordinarie is qui suffragium fert. Deinde, ex comparatione suffragiorum, scietur si quis habuerit totidem suffragia sibi favorabilia, quot excedunt medietatem suffragiorum tam praesentium, quam absentium per procuratores repraesentatorum non vero absentium absque procuratore. Publicatis post quodlibet scrutinium nominibus, comburantur ipsa suffragia.

44. Absentes tamen non valent per litteras votum suum aperire, sed per procuratorem e gremio Capituli eligendum, et munitum legitimo mandato, quod non potest admitti nisi propter causam, vere necessariam, clare descriptam et Capitulo probandam ; vel propter infirmam valetudinem, quo in casu exprimatur quod de consilio unius saltem medici et unius Canonici documento ipsi se subscribentium, capitularis nequit adesse. Procurator est admittendus duntaxat ad tres schedas tradendas continentes nomina et praenomina deligendorum.

45. Quod si in primo scrutinio nullus fuerit assecutus majorem numerum, iterum suffragia ferantur usque dum unus fuerit illum assecutus.

46. Hac etiam ratione procedendum erit ad designationem alterius et tertii candidati. De hisce omnibus instrumentum fiet his terminis.

"Vacante propter obitum vel..............R. P. Dni. [N. N.] Sede [N.] Capitulum sessionem secretam habuit, hac die... sub praesentia R. P. Dni. [N. N.] Archiepiscopi vel... in qua post celebratam missam de Spiritu Sancto, electi fuerunt Scrutatores R. D. [N. N.], R. D. [N. N.], R. D. [N. N.]

"Facto ter scrutinio constat ex majore numero suffragiorum proponendos esse S. Sedis judicio viros ecclesiasticos quorum nomina hic ordine alphabetico describuntur:

Rev. Dnus. [A.]
Rev. Dnus. [B.]
Rev. Dnus. [C.]

"Omnia vero peracta fuerunt ad tramites decretorum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide.

"In quorum fidem has praesentes rite publicatas in Capitulo, munitas sigillo capitulari, et sub manu Praepositi, Secretarii, et Scrutatorum, Capitulum dari jussit die... Mensis... Anni...

	A. *Praepositus*	G.	
L. ✠ S.	D. *Secretarius*	M.	} *Scrutatores.*"
		N.	

Tria vero exempla authentica fiant, quorum unum apud Capitulum asservetur, alterum apud Archiepiscopum, tertium vero ab Archiepiscopo ad Sac. Cong. de Propaganda Fide transmittatur.

47. Idem ordo suffragia ferendi, eaque in manus Scrutatorum deferendi, servetur in proponendis tribus ecclesiasticis ad canonicatus vacantes quando propositio spectat ad Capitulum. Omittatur vero documentum supra-memoratum et ejus loco substituatur aliud ita expressum.

48. "Vacante canonicatu propter mortem, resignationem, etc., Capitulum sessionem solemnem habuit die... mense... 18... in qua post missam de Sancto Spiritu, electi fuerunt Scrutatores

R. D. [N. N.], R. D. [N. N.], R. D. [N. N.] Facto ter scrutinio, constat ex majore suffragiorum numero proponendos esse Illustrissimo et Reverendissimo Episcopo tres ecclesiasticos quorum nomina sequuntur.

"Ex scrutinio I° Titus.
„ II° Franciscus.
„ III° Josephus.

"In quorum, fidem has praesentes rite publicatas in Capitulo, munitas sigillo capitulari, et sub manu Praepositi, Secretarii, et Scrutatorum, Capitulum dari jussit die... Mensis... Anni...

L. ✠ S.	A. *Praepositus.*	G.	*Scrutatores.*"
	D. *Secretarius.*	M.	
		N.	

VIII. De Decessu Canonicorum.

49. Quoties Capitulum convenire nequit ad funus canonico defuncto faciendum, singulos canonicos hortamur ut pro confratre suo missae sacrificium quamprimum offerant.

IX. De Statutis in genere.

50. Copiae resolutionum capitularium Episcopo requirenti, utpote cui incumbit invigilare et recognoscere, ne quidquam per capitulares decernatur contra juris dispositionem, vel in praejudicium Ecclesiae, a Canonicis denegari non possunt, illasque a canonicis Episcopus exigere valet sub poenis et censuris; non obstante quod aliquando adesse possint lites inter Episcopum et Capitulum; nedum quia ibi non panduntur motiva, et merita et secreta causa, sed eo magis, quia licet tali casu Episcopus interventum habere nequeat in Capitulo ne tollatur canonicis libertas votandi, facta tamen resolutione, ex hoc capite, ei negari nequeunt hujusmodi capitulares resolutiones.

51. Interpretatio statutorum facienda est ex juris communis principiis.

52. Notandum de jure communi aliquando requiri ad valorem actuum capitularium consensum omnium canonicorum; semper vero saltem majoris numeri omnium in sessione capitulari praesentium, et pro condendis novis statutis duarum saltem ex tribus partibus suffragiorum.

ELENCHUS

COUNCILII DECRETORUM,

CUM NUMERO ARTICULORUM.

Omnia et singula in hac Synodo statuta, decreta, et acta, qua decet obedientia et reverentia auctoritati, correctioni, et

emendationi Sanctae Romanae Ecclesiae, omnium Ecclesiarum Matris et Magistrae, et Romani Pontificis, Christi Vicarii judicio, emendanda, corrigenda, mutanda subjicimus.

Ego, NICOLAUS cardinalis WISEMAN, Archiepiscopus Westmonasteriensis definiens subscripsi.

✠ Ego, JOANNES, Episcopus Beverlacensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, GULIELMUS, Episcopus Northantoniensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, THOMAS JOSEPHUS, O.S.B., Episcopus Newportensis et Meneviensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, GULIELMUS BERNARDUS, O.S.B., Episcopus Birminghamiensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, GULIELMUS, Episcopus Hagulstadensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, THOMAS, Episcopus Suthwarcensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, GULIELMUS, Episcopus Salfordiensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, GEORGIUS, Episcopus Plymuthensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, THOMAS, Episcopus Cliftoniensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, JACOBUS, Episcopus Salopiensis, definiens subscripsi.

Ego, JACOBUS CROOKE, Episcopi Liverpolitani, procurator ejus nomine subscripsi.

Ego, FRANCISCUS CHEADLE, Procurator Episcopi Nottinghamiensis, ejus nomine subscripsi.

RODOLPHUS BAGNALL, Canonicus Birmingham.
ALEXANDER GOSS, Canonicus Liverpolitan.
GULIELMUS CLIFFORD S. T. D.
} a secretis.

APPENDIX.

PARS I,

CONTINENS DOCUMENTA QUÆ IN ACTIS SYNODI, TAM IN TEXTU QUAM IN NOTIS, ALLEGANTUR.

I.

LITTERÆ APOSTOLICÆ

PRO INSTITUTIONE CAPITULORUM CATHEDRALIUM.

PIUS PP. IX.

Ad futuram rei memoriam. Nostris apostolicis litteris, quae die XXIX mensis Septembris proxime elapsi sub annulo Piscatoris datae sunt, instauravimus in florentissimo Angliae regno ordinariam episcopalem hierarchiam, constituentes in illo metropolitanam ecclesiam Westmonasteriensem, et ejusdem suffraganeas episcopales Ecclesias Suthwarcensem, Hagulstadensem, Beverlacensem, Liverpolitanam, Salfordiensem, Cliftoniensem, Plymuthensem, Nottinghamiensem, Birminghamiensem, Northamptoniensem, Salopiensem, necnon Meneviensem et Newportensem invicem unitas, atque insuper declaravimus illorum omnium procurationem exigendam esse ad communes Ecclesiastici juris regulas, quas quidem eo in regno in omnibus, quae ad religionem et Ecclesiam catholicam pertinent, servandas fore decrevimus, prout in supradictis nostris litteris uberius explicatum est. Deinde aliis pluribus litteris apostolicis datis pariter sub annulo Piscatoris, suos tribuimus pastores tum archiepiscopali Ecclesiae Westmonasteriensi, tum aliis septem Ecclesiis Hagulstadensi nimirum, Beverlacensi, Liverpolitanae, Cliftoniensi, Birminghamiensi, Northamptoniensi, et Ecclesiis

invicem unitis Meneviensi et Newportensi: ac tempus praesto-lantes, quo caeteris etiam suos dare Episcopos valeamus, commisimus interea Westmonasteriensi Archiepiscopo administrationem Ecclesiae Suthwarcensis, Episcopo Liverpolitano administrationem Ecclesiae Salfordiensis, Episcopo Cliftoniensi administrationem Ecclesiae Plymuthensis, Episcopo Birminghamiensi administrationen Ecclesiae Nothinghamiensis, ac tandem Episcopo Ecclesiarum unitarum Meneviensis et Newportensis administrationem demandavimus Ecclesiae Salopiensis. Hisce igitur per diversas supra commemoratas Nostras Apostolicas Litteras ita constitutis, curas modo nostras convertimus ad institutionem Collegiorum canonicalium, eamque, ut celerius perfici valeat, ipsis Praesulibus jam institutis duximus committendam. Itaque motu proprio, et ex plenitudine Apostolicae Nostrae auctoritatis dilecto filio nostro Cardinali Archiepiscopo Westmonasteriensi, et Venerabilibus fratribus Episcopis Hagulstadensi, Beverlacensi, Liverpolitano, Cliftoniensi, Birminghamiensi, Northamptoniensi, et Episcopo unitarum Ecclesiarum Meneviensis ac Newportensis committimus atque mandamus ut unusquisque illorum Nostro nomine, et ex delegata a Nobis potestate constituat in dioecesi sua Capitulum, quod ex una saltem dignitate et decem canonicis constet. Ad memoratas autem unitas Ecclesias Meneviensem et Newportensem quod attinet, satis in praesens esse censemus, ut unicum pro utraque capitulare Collegium instituatur. Mandamus insuper, et eidem Metropolitano Antistiti, atque Episcopis Liverpolitano, Cliftoniensi, Birminghamiensi, nec non Episcopo unitarum Ecclesiarum Meneviensis et Newportensis potestatem facimus, ut quisque illorum cathedrale Capitulum eodem plane modo et ex delegata pariter Apostolica auctoritate constituat, in ea etiam Ecclesia cujus administratio eidem a Nobis demandata est. Jam vero Capitula ipsa, ut primum instituta fuerint, omnibus fruentur juribus, omnibusque obligationibus tenebuntur, quae metropolitana aut cathedralis cujuscunque Capituli ex communi sacrorum canonum jure propria sunt. Igitur quoties deinde contigerit ut aliqua ex metropolitana aut episcopalibus Angliae Ecclesiis pastore suo viduetur, et nemo sit, cui ejusdem admini-

stratio a Sancta hac Sede fuerit demandata, pertinebit ad Capitulum in illa institutum, ut dioecesis procurationi prospiciat per deputationem Vicarii Capitularis, atque ad eum modum, qui communi canonum jure, et Tridentini Concilii decreto praescriptus est. Quod si ejusmodi alicujus Ecclesiae vacatio contingat antequam in illa Capituli institutio facta fuerit, vel si Capitulum in ea constitutum officio suo rite atque praefinito tempore functus non sit, servandae pariter erunt communis Ecclesiae juris Tridentinique Concilii regulae, ad quarum tramites cura eadem, et Vicarii deputatio ad Metropolitanum Antistitem, vel ad antiquiorem alium Episcopum pro casuum varietate spectabit. Haec decernimus, mandamus, committimus, et declaramus, non obstantibus iis omnibus, quae in supradictis Nostris Apostolicis Litteris die XXIX Septembris hujus anni datis non obstare decrevimus, caeterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XIX mensis Novembris MDCCCL, Pontificatus nostri anno quinto.

A. CARD. LAMBRUSCHINI.

L. ✠ S.

II.

EXTENSIO PRAECEDENTIUM FACULTATUM.

Ex audientia Sanctissimi habita die 10 Augusti, 1851, Sanctissimus Dominus Noster Pius, divina Providentia PP. IX, referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide secretario ad preces R. P. D. Thomae Grant, Episcopi Suthwarcensis, benigne annuit ut quatenus vel in omnibus vel saltem in nonnullis Ecclesiis Anglicani regni canonicorum Capitula nondum erecta fuerint per Antistites, quibus cura hujusmodi fuerat demandata in Apostolicarum Litterarum diei 19 mensis Novembris 1850, idem per Episcopos qui memoratis Ecclesiis praeficiuntur executioni demandetur, quibus proinde facultates

omnes in antedictis Apostolicis Litteris concessae tribuuntur, contrariis quibuscunque minime obstantibus.

Dat. Romae ex Aed. dic. S. Congregationis die et anno ut supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quocunque titulo.

Al. Barnabò, *a secretis.*

L. ✠ S.

III.

CIRCA CAPITULA CATHEDRALIA PRO ECCLESIIS IN ANGLIA NOVITER ERECTIS.

DEC. S. CONG. DE PROP. FIDE.

Quae circa erectionem Capitulorum cathedralium, ex conventu superiore anno inter Episcopos Angliae habito, ab Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Nicolao Wiseman Archiepiscopo Westmonasteriensi fuerunt relata, in Sacra Congregatione diei 5 Aprilis 1852 proposita sunt: cumque manifestum existat, ob adjuncta Ecclesiarum recenter institutarum, nonnulla quae in jure canonico de Capitulo Ecclesiae Cathedralis constituta habentur, exsecutioni statim in memoratis ecclesiis mandari haud posse; si Sanctissimo Domino placuerit Eminentissimi Patres instructionem transmittendam censuerunt, ut ratio traderetur ea in re servanda donec aliter decernatur.

Cum canonicales praebendae desint, et canonici curae animarum, juventutis instutioni, aliisque officiis pro religionis bono, attento etiam mediocri sacerdotum numero, per dioecesim vacare debeant; existimarunt Eminentissimi Patres annuendum ut iidem ab onere residentiae penes Cathedralem, et sacra officia persolvendi eximantur, ita tamen ut in proxima Synodo provinciali Episcopi curent de nonnullis diebus designandis, in quibus canonici chorum adire atque officia peragere teneantur, utque etiam apud Episcopum congregentur, praesertim pro negotiis circa quae, ex sacris canonibus, Capituli sententia est exquirenda.

Item probanda visa est methodus proposita pro eligendis canonicis adeo ut prima vice omnes, comprehensis quoque dignitatibus, per Episcopos libere eligantur juxta breve Apostolicum: in posterum vero, observata mensium distinctione circa collationem S. Sedis rescripto peragendam, in reliquis alternis vicibus nominatio fiat, vel libere per Episcopum vel per Capitulum, ea tamen ratione ut tres ecclesiastici viri semel, iterum, vel tertio, Episcopo exhibeantur, ut idoneus, et undequaque commendatus ab eodem canonicus instituatur; aliter electio libere ad Episcopum pertineat.

Placuit etiam Eminentissimis Patribus propositio Episcoporum ut dignitas in Litteris Apostolicis pro singulis Cathedralibus Capitulis decreta titulo *Praepositi* distinguatur.

Constituendi pariter erunt canonici theologus ac poenitentiarius, qui prima hac vice absque concursu ab Episcopis pariter eligantur; deinde vero ad tramites sacrorum canonum: poenitentiarius autem quoad fieri potest penes Cathedralem Ecclesiam moretur in proxima vero Synodo agatur de lectionibus per canonicum theologum habendis ad tramites dispositionum canonicarum habito tamen respectu ad temporum locorumque circumstantias.

Cumque demum congruum admodum existat, ut qui in Ecclesiae senatum, consiliarios Episcopi ac praecipuos adjutores ejusdem pro administratione dioeceseos assumuntur, habitu quoque aliqua ratione distinguantur, admissa fuit Antistitum petitio ut canonici, nulla facta distinctione dioeceseos aut gradus, supra superpelliceum assumant mozzetam nigri coloris, non tamen sericam, juxta formam ab Eminentissimo ac Reverendissimo Archiepiscopo Westmonasteriensi designandam.

Sententiam S. C. Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX ab infrascripto secretario relatam in audientia diei 6 Aprilis, Sanctitas Sua benigne probavit, opportunis facultatibus concessis, eamdemque servari praecepit, contrariis quibuscunque non obstantibus.

Datum, etc., 21 Aprilis, 1852.

Al. Barnabò, *Secretarius.*

IV.

DE CAPITULO PLYMUTHENSI.

DEC. S. CONG. DE PROP. FIDE.

Cum in erectione Capituli Cathedralis Ecclesiae Plymuthensis juxta Litteras Apostolicas Sanctissimi Domini Nostri, datas die 19 Novembris anni 1850, difficultates occurrere possint quod statim canonici eo numero haud valeant constitui, prout in memoratis litteris praefinitus reperitur ; S. Congregatio de Propaganda Fide, in generali conventu diei 5 Aprilis 1852, ex voto Eminentissimi ac Reverendissimi D. Archiepiscopi Westmonasteriensis ac RR. PP. DD. Angliae Episcoporum, censuit supplicandum Sanctissimo, ut, firma in reliquis dispositione brevis remanente, Capitulum Plymuthense erigatur, etiamsi praestitutus canonicorum numerus haud statim compleri valeat.

Hanc vero S. C. sententiam Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. ab infrascripto secretario relatam in audientia diei 6 ejusdem mensis et anni, Sanctitas sua benigne in omnibus probavit, contrariis quibuscunque non obstantibus.

Datum, etc., 21 Aprilis, 1852.

Al. Barnabò, *Secretarius.*

V.

DE CAPITULO NEWPORTENSI ET MENEVIENSI.

DEC. S. CONG. DE PROP. FIDE.

Cum perspecta existant singularia merita Monastici Ordinis S. Benedicti quoad propagationem Christianae Religionis per Angliam, adeo ut privilegiis singularibus jamdiu in bonum Ecclesiae illius Institutum istud exornari meruerit ; cum modo etiam congregatio Anglo-Benedictina in ea sit voluntate, ut suam operam in bonum Ecclesiae Newportensis et Meneviensis

maximo studio conferat; Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus S. R. E. Cardinalis Nicolaus Wiseman Achiepiscopus Westmonasteriensis ac RR. PP. DD. Angliae Episcopi votum suum S. C. aperuerunt, ut Capitulum Cathedrale, quod juxta tenorem Litterarum Apostolicarum die 19 Novembris 1850 pro memorata Ecclesia unicum modo esse debet, ex ipso monastico Capitulo congregationis Anglo-Benedictinae in Newportensi urbe constituendo efficiatur, addita etiam facultate eligendi minorem numerum Capitularium, si statim decem juxta litteras Apostolicas haberi nequeant.

Re autem proposita in generali S. Congregationis conventu, habito die 5 Aprilis 1852, omnibusque rite perpensis, Eminentissimi Patres annuendum censuerunt, ea tamen ratione ut integrum Sedi Apostolicae jus maneat eligendi Episcopum etiam extra monachos, quoties necessitas aut utilitas id requirat; Archiepiscopus vero et Episcopi, auditis superioribus memoratae congregationis, instructionem conficiendam curent S. congregationis examini deinde subjiciendam, ut quae generatim pro regimine Ecclesiarum Angliae constituuntur, Ecclesiae Newportensi et Meneviensi, indulti hujus ratione habita, aptari possint.

Hanc vero S. Congregationis sententiam Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX relatam ab infrascripto secretario in audientia diei 6 ejusdem mensis et anni, Sanctitas Sua benigne in omnibus probavit ac ratam habuit juxta tenorem superius expositum, contrariis quibuscumque haud obstantibus, etc.

Datum, etc., 21 Aprilis, 1852.

Al. Barnabò, *Secretarius.*

VI.

DE ECCLESIIS CATHEDRALIBUS.

DEC. S. CONG. DE PROP. FIDE.

Restituta in Anglia regno episcopali Hierarchia, datis quoque Apostolicis Litteris pro erectione Capitulorum Cathedralium, Cathedrales Ecclesiae pro Archidioecesi Westmonasteriensi

ac singulis Dioecesibus ad tramitem sacrorum canonum essent constituendae. Porro Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus S. R. E. Cardinalis Nicolaus Wiseman Archiepiscopus Westmonasteriensis, collatis quoque consiliis cum RR. PP. DD. Anglicis Episcopis, significavit nonnullas civitates in episcopales sedes adlectas talia adhuc haud habere templa, quae amplitudine, magnificentia, atque omnimoda opportunitate, mereantur in perpetuum assumi in Ecclesias Cathedrales.

Proinde preces porriguntur, ut pro Birminghamensi quidem Ecclesia, Cathedrale Templum constituatur, quod in honorem S. Ceaddae Episcopi et Confessoris dicatum reperitur; pro Suthwarcensi S. Georgii; pro Nottinghamiensi S. Barnabae Apostoli; pro Salfordiensi S. Joannis Apostoli: Archiepiscopo vero Westmonasteriensi, caeterisque Episcopis facultas detur constituendi, vice Cathedralis Ecclesiae, provisoria ratione templum quod modo opportunius praesto sit, ut interim omnia ibidem peragantur veluti in Ecclesia Cathedrali, quae deinde erit suo tempore designanda atque in perpetuum constituenda.

Cum vero preces hujusmodi rationabiles visae sint Eminentissimis Patribus S. Congregationis in generali conventu habito die 5 Aprilis, Sanctissimus D. N. Pius Papa IX, audita relatione per infrascriptum secretarium ejusdem S. C. proposita in audientia diei 6 ejusdem mensis et anni, benigne EE. PP. sententiam probavit, ac precibus pro utraque parte indulsit, contrariis quibuscunque non obstantibus.

Datum, etc., 21 Aprilis, 1852.

Al. Barnabò, *Secretarius.*

VII.

CIRCA COMMENDANDOS AD EPISCOPATUM.

INSTRUCTIO S. CONG. DE PROP. FIDE PRO ANGLIA.

Ut Ecclesiae noviter per Sanctissimum D. N. in Angliae regno constitutae magis in dies floreant, iisdemque Antistites jugiter praeficiantur qui vitae probitate, doctrina, zelo, ac prudentia spectatissimi existant; peropportunum visum est, si

ab ecclesiasticis viris, qui sacris obeundis muneribus inter alios praestiterunt, potissimum vero testimonio Episcoporum pro tempore existentium, nonnulli Apostolicae Sedi commendentur, ex quibus eadem ad episcopalem gradum, quem magis idoneum censuerit eligere valeat.

Commendatio vero hujusmodi tanti momenti esse noscitur, ut inspectis animadversionibus ab Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Nicolao S. R. E. Cardinali Wiseman ac RR. PP. DD. Episcopis Angliae redditis, ac re accurate perpensa, S. Congregatio de Propaganda Fide, in generali conventu habito die 5 Aprilis 1852, peculiari instructione methodum proponendam censuerit.

Cum Episcopus est constituendus, capitulariter dignitarius et canonici illius Ecclesiae conveniant, precibus de more praemissis, ac praestito juramento de secreto servando, tribus vicibus suffragia ferantur circa personas Sanctae Sedi veluti digniores commendandas. Si in aliqua ex tribus vicibus in favorem nullius adsint suffragia tot numero quae excedant majorem partem vocum, actus nullius momenti existat, atque iterum suffragia ferantur.

Actus capitularis rite descriptus atque obsignatus, transmittendus erit ad Archiepiscopum, vel ad suffraganeum antiquiorem vacante sedi archiepiscopali, vel si de commendandis ad ipsum archiepiscopatum agatur: ut coetus episcopalis consiliis collatis, circa tria nomina alphabetico ordine descripta, quae in singulis votationibus majorem suffragiorum partem obtinuerint ad S. C. referat, suamque opinionem tradat, transmisso etiam ipso authentico capitulari actu.

Demum cum contingere aliquando possit, ut canonici legitime impediantur ne ad Capitulum in quo hujusmodi fieri debet commendatio accedant, censuit S. Congregatio admittendos tunc esse eorumdem procuratores ad effectum tantum tradendi schedam cum nomine et praenomine eligendi. (1)

(1) Sive, prout postea a S. C. explicatum est, tres schedas, cum nominibus trium virorum proponendorum. Notandum est generatim quod, sicubi aliqua discrepantia inveniatur inter Decreta synodi et Documenta ipsa ad quae referuntur, hoc inde eveniat, quod ista ab ipsa S. C. per subsequentes epistolas modificata fuerint in praxi, igitur adhaerendum textui Synodi. N. C. W.

Caeterum animadvertendum ac declarandum censuit S. Congregatio, his omnibus contineri tantummodo commendationem, adeo, ut, quando necessarium vel opportunum videatur, Apostolica Sedes suo utetur jure alterum quoque, praeter commendatos, eligendi.

Cum vero haec omnia Sanctissimo D. N. Pio Papae IX ab infrascripto S. Congregationis secretario relata fuerint in audientia diei 6 ejusdem mensis et anni, Sanctitas Sua benigne eadem probavit ac servari decrevit, contrariis quibuscumque haud obstantibus.

Datum, etc., 21 Aprilis, 1852.

Al. BARNABÒ, *Secretarius.*

VIII.

DE RECTORIBUS MISSIONARIIS INSTITUENDIS.

DEC. S. CONG. DE PROP. FIDE.

Licet in episcopalis Hierarchiae restitutione per Angliae regnum, communis ecclesiastici juris observantia generatim praescripta fuerit, attamen exploratum est, cum praerequisita necessaria nonnullis in capitibus desint, quoad haec, perfici illud statim haud posse; adeo ut status missionis aliqua ex parte cum institutione dioecesium sit componendus, prout in aliis pluribus evenit donec, Deo favente, ecclesiasticae communes regulae plenissime observari valeant. Hujusmondi profecto ea esse noscitur pars canonici juris quae respicit ad paroeciarum institutionem: hinc factum est, ut Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus Nicolaus Wiseman Archiepiscopus Westmonasteriensis ac RR. PP. DD. Episcopi Angliae quae sequuntur Sanctae Sedi approbanda subjecerint.

In singulis dioecesibus auctoritate Episcopi, attamen de

consilio Capituli, Ecclesiae seligantur nonnullae quae magis aptae videntur ut ad instar paroeciarum haberi possint.

Iis ordinario praeficiatur *Rector missionarius*, qui Ecclesiae et animarum curam gerat quemadmodum caeteri Ecclesiis ibidem praepositi: attamen permanenter institutus habeatur.

In dioecesana Synodo Episcopus quinque presbyteros ex probatissimis seligat, qui *Commissionem investigationis* constituant, atque unus ex his commissioni ipsi per Episcopum praeficiatur.

Rectores Missionarii permanenter instituti definitive dejici haud possint, nisi tribus saltem ex memorata commissione ad causae examen adhibitis, atque eorum consilio accepto.

His vero relatis in generali S. C. conventu habito die quinta mensis Aprillis 1852, Eminentissimi Patres iis quae proponuntur annuendum censuerunt.

Sanctissimus vero Dominus Noster in audientia diei 6 Aprillis, audita relatione per infrascriptum S. Congregationis secretarium exhibita, sententiam S. C. ac supradictam methodum probavit ac servari interim voluit, contrariis quibuscunque non obstantibus.

Datum, etc., 21 Aprilis, 1852.

Al. Barnabò, *Secretarius.*

IX.

DE MODO PROCEDENDI CIRCA RECTORES MISSIONARIOS.

DEC. S. CONG. DE PROP. FIDE.

In generali S. Congregationis conventu habito die 8 Martii 1853, referente Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Cardinali Raphaele Fornario, occasione recognitionis actorum ac decretorum Synodi provincialis per Angliae Antistites habitae, examini quoque proposita est formula ad mentem eipsius Synodi elucubrata, et ab Eminentissimo Archiepiscopo Westmonasteriensi

transmissa, quaeque inscribitur: *Modus procedendi in consilio capiendo a Concilio investigationis, priusquam finaliter dejiciatur Rector Missionarius* quatuordecim articulis comprehensa: quaestione vero proposita num memorata methodus esset probanda Eminentissimi ac Reverendissimi Patres responderunt affirmative.

Dat. Romae ex Aed. S. C. de Propaganda Fide die 4 Augusti, 1853.

J. PH. CARD. FRANSONI, *Praef.*

L. ✠ S.

X.

MODUS PROCEDENDI

IN CONSILIO CAPIENDO A CONCILIO INVESTIGATIONIS PRIUSQUAM FINALITER DEJICIATUR RECTOR MISSIONARIUS.

1. Ad Concilium investigationis non recurratur, nisi prius clare et praecise exposita ab Episcopo causa ad dejectionem finalem movente, ipse rector missionarius malit rem ad Concilium deferri, quam sese sua sponte a munere et officio dimittere.

2. Cum Episcopo visum fuerit consilium capere a Concilio investigationis de rectore missionario finaliter dejiciendo, Vicario suo Generali vel alii sacerdoti ad hoc ab ipso deputato committat, ut relationem causae ad dejectionem moventis in scriptis conficiat, cum expositione investigationis hucusque peractae, et circumstantiarum quae causam vel ejusdem demonstrationem specialiter afficiant.

3. Locum, diem, et horam opportunam ad conveniendum indicet, per litteras ad singulos conciliarios missas.

4. Rectorem missionarium, de quo agitur, ad locum et diem constitutum ad Concilium habendum vocet per litteras; exponens, nisi prudentia vetet, causam ad dejectionem moventem, per extensum; monensque ipsum rectorem ut responsum rationibus suffultum praeparet in scriptis, ad ea quae in causae expositione vel jam antea oretenus, vel nunc in scriptis relata sunt.

5. Convenientibus consiliariis tempore et loco praefinitis, praecipiat Episcopus silentium servandum de iis quae in concilio audiantur; moneat quoque investigationem non esse processum judicialem, sed eo fine habitam, et eo modo faciendam, ut ad cognitionem veri quacunque ratione perveniatur, adeo ut unusquisque consiliarius, omnibus coram Deo perpensis, opinionem de veritate factorum quibus causa innititur, efformare quam accurate possit.

Moneat etiam ne quid in investigatione fiat, quod aut ipsos, aut alios periculo damni aut gravaminis exponat, praesertim ne locus detur actioni libelli famosi, vel alii cuicunque processui, coram tribunali civili.

6. Relatio causae legatur coram concilio ab Episcopi officiali, qui etiam ad interpellationes respondebit a praeside vel ab aliis consiliariis per praesidem faciendas ad uberiorem rei notitiam assequendam.

7. Deinde in concilium introducatur rector missionarius, qui responsum a se confectum leget et ad interpellationes similiter respondebit.

8. Tunc collatis consiliis, si duabus saltem ex tribus partibus consiliariorum satis constare de factis videatur, sententiam suam unusquisque consiliarius in scriptis det, rationibus quibus nititur expressis; conferantur sententiae; acta in concilio ab Episcopi officiali redigantur, et a praeside in nomine concilii subscribantur, et simul cum sententiis singulorum in extenso ad Episcopum deferantur.

9. Quod si ulterior investigatio necessaria vel congrua videatur, eo ipso die, vel alio ad conveniendum a concilio constituto, testes vocentur quos opportunos concilium judicaverit, audito etiam rectore missionario de iis quos ipse advocandos esse voluerit.

10. Examinentur seorsim testes, pro causa, a praeside et ab aliis per praesidem, absente primum rectore missionario, quantum fieri potest accurate, non adhibito juramento, sed, si non renuant ipsi, asserentibus testibus se paratos esse ad testimonium suum juramento confirmandum, si occasio daretur.

11. Consentientibus testibus, et dirigente prudentia concilii, repetatur testimonium coram rectore missionario qui et ipse testes tunc interroget per praesidem.

12. Similiter examinentur testes contra causam.

13. Collatis tunc consiliis fiat ut supra n° 8°.

14. Quod si testes nolint aut nequeant concilio assistere, aut eorum testimonium nondum satis luculentum negotium reddat, duo saltem ex consiliariis a concilio deputentur, qui testes adeuntes, loca invisentes, vel, alio quocunque modo possint, lumen ad dubia solvenda requirentes, relationem suae investigationis ad concilium deferant, ut ita nulla via intentata relinquatur ad verum moraliter certo cognoscendum.

XI.

INSTRUCTIO

DE CUSTODIA FONTIS BAPTISMALIS

EX ACTIS CONCILII MEDIOL. PROVINC. IV. EXCERPTA.

Fons baptismalis qua ratione construendus.

Fons baptismalis e marmore, aut e solido lapide constet: qui si prae rimulis, aliave ratione ejusmodi est, ut inde aqua sensim effluat, lapsis alius bene firmus, solidus, ac tutus quamprimum comparetur.

Interea vero ad aquam baptismalem tuto continendam, dum ille alter paretur, non vas fictile alteriusve generis, sed aereum, stamno ab interiori parte illitum, tante magnitudine quanta lapidis vacuitas est ita ponatur, ut intrinsecus illum undique strictim attingens, beneque compactum eidem cohaerescat.

Habeat operimentum vel ciborium ad sacra olea tuto decenterque conservanda, in eo ipso fonte accommodatum, nisi ubi ex instructionibus nostris aliter exstruendem est. Conopaeo etiam e tela saltem opertum sit.

Tabellam habeat item intrinsecus, quae dimidia tantum aperiatur, fontisque ostium compresse claudens, aquam a pulvere et aliis sordibus cautius tueatur.

Quae tabella in omnibus fontibus sit, in quibus per infusionem baptizatur; in iis vero in quibus immersio adhibetur, si petra ipsa pro ejus magitudine id patietur sine impedimento immersionis.

Sepiatur omnino unumquodque baptisterium, si ferro vel lapide episcopi judicio non poterit, saltem ligneis cancellis.

Praeterea si extra fornicatam capellam, aut parietis concavitatem hemicycli instar constructam totum, aut ex parte sit; tum tegmen habeat, quod ex marmore, vel ex asseribus constet, aut saltem e tela decenter picta.

Decebit etiam in capella, aut in pariete proximo, S. Joannis imago Christum Dominum baptizantis.

In ecclesiae ingressu collocatus sit fons baptismalis, isque a sinistra ingredientium parte, nisi quibus in ecclesiis pro situs ratione illum ab altera parte potius collocandum Episcopus judicarit. Quae vero baptisteria in ecclesiis, capellisve eo potissimum nomine exstructis, Cathedrali, vel parochiali ecclesiae fere adhaerentibus exstant, illa non amoveantur; sed ecclesiae, aut capellae ubi illa sunt, instaurentur, aut reconcinnentur: ubi vero in ecclesiis praesertim insignioribus non sunt, in posterum eas vel ecclesias, vel capellas aedificari, in illisque baptisterium construi idem Episcopus curet.

In baptismali fonte, ubi per infusionem baptizatur, id plane caveatur, ut ne aqua capiti infantis infusa in eumdem fontem recidat, sed in sacrarium profluat: idque propterea sacrarium e marmore solidove lapide prope fontem construatur, ad praescriptum instructionum.

In baptismalis fontis ciborio, mantilia duo, eaque candida, ab omnique sorde munda asserventur, quae infantis capiti abstergendo usui sint.

Pluraque ideo in sacristia id generis mantilia certo loco conserventur.

Si vero vel mantilia vel sudariola ad eum usum aliquando afferuntur, ea nisi nova ne adhibeantur: tum nova adhibita, ne in profanum, sed in ecclesiae usum cui recte accommodari possint convertantur: alioqui comburantur.

XII.

DE FACULTATE SERVANDI SS. EUCHARISTIAM

IN NONNULLIS NOBILIUM VIRORUM ORATORIIS.

INSTRUCTIO AD EPISCOPOS ANGLIAE.

Apud rusticanas aedes spectabilium virorum catholicorum capellae quasi ad ecclesiarum formam haud raro isthic occurrunt, interdum vero petitiones ad S. Sedem diriguntur pro facultate obtinenda ut in illis Sanctissima Eucharistia asservari possit. In re quidem gravioris momenti uniformis quaedam methodus inducenda erat, proindeque Episcoporum sententia visa est exquirenda, quae quidem, Eminentia Sua curante, occasione provincialis Synodi superiore anno habitae reddita fuit.

Omnibus itaque accurate perpensis, capellas hasce ex Episcoporum sententia in tres classes placuit distinguere, juxta nimirum differentias quasdam, quae in iisdem solent occurrere, nimirum ut opportune in singulis casibus provideatur.

Primo itaque capellae hujusmodi aliquando haud valde ab Ecclesia distant, sunt vero *oratoria domestica*, prout strictim usu ecclesiastico dictio hujusmodi usurpatur, in bonum spirituale familiae constituta: in iis proinde regulae ecclesiasticae ea de re latae atque Indultorum formulae erunt servandae, quoad alia in singulis casibus S. Sedis sententia erit expostulanda.

Secundo aliae occurrunt capellae, apud quas conveniunt non modo domestici et familiares, sed coloni quoque et cultores proximi territorii, atque insuper opportune admodum praesto missionariis esse possunt, ut inde Sanctissimam Eucharistiam ad infirmos deferendam sumant, cum intervallo quodam haud exiguo ecclesia procul inde existat.

Demum tertio loco recensentur quae magis ab ecclesia distant, atque ea ratione constitutae sunt ut haberi possint veluti succursales et filiales quoad ecclesias pro animarum cura designatas.

Quoad itaque capellas secundae et tertiae speciei Eminentissimi Patres censuerunt permittendum ut ex Episcopi sententia

Sanctissimum Sacramentum in iis haberi possit; ita tamen ut judicio ipsius Episcopi oratoria hujusmodi *publica* vel *quasi publica* habeantur: insuper vero quotidie vel saltem in hebdomada Sacrosanctum Missae Sacrificium in iisdem offeratur: demum servatis servandis atque Antistitum, nec non virorum ad quos capellae pertinent, onerata conscientia.

Cum vero Sanctissimus Dominus Noster Eminentissimorum PP. sententiam in omnibus probaverit, facultatesque opportunas ad S. Sedis beneplacitum tribuerit, haec significantur Eminentiae Suae, ut caeteri quoque Angliae Antistites regulas ea de re servandas opportune dignoscere valeant.

Dat. Romae ex Aed. S. C. de Propaganda Fide, die 14 Maii, 1853.

J. Ph. CARD. FRANSONI, *Praef.*

L. ✠ S.

Al. BARNABÒ, *a secretis*

XIII.

EXTENSIO TEMPORIS PASCHALIS.

Beatissime Pater,

Attenta paucitate Missionariorum per Angliam, cumque Hiberni, quorum plures in Anglia degunt, extensionem temporis ad Paschale praeceptum adimplendum obtinuerint, Archiepiscopus et Episcopi Concilii provincialis Angliae petunt pro toto Angliae extensionem temporis Paschalis a feria IV Cinerum ad Dominicam in albis.

Ex audientia Sanctissimi habita die 13 Martii, 1853.

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina providentia PP. IX, referente infrascıipto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide secretario, ex voto Eminentissimorum Patrum ejusdem sacrae Congregationis, benigne annuit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. de Propaganda Fide, die 14 Maii, 1853.

Gratis sine ulla omnino solutione quocunque titulo.

Al. BARNABÒ, *a secretis.*

L. ✠ S.

XIV.

DE ABSOLUTIONE AB IRREGULARITATE,

AB ALIENO EPISCOPO ORDINANTE IMPERTIENDA.

Beatissime Pater,

Cum in formula secunda quae Episcopis Angliae concedi solet, statuatur nullum Episcopum posse facultatibus in ea datis uti extra fines suae dioeceseos, cumque saepenumero accidat, quod unus Episcopus ordinationes habere debeat pro Seminario pluribus dioecesibus communi, Archiepiscopus et Episcopi Concilii provincialis Angliae petunt, ut Episcopus ordinans vel in Seminario, vel extra, possit de consensu Ordinarii cujusque ex candidatis, ipsos absolvere ab irregularitate qua forte ligantur, servato caeteroquin tenore ejusdem formulae secundae.

Ex audientia Sanctissimi habita die 13 Martii, 1853.

Sanctissimus Dominus Noster Pius, divina providentia PP. IX, referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide secretario, juxta EE. PP. sententiam benigne petitioni annuit, contrariis quibuscumque haud obstantibus.

Dat Romae ex Aed. dic. S. Congregationis die 14 Maii, 1853.

Al. Barnabò, *a secretis.*

L. ✠ S.

XV.

DE ORDINATIONIBUS EXTRA TEMPORA.

DEC. S. CONG. DE PROP. FIDE.

Eminentissimus ac Reverendissimus D. Cardinalis Nicolaus Wiseman Archiepiscopus Westmonasteriensis, ac RR. PP. DD. Episcopi Angliae, significarunt dubia aliquando exoriri, circa facultatem extraordinariam quae in formula iisdem concessa numero primo continetur, pro ordinationibus extra tempora in jure canonico praefinita exercendis, cum in Anglia seminaria

quaedam pluribus dioecesibus communia reperiantur, in quibus clerici aliis Episcopis subjecti instituuntur. Precibus itaque propositis in generali conventu habito die 5 Aprilis, anni 1852, Eminentissimi Patres annuendum censuerunt, ut Episcopi in cujus dioecesibus seminaria hujusmodi constituta habentur, memorata facultate favore etiam non subditorum utantur, praevio tamen consensu respectivi Ordinarii.

Hanc vero S. Congregationis sententiam Sanctissimo D. N. Pio Papae IX ab infrascripto S. C. secretario relatam, in audientia diei 6 ejusdem mensis et anni, Sanctitas Sua benigne probavit, atque ea ratione porrectis precibus indulsit, contrariis quibuscunque non obstantibus.

Datum, etc., 21 Aprilis, 1852.

Al. BARNABÒ, *Secretarius.*

XVI.

DE ORDINATIONE AD TITULUM MISSIONIS.

DEC. S. CONG. DE PROP. FIDE.

Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus S. R. E. Cardinalis Nicolaus Wiseman, Archiepiscopus Westmonasteriensis, et RR. PP. DD. Episcopi Angliae adnotandum duxerunt, attento suarum Ecclesiarum statu, haud facile clericos ad majores ordines per titulos passim receptos promoveri posse: proindeque postularunt ut pro quodam numero casuum facultas sibi tribueretur ordinandi ad titulum missionis. Relatis hisce precibus in generali conventu S. C. habito die 5 Aprilis, 1852, Eminentissimi PP. censuerunt, si Sanctissimo placuerit, tribuendam esse facultatem juxta tenorem concessionis quae anno 1741 Hiberniae Episcopis facta est, nempe ut Episcopi qui Anglicis Ecclesiis praesunt, clericos suarum respective dioecesum ad titulum missionis usque ad numerum duodecim promovere possint, praestito tamen prius ab ipsis ordinandis juramento exer-

cendi missiones, ad formam juramenti alumnorum Pontificiorum, atque onerata in omnibus conscientia Ordinariorum.

Hanc vero S. C. sententiam Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX, in audientia diei 6 ejusdem mensis et anni ab infrascripto secretario relatam, Sanctitas Sua benigne probavit, ac facultatem juxta propositum tenorem concessit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dat. Romae ex Aed. S. C. de Propaganda Fide die 21 Aprilis, 1852.

J. Ph. CARD. FRANSONI, *Praef.*

L. ✠ S.

Al. BARNABÒ, *a secretis.*

XVII.

EXTENSIO PRAECEDENTIS RESCRIPTI.

Beatissime Pater,

Cum propter locorum necessitates vix sperari possit quod beneficia ad ordinandorum titulum consituendum sufficientia erigantur, nec facile etiam sit patrimonii titulo supplere, Archiepiscopus Westmonasteriensis et Episcopi Angliae, ex provinciali Concilio, supplicant ut S. V. dignetur ulterius extendere indultum superiori anno impertitum, ut titulo missionis ordinare valeant.

Ex audientia Sanctissimi habita die 13 Martii, 1853,

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina providentia PP. IX, referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, ex voto Eminentissimorum PP. S. Congregationis benigne annuit ut Archiepiscopus et Episcopi singuli duodecim candidatos missionis titulo promovere valeant, servatis praescriptionibus primi indulti, contrariis quibuscumque haud obstantibus.

Dat. Romae ex Aed. dictae S. Congregationis, die 14 Martii, 1853.

Al. BARNABÒ, *a secretis.*

L. ✠ S.

XVIII.

DE FESTIS SS. PATRONORUM

AD DOMINICAM SEQUENTEM TRANSFERENDIS.

Beatissime Pater,

Archiepiscopus et Episcopi Concilium provinciale in Anglia habentes, cum devotionem erga SS. Patronos per Angliam promovere exoptant, pro singulis Episcopis facultatem petunt ut indulgere possint, ubi expedire judicaverint, quod celebretur Missa S. Patroni loci vel Sancti sub cujus invocatione ecclesia constituta existit, Dominica proxime sequenti festum ipsum absque ulla immutatione in reliquis officii currentis, et hoc etiamsi patronus electus non fuerit ad tramitem constitutionis Urbani VIII super eligendis patronis, vel etiamsi ecclesia non fuerit consecrata.

Ex audientia Sanctissimi habita die 13 Martii, 1853,

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina providentia PP. IX, referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide secretario, atque attento EE. PP. S. C. suffragio, benigne annuit, dummodo non agatur de Dominica vel festo occurrente ex solemnioribus: id vero permisit, contrariis quibuscumque haud obstantibus.

Dat. Romae ex Aed. dict. S. Congregationis, die 14 Maii, 1853.

Al. Barnabò, *a secretis.*

L. ✠ S.

XIX.

INDULGENTIAE IN FESTIS S. GEORGII ET S. PATRITII.

Beatissime Pater,

Ad promovendam devotionem erga S. Patritium Hiberniae Apostolum, et S. Georgium Angliae Patronum, Archiepiscopus Westmonasteriensis et Episcopi Angliae, Concilium provinciale habentes, petunt in perpetuum indulgentiam plenariam animabus defunctorum applicabilem, lucrandam ab iis omnibus qui a primis vesperis usque ad occasum solis festorum S. Georgii et S.

Patritii, confessi, et S. Synaxi refecti, pias ad Deum preces fuderint in aliqua Angliae ecclesia vel sacello, juxta mentem Summi Pontificis.

Ex audientia Sanctissimi habita die 13 Martii, 1853.

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina providentia PP IX, proposita per infrascriptum secretarium S. C. de Propaganda Fide relatione descripti supplicis libelli nec non favorabilis voti S. Congregationis, benigne in omnibus annuit juxta petita. contrariis quibuscumque haud obstantibus.

Dat. ex Aed. dict. S. Congregationis de Propaganda Fide, die 16 Maii, 1853.

Gratis sine ulla omnino solutione quovis titulo.

Al. Barnabò, *a secretis.*

L. ✠ S.

XX.

DE FESTO S. PATRITII,

SUB RITU DUPLICI IN ANGLIA CELEBRANDO.

Beatissime Pater,

Cum ingens sit ubique terrarum gloria praeclari Episcopi et Confessoris S. Patritii Hiberniae Apostoli, plurimique inveniantur Hiberni in omnibus fere Angliae congregationibus, Archiepiscopus Westmonasteriensis et Episcopi Angliae, in Concilio provinciali congregati, humillime postulant ut S. V. benigne dignetur festum ejusdem ad ritum duplicis majoris pro Anglia elevare.

Ex audientia Sanctissimi habita die 13 Martii, 1853.

Sanctissimus Dominus Noster Pius div. provid. PP. IX., referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide secretario descriptas preces, nec non votum Eminentissimorum PP. S. ejusdem Congregationis, benigne annuit juxta petita: contrariis quibuscumque haud obstantibus.

Dat. ex Aed. dictae S. C. de Propaganda Fide, die 14 Maii, 1853.

Gratis absque ulla omnino solutione quocumque titulo.

Al Barnabò, *a secretis.*

L. ✠ S.

XXI.

DE CONFRATERNITATIBUS
PER EPISCOPOS ERIGENDIS.

Ex audientia Sanctissimi habita die 31 Augusti, 1854.

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina providentia PP. IX, referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, ad preces R. P. D. Thomae Grant Episcopi Suthwarcensis benigne concessit Eminentissimo ac Reverendissimo Archiepiscopo Westmonasteriensi nec non omnibus ac singulis RR. PP. DD. Episcopis suffraganeis regni Anglicani, facultatem ad quinquennium erigendi in locis respectivae jurisdictionis pium exercitium Viae Crucis et omnes confraternitates a S. Sede approbatas cum potestate eisdem ascribendi utriusque sexes fideles, ac benedicendi scapularia et insignia earumdem confraternitatum propria, cum applicatione omnium indulgentiarum et privilegiorum quae a SS. Pontificibus tum praefatum exercitium Viae Crucis peragentibus, tum confraternitatibus, scapularibus, etc., impertita sunt.

Dat. Romae ex Aed. dict. S. Congregationis die et anno, ut supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quovis titulo.

Al Barnabò, *a secretis.*

L. ✠ S.

XXII.

DE MISSIONARIORUM REGULARIUM REMOTIONE.

EPISTOLA S. CONG. DE PROP FIDE.

Eminentissime ac Reverendissime Domine mi observantissime,

Ut nonnullae missiones Anglici regni creditae regularibus rite administrentur, attento etiam quod ibidem haud plurimi suppetant, S. Congregatio cum examen Synodi provincialis perageret, non modo probavit vota Episcoporum quoad methodum pro casu remotionis quae decreto XXVII, n. 2, continentur, verum

peculiariter eamdem methodum commendandam decrevit, utque insuper Instructio ([1]) traderetur nuper edita pro missionariis regularibus apud Sinas. Sententia S. Congregationis per Sanctissimum D. N. probata Eminentiae Tuae peculiari epistola exhibetur, quae appendicis modo decretis synodalibus adjungi valeat, simulque porriguntur memoratae instructionis exemplaria nonnulla, ut Episcopis, et Superioribus ordinum regularium per Em. Tuam manifesta eadem reddatur.

Interea manus obsequenter deosculans maneo Eminentiae Tuae

Humillimus et addictissimus famulus,
J. Ph. CARD. FRANSONI, *Praef.*

Londinum. Al. BARNABÒ, *a secretis.*

Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Card. N. Wiseman, Archiepiscopo Westmonasteriensi.

XXIII.

DE EXERCITIO PONTIFICALIUM

EXTRA PROPRIAM DIOECESIM EPISCOPIS ANGLIAE CONCESSO.

DEC. S. CONG. DE PROP. FIDE.

Ex negligentia antistitum circa onus residentiae si ubique mala gravissima obvenirent, potissimum id valet quoad regiones in quibus ob admistionem infidelium vel haereticorum gravioribus periculis fideles objiciuntur: proinde Episcopis et Vicariis Apostolicis regionum, ad quas S. Congregationis de Propaganda Fide sollicitudo extenditur, indictum haud semel fuit, ne extra propriam dioecesim, vel vicariatum, pontificalia etiam de consensu Ordinariorum exerceant.

Porro cum dubitari haud valeat de studio Episcoporum Angliae in hujusmodi residentiae lege servanda, iidemque postulaverint ut tenor regulae hujusmodi in suum favorem relaxetur, S. Congregatio de Propaganda Fide, in generali con-

(1) *Vide* Append. V., Pars III, p. 92.

ventu habito die 5 Aprilis, 1852, attento quod haud raro necessarium vel opportunum admodum existat, ut iidem admitti possint ad pontificalia exercenda in aliis Angliae ipsius dioecesibus, aliquando etiam in proximis regionibus Hiberniae et Scotiae; censuit supplicandum Sanctissimo pro relaxatione memoratae inhibitionis in favorem Episcoporum Angliae quoad tria regna unita, in quibus proinde de consensu Ordinariorum pontificalia iidem exercere valeant.

Hanc vero S. Congregationis sententiam Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX, ab infrascripto secretario relatam, in audientia diei 6 ejusdem mensis, et anni, Sanctitas Sua benigne probavit, et juxta propositum tenorem facultates concessit: contrariis quibuscumque haud obstantibus.

Datum, etc., 21 Aprilis, 1852.

J. PH. FRANSONI, *Praefectus*

L. ✠ S.

AL. BARNABÒ, *a secretis.*

XXIV.

DE HABITU CANONICALI

IN ECCLESIA PROPRIA GERENDO.

Beatissime Pater,

Cum raro admodum in Anglia possint canonici convenire, congruum autem videatur ut distinctiori habitu ipsis concesso frequentius valeant uti, Archiepiscopus Westmonasteriensis et Episcopi ad provinciale Concilium collecti humillime petunt ut canonicus quilibet in Ecclesia cui inservit, etiamsi non sit Cathedralis, habitum canonicalem deferre valeat.

Ex audientia Sanctissimi habita die 13 Martii, 1853,

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina providentia PP. IX, referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide secretario, ex voto S. C. benigne precibus annuit, contrariis quibuscumque haud obstantibus.

Datum Romae ex Aed. S. Congregationis, die 14 Maii, 1853.

AL. BARNARÒ, *a secretis.*

L. ✠ S.

APPENDIX.

PARS II,

CONTINENS ALIA DOCUMENTA ECCLESIASTICA AD SYNODUM PERTINENTIA, SED IN ACTIS NON ALLEGATA.

I.

LITTERÆ APOSTOLICÆ
SS. DOMINI NOSTRI

QUIBUS HIERARCHIA EPISCOPALIS IN ANGLIA RESTITUITUR.

PIUS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Universalis Ecclesiae regendae potestas Romano Pontifici in Sancto Petro Apostolorum Principe a Domino Nostro Jesu Christo tradita praeclaram illam in Apostolica Sede sollicitudinem quacunque aetate servavit, qua religionis catholicae bono ubicunque terrarum consuleret, ejusque incremento studiose provideret. Id autem divini ipsius fundatoris consilio respondit, qui, capite constituto, Ecclesiae incolumitati usque ad consummationem saeculi singulari sapientia prospexit. Pontificiae hujus sollicitudinis fructum sensit una cum aliis populis inclytum Angliae regnum, cujus historiae testantur christianam religionem vel a primis Ecclesiae saeculis in Britanniam invectam esse, atque in ea deinde plurimum floruisse; sed medio circiter saeculo quinto, posteaquam Angli et Saxones in eam insulam advocati sunt, non modo publicas illic res, sed etiam religionem maximis fuisse detrimentis affectam. Constat vero simul Sanctissimum Praedecessorem nostrum Gregorium Magnum misso primum cum

sociis Augustino monacho, atque eo postmodum aliisque pluribus ad episcopalem dignitatem evectis, additaque iis magna presbyterorum monachorum copia, Anglo-Saxones adduxisse, ut Christianam religionem amplecterentur, et virtute sua effecisse, ut in Britannia, quae Anglia etiam appellari coepit, catholica iterum restituta undique fuerit et amplificata religio. Sed ut quae sunt recentiora commemoremus, nihil in tota Anglicani schismatis, quod saeculo decimo sexto excitatum est, historia manifestius arbitramur, quam Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum impensam curam, et nunquam intermissam, ut religioni catholicae in eo regno in maximum periculum, et ad extremum discrimen adductae succurerent, et quacunque possent ratione auxilium afferrent. Quo inter alia spectant, ea quae a Summis Pontificibus, vel ipsis mandantibus, atque probantibus provisa gestaque sunt, ut in Anglia haudquaquam deessent qui catholicarum illic rerum curam susciperent, itemque ut adolescentes catholici bonae indolis, ex Anglia in continentem venientes, educarentur, atque ad scientias praesertim ecclesiasticas diligenter informarentur; qui sacris subinde ordinibus insigniti et in patriam reversi sedulam navarent operam popularibus suis verbi et sacramentorum ministerio juvandis, et verae fidei ibidem tuendae ac propagandae. Verum ea sunt fortasse clariora, quae Praedecessorum Nostrorum studium respiciunt, ut Angli catholici, quos tam atrox, et saeva tempestas Episcoporum praesentia, et pastorali cura privaverat, Praesules iterum haberent episcopali charactere insignitos. Jam vero Gregorii XV litterae Apostolicae incipientes "Ecclesia Romana," datae die XXIII Martii anni MDCXXIII ostendunt, Summum Pontificem, ubi primum potuit, Gulielmum Bishopium consecratum Episcopum Chalcedonensem cum satis ampla facultatum copia, et cum Ordinariorum propria potestate ad Angliae, et Scotiae catholicos gubernandos destinasse; quod postea Urbanus VIII, Bishopio mortuo, missis ad Richardum Smith similis exempli litteris Apostolicis die IV Februarii an. MDCXXV renovavit, episcopatu Chalcedonensi, et iisdem, quae Bishopio consessae fuerant, facultatibus Smithio tributis. Visa sunt in posterum, quum Jacobus II in Anglia regnare coepisset, catholicae religioni feliciora tempora obventura esse. Hac vero opportunitate Innocentius XI statim usus Joannem Leyburnium

Episcopum Andrumetenum totius Angliae regni Vicarium Apostolicum an. MDCLXXXV deputavit. Quo facto aliis litteris Apostolicis die XXX Januarii anni MDCLXXXVIII editis, quarum initium est "Super Cathedram," Leyburnio tres alios Episcopos Ecclesiarum in partibus infidelium titulis insignitos Vicarios Apostolicos adjunxit: quapropter Angliam universam, operam dante Apostolico in Anglia nuntio Ferdinando Archiepiscopo Amasiensi, in quatuor districtus pontifex ille partitus est Londinensem scilicet, occidentalem, medium, et septentrionalem, quibus omnibus Vicarii Apostolici cum opportunis facultatibus, et cum ordinarii locorum propria potestate praeesse coeperunt. Eis autem auctoritate sua, sapientissimisque responsis tum Benedictus XIV edita die XXX Maii MDCCLIII. Constitutione, quae incipit: "Apostolicum ministerium," tum alii Pontifices Praedecessores Nostri, ac Nostra Propagandae Fidei Congregatio ad tam grave munus rite recteque gerendum normae, et adjumento fuerunt. Haec vero totius Angliae in quatuor vicariatus Apostolicos partitio usque ad Gregorii XVI tempora perduravit, qui litteris Apostolicis die III Julii an. MDCCCXL datis incipientibus: "Muneris Apostolici," habita praesertim ratione incrementi, quod religio catholica in eo regno jam acceperat, novaque facta regionum Ecclesiastica partitione, duplo majorem vicariatuum Apostolicorum numerum excitavit, et Angliam totam vicariis Apostolicis Londinensi, occidentali, orientali, centrali, Walliensi, Lancastriensi, Eboracensi, et septentrionali, in spiritualibus gubernandam commisit. Quae cursim hoc loco, aliis pluribus praetermissis, indicavimus, perspicuo documento sunt, Praedecessores Nostros in id vehementer incubuisse, ut quantum auctoritate sua valebant, ad Ecclesiam in Anglia ex permagna calamitate recreandam, ac reficiendam adniterentur, et laborarent. Habentes itaque ob oculos praeclarum hujusmodi Decessorum Nostrorum exemplum, illudque pro Supremi Apostolatus officio aemulari volentes, et animi etiam Nostri inclinationi erga dilectam illam Dominicae vineae partem obsecundantes vel ab ipso Pontificatus Nostri exordio Nobis proposuimus opus tam bene coeptum prosequi, et ad Ecclesiae utilitatem in eo regno quotidie magis augendam nostra impensiora studia revocare. Quamobrem universum, ut nunc est, in Anglia rei catholicæ statum dili-

genter considerantes, ac permagnum Catholicorum numerum qui passim ibi amplior evadit, animo rependentes, atque impedimenta illa in dies auferri Nobiscum cogitantes, quae catholicae religionis propagationi valde obfuerunt, tempus advenisse reputavimus, ut regiminis Ecclesiastici forma in Anglia ad eum modum restitui possit, in quo libere est apud alias gentes, in quibus, nulla sit peculiaris causa, ut extraordinario illa Vicariorum Apostolicorum ministerio regantur. Temporum scilicet ac rerum adjuncta effecisse sentiebamus, ut necesse non sit diutius Angliae Catholicos a Vicariis Apostolicis gubernari, immo vero talem inibi rerum conversionem factam esse, ut ordinarii episcopalis regiminis formam flagitaret. Accessit his, Angliae Vicarios Apostolicos ipsos id interea a Nobis communi suffragio petiisse, permultos tam clericos, quam laicos virtute, ac genere spectatos viros hoc idem a Nobis precatos esse, aliosque Angliæ Catholicos longe plurimos id in votis habere. Haec animo volventes non omisimus Dei Optimi Maximi auxilium implorare, ut in rei tam gravis deliberatione id quod ad Ecclesiae bonum augendum expeditius futurum esset, Nos intelligere et recte implere possemus. Beatissimae praeterea Mariae Virginis Deiparae, et Sanctorum, qui Angliam virtute sua illustrarunt, opem invocavimus, ut ad negotium istud feliciter absolvendum suo apud Deum patrocinio Nobis adesse dignarentur. Tum vero rem universam Venerabilibus Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus nostrae Congregationis Propagandæ Fidei sedulo graviterque perpendendam commisimus. Eorum autem sententia fuit desiderio illi nostro prorsus consentanea, quam libenter probandam, et ad effectum perducendam judicavimus. Itaque post rem universam a Nobis etiam accurata consideratione perpensam, motu proprio, certa scientia, ac de plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis constituimus, atque decernimus, ut in regno Angliae refloreat juxta communes Ecclesiae regulas Hierarchia ordinariorum Episcoporum, qui a sedibus nuncupabuntur, quas hisce ipsis nostris litteris in singulis Apostolicorum vicariatuum districtibus constituimus. Atque ut a districtu Londinensi initium faciamus, duae in eo Sedes erunt, Westmonasteriensis scilicet, quam ad Metropolitanae seu archiepiscopalis dignitatis gradum evehimus, et Suthwarcensis, quam uti et

reliquas mox indicandas, eidem suffraganeas assignamus. Et Westmonasteriensis quidem dioecesis eam habebit memorati districtus partem, quae ad Septentrionem protenditur fluminis Tamesis, et comitatus Middlesexiensem, Essexiensem atque Hertfordiensem complectitur: Suthwarcensis vero partem reliquam ad meridiem fluminis, videlicet comitatus Bercheriensem, Suth-Hantoniensim, Surreiensem, Sussexiensem, et Kantiensem, una cum insulis Vecta, Ierseia, Guerneseia, aliisque prope illas sitis. In districtu septentrionali unica erit Sedes episcopalis, ab urbe Hagulstadensi nuncupanda, cujus Dioecesis iisdem, quibus districtus ille, finibus continebitur. Eboracensis etiam districtus unicam efficiet Dioecesim, cujus Episcopus in urbe Beverlaco sedem habebit. In districtu Lancastriensi duo erunt Episcopi, quorum alter a Liverpolitana sede appellandus, pro Dioecesi habebit, cum insula Mona, centurias Lonsdale, Amounderness, et West Derby: alter vero sedem habiturus a Salfordiensi urbe nuncupandam, pro Dioecesi obtinebit centurias Salford, Blackburn et Leyland. Quod vero attinet ad Cestriensem comitatum, etsi ad districtum ipsum pertineat, eum nunc alii dioecesi adjungemus. In districtu Walliensi erunt binae Sedes episcopales, Salopiensis scilicet, ac Meneviensis et Newportensis invicem unitae: Salopiensis quidem Dioecesis ad septentrionalem districtus partem complectetur comitatas qui dicuntur Angleseia, Caernarvonensis, Denbighensis, Flintensis, Merviniensis et Montgomeriensis, quibus adjungimus Cestriensem comitatum ex districtu Lancastriensi, et ex centrali districtu comitatum Salopiensem: Episcopo autem Meneviensi et Newportensi pro Dioecesi assignamus ad meridionalem districtus partem comitatus Brechiniensim, Maridunensem, Cereticensem, Glamorganiensem, Penbrochiensem et Radnoriensem necnon anglos comitatus Monumenthensem et Herefordensem. In districtu occidentali duas constituimus episcopales Sedes Cliftoniensem, et Plymuthensem, quarum illi pro Dioecesi assignamus comitatus Glocestriensem, Somersettensem et Wiltoniensem; huic vero comitatus Devoniensem, Dorcestriensem, et Cornubiensem. Centralis districtus a quo Salopianum comitatum jam sejunximus, duas habebit episcopales Sedes Nottinghamiensem, et Birminghamiensem: quarum primae pro Dioecesi assignamus comitatus

Nottinghamiensem, Derbiensem, Leicestriensem, nec non comitatus Lincolniensem et Rutlandensem, quos a districtu orientali separamus; alteri vero Staffordiensem, Warwicensem, Wigorniensem, et Oxoniensem. Tandem in districtu orientali unica erit episcopalis Sedes, quae a Northantoniensi urbe nuncupabitur, habebitque pro dioecesi districtum iisdem quibus in praesens limitibus definitum, exceptis tamen comitatibus Rutlandensi et Lincolniensi, quos supradictae Nottinghamiensi dioecesi jam assignavimus. Ita igitur in florentissimo Angliae regno unica erit Provincia ecclesiastica ex uno Archiepiscopo seu Metropolitano Antistite, et duodecim Episcopis illius suffraganeis constituta; quorum studiis et pastoralibus curis catholicam illic rem Deo dante uberibus in dies auctibus amplificandam confidimus. Quare Nobis et Romanis Pontificibus Successoribus nostris jam nunc reservatum volumus ut provinciam ipsam in plures dispertiamus, et augeamus prout res tulerit Dioecesium numerum; ac generatim, ut quemadmodum opportunum in Domino visum fuerit, novas illarum circumscriptiones libere decernamus. Interea Archiepiscopo et Episcopis supradictis mandamus, ut relationes de suarum Ecclesiarum statu ad Nostram Congregationem Propagandae Fidei debitis temporibus transmittant, nec desistant eamdem instructam reddere de iis omnibus, quae spirituali suarum ovium bono noverint profutura. Nos enim in rebus ad Anglicanas Ecclesias pertinentibus ministerio ejusdem Congregationis uti pergemus. Verum in sacro Cleri populique regimine, atque in caeteris quae ad pastorale officium pertinent, Archiepiscopus et Episcopi Angliae jam nunc omnibus fruentur juribus et facultatibus, quibus alii aliarum gentium catholici Archiepiscopi et Episcopi ex communi sacrorum canonum et Apostolicarum constitutionum ordinatione utuntur et uti possunt, atque obstringentur pariter iis obligationibus quae alios Archiepiscopos et Episcopos ex eadem communi catholicae Ecclesiae disciplina obstringunt. Quaecunque autem sive in antiqua Ecclesiarum Angliae ratione, sive in subsequenti missionum statu ex specialibus constitutionibus, aut privilegiis, vel consuetudinibus peculiaribus viguerint, mutata nunc temporum causa, nullum posthac sive jus sive obligationem inducent: qua de re ut nulla remanere dubitatio valeat Nos iisdem illis peculiaribus constitu-

tionibus, ac privilegiis cujusque generis, et consuetudinibus a quocunque etiam vetustissimo et immemorabili tempore inductis omnem prorsus obligandi aut juris afferendi vim ex plenitudine Apostolicae Nostrae auctoritatis tollimus et abrogamus. Hinc Archiepiscopo et Episcopis Angliae integrum erit ea porro decernere, quae ad communis juris exsecutionem pertinent, quaeve ex generali ipsa Ecclesiae disciplina Episcoporum auctoritati permissa sunt. Nos autem haud certe omittemus adesse illis Apostolica auctoritate Nostra, et perlibenti etiam animo obsecundabimus eorumdem postulationibus in iis, quae ad majorem Divini nominis gloriam animarumque salutem conducere visa fuerint. Enimvero Nos in restitutione ordinariae Episcoporum Hierarchiae, et communis Ecclesiae juris observatione nostris hisce litteris decernenda eo quidem praecipue spectavimus, ut catholicae religionis per Angliae regnum prosperitati et incremento prospiceremus; sed una simul propositum Nobis fuit votis annuere tum Venerabilium Fratrum eo in regno sacras res vicaria Apostolicae Sedis auctoritate moderantium, tum plurimorum dilectorum Filiorum ex catholico clero ac populo, a quibus impensissimas in eum finem preces acceperamus. Hoc ipsum non semel postulaverant illorum majores a Praedecessoribus Nostris, qui sane Vicarios Apostolicos tum demum in Anglia deputare orsi fuerant cum nulli ibidem manere poterant Catholici Antistites propriam in regno ipso Ecclesiam ordinario jure obtinentes, atque hinc illorum consilium in Vicariorum numero et vicarialibus ipsis districtibus deinceps iterum atque iterum multiplicandis, non eo certe spectabat ut catholicam rem in Angliae regno extraordinaria jugiter ratione moderarentur, sed potius ut ejus incremento prout tempora ferebant prospicientes viam una simul pararent ordinariae illic Hierarchiae tandem aliquando insturandae. Itaque Nos, quibus tantum opus perficere summo Dei beneficio datum est, hoc ipso in loco declaratum volumus, longe prorsus abesse a mente consiliisque Nostris, ut Antistites Angliæ, Ordinariorum Episcoporum nomine ac juribus insigniti, quacunque alia in re commodis destituantur, quibus antehac una cum Apostolicorum Vicariorum titulo fruebantur. Nec enim ratio sinit, ut in illorum detrimentum cedant quae a Nobis ex Catholicorum Anglorum voto in bonum sacrae

apud ipsos rei decreta sunt. Juxta haec firmissima immo spe nitimur fore ut iidem dilecti nostri in Christo filii qui in regno Angliae catholicam rem, et Antistites vicaria illam autoritate moderantes in tanta varietate temporum eleemosynis ac largitionibus suis juvare numquam destiterant, majori porro liberalitate usuri sint erga Episcopos ipsos Anglicanis Ecclesiis stabiliori nunc vinculo alligatos, quo scilicet iisdem minime desint temporalia subsidia in templorum et Divini cultus splendorem, in Cleri pauperumque sustentationem, atque in alios usus ecclesiasticos eroganda. Ad extremum, levantes oculos nostros in montes, unde veniet auxilium Nobis a Deo Optimo Maximo in omni oratione, et obsecratione, cum gratiarum actione, supplices poscimus, ut quae a Nobis pro Ecclesiae bono decreta sunt, Divini auxilii sui virtute confirmet, iisque, ad quos rerum a Nobis decretarum exequutio plurimum pertinet, gratiae suae robur adjiciat, ut pascant, qui in iis est gregem Dei, atque ut ad majorem ejus nominis gloriam propagandam semper impensius incumbant. Atque ad uberiora in idipsum coelestis gratiae praesidia impetranda, deprecatores apud Deum denuo invocamus Sanctissimam Dei Matrem, Beatos Apostolos Petrum et Paulum, cum caeteris coelitibus Angliae Patronis, ac nominatim S. Gregorium Magnum, ut, quoniam Nobis etiam meritis adeo imparibus datum nunc est episcopales Sedes in Anglia renovare, prout ille cum summa Ecclesiae utilitate aetate sua perfecit, haec quoque facta a Nobis in eo regno episcopalium Dioecesium restitutio religioni catholicae benevertat. Decernentes has Nostras Apostolicas litteras nullo unquam tempore de subreptionis, et obreptionis vitio, vel intentionis nostrae aut alio quocumque defectu notari, vel impugnari posse, sed semper validas, et firmas fore, suosque effectus in omnibus obtinere, atque inviolabiliter observari debere. Non obstantibus Apostolicis, atque in synodalibus, provincialibus, et universalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus sanctionibus, nec non veterum Angliae Sedium, et Missionum, ac Vicariatuum Apostolicorum inibi postea constitutorum, et quarumcumque ecclesiarum, ac piorum locorum juribus, aut privilegiis juramento etiam, confirmatione Apostolica, aut alia quacumque firmitate roboratis, caeterisque contrariis quibuscumque. His enim omni-

bus, tametsi pro illorum derogatione specialis mentio facienda esset, aut alia quantumvis exquisita forma servanda, quatenus supradictis obstant, expresse derogamus. Irritum quoque, et inane decernimus si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, manuque publici notarii subscriptis, et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum suo sigillo munitis eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi, ipso hoc diplomate ostenso haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xxix Septembris, MDCCCL, Pontificatus Nostri anno quinto.

A. CARD. LAMBRUSCHINI.

II.

CONCESSIO INDULGENTIARUM

IN FESTIS BEATISSIMAE VIRGINIS MARIAE.

Beatissime Pater,

Ad excitandam fidelium devotionem, Archiepiscopus Westmonasteriensis et Episcopi ad provinciale Concilium convenientes, humillime supplicant, ut Sanctitas Vestra dignetur benigne omnibus Dioecesibus Angliae communicare indulgentias nonnullis locis regni alias concessas, adeo ut a primis vesperis usque ad occasum solis omnium Festorum D. N. J. C. et Immaculatae Ipsius Matris, in perpetuum singuli fideles lucrari valeant indulgentiam plenariam animabus in purgatorio detentis applicabilem, dummodo rite confessi et S. Synaxi refecti coram aliquo altari pias ad Deum preces fuderint juxta mentem S. Pontificis.

Ex audientia Sanctissimi, habita die 13 Martii, 1853.

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa IX., referente me infrascripto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretario, juxta votum Eminentissimorum Patrum

Sacrae Congregationis, benigne annuit in omnibus juxta preces, contrariis quibuscunque non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacr. Congr. de Propaganda Fide, 14 Maii, 1853.

Gratis sine ulla omnino solutione quocunque titulo.

Al. Barnabò, *a secretis.*

L. ✠ S.

III.

ASSIGNATIO ANTIPHONAE PECULIARIS

S. GEORGIO M. ANGLIAE PATRONO.

Beatissime Pater,

Archiepiscopus Westmonasteriensis et Episcopi suffraganei in Concilio provinciali collecti humillime supplicant ut S.V. benigne dignetur, quo specialior S. Georgio Angliae Patrono tribuatur cultus, et confusio devitetur in concurrentia aliarum commemorationum, extendere ad omnes Angliae Dioeceses indultum concessum per decretum S. Congregationis Sanctissimorum Rituum sub die 22 Januarii, 1852, cujus vi fuit permissum in Dioecesi Northamptonensi, ut recitari possit ad Vesperas et Laudes in suffragiis haec commemoratio: antiphona: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones.* ℣. *Scuto bonae voluntatis tuae.* ℟. *Coronasti eum, Domine,* cum oratione consueta.

Ex audientia Sanctissimi, habita die 13 Martii, 1853.

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa IX., referente me infrascripto S. C. de Propaganda Fide secretario, preces supra descriptas, nec non votum Eminentissimorum PP. Sacrae Congregationis benigne excepit, et in omnibus pro gratia annuit juxta petita: contrariis quibuscunque haud obstantibus.

Dat. ex Aed. S. C. de Propaganda Fide, die 14 Maii, 1853.

Gratis sine ulla omnino solutione quocunque titulo.

Al. Barnabò, *a secretis.*

L. ✠ S.

APPENDIX.

PARS III.

CONTINENS RESCRIPTA SANCTISSIMA CUM SYNODO NON COLLIGATA, SED AD SACERDOTUM COMMODUM HIC ANNEXA.

I.

PERMISSIO LEGENDI MISSAM DE REQUIEM IN FESTIS DUPL.

Beatissime Pater,

Vicarii Apostolici Angliae atque eorum nomine Nicolaus Wiseman, Episcopus Melipotamensis et in districtu centrali Vicarii Apostolici Coadjutor, ad pedes Sanctitatis Tuae provoluti humillime supplicant ut benigne dignetur concedere indultum in Scotia jam existens, ut scilicet in iis locis in quibus ob Sacerdotum inopiam missa cantari non possit, legi possint etiam in festis duplicibus missae privatae *de Requiem* praesente cadavere. Quare, etc.

Ex audientia Sanctissimi, habita die VII Martii, MDCCCXLVII.

Sanctissimus Dominus Noster Pius, divina Providentia PP. IX, referente me infrascripto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide secretario, perpensis expositis, indultum jam alias concessum Vicariatibus Apostolicis Scotiae, benigne extendit ad omnes Vicariatus Apostolicos Angliae; servatis in reliquis tenore ac forma indulti memorati. Contrariis quibuscunque non obstantibus.

Datum Romae, ex Ædib. dic. Sac. Congregationis, die et anno quibus supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quocunque titulo.

JOANNES, Arch. Thessalonicensis, *Secretarius.*

L. ✠ S.

II.

DE MISSA PRO POPULO IN FESTIS APPLICANDA.

Beatissime Pater,

Cum in clero Angliae orta fuerit ex parte aliorum difficultas et anxietas, et ex parte aliorum negligentia irrepserit, circa applicationem Missae *pro populo*, diebus festivis suppressis, Episcopi Vicarii Apostolici ad pedes Sanctitatis Tuae provoluti humillime petunt ut benigne dignetur declarare utrum obligatio hujus applicationis restricta sit festis jam observatis ab universa Ecclesia, vel etiam iis quae in sola Anglia colebantur, quaeque plurima numero fuerunt ante saeculum XVI. Rogant praeterea ut Sanctitas Tua, attenta quae de hac obligatione invaluit ignorantia, velit pro sua paterna indulgentia condonare quoad praeteritum, imposito onere celebrandi duodecim Missas iis qui dum curam haberent animarum talem applicationem omiserint. Et quandoquidem in multis Missionibus ea applicatio in diebus festivis suppressis difficilis evadat propter defectum alicujus qui sacerdoti Missam celebranti inserviat, supplicatur praeterea ut singuli Vicarii Apostolici possint pro talibus Missionibus et adjunctis, super ea lege dispensationem impertiri. Quare, etc.

Ex audientia Sanctissimi, habita die XIV Martii, MDCCCXLVII.

Sanctissimus Dominus Noster Pius, divina Providentia PP. IX, referente me infrascripto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide secretario, perpensis expositis, benigne annuit, ut sequitur :

1. Concessit veniam pro tempore praeterito, firma remanente obligatione pro festis actualibus.

2. Circa vero festa suppressa Sanctitas Sua voluit, ut firma remaneat obligatio pro illis quae suppressit in Anglia VIII Pius S. M. In reliquis eadem Sanctitas Sua declarat, ut obligatio applicationis missae adimpleatur iis diebus qui describuntur circa finem ordinarii Romani, ac in festis S. Gregorii Magni Angliae Apostoli, S. Augustini ejus discipuli, S. Georgii regni Protectoris, ac S. Thomae Cantuariensis Protectoris cleri saecularis Angliae.

3. Concessit tandem Vicariis Apostolicis facultatem, ut in re de qua agitur, dispensare possint cum sacerdotibus eorum spirituali jurisdictioni subjectis, non generatim sed in casibus peculiaribus.

Datum Romae, ex Aedibus dictae Sacrae Congregationis, die et anno quibus supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quocunque titulo.

JOANNES, arch. Thessalonicensis, *Secretarius.*

L. ✠ S.

TABULA FESTORUM SUPPRESSORUM,

IN QUIBUS OMNES, QUI CURAM HABENT ANIMARUM, IN ANGLIA, TENENTUR MISSAM CELEBRARE ET APPLICARE PRO POPULO.(1)

Festum *Annunciationis* B. M. V.
Fer II. et III. Heb. Pasch.
Fer II. et III. Heb. Pentec.

24 Feb.	Fest.	*S. Matthiae Apost.*
12 Mart.	„	*S. Gregorii Mag. Angliae Ap.*
20 „	„	*S. Cuthberti* (In Comitatu *Dunelmensi* tantum)
23 Apr.	„	*S. Georgii Angl. Prot.*
1 Maii	„	*SS. Philippi et Jacobi App.*
3 „	„	*Invent. S. Crucis.*
26 „	„	*S. Augustini Angl. Apost.*
25 Julii	„	*S. Jacobi Apost.*
26 „	„	*S. Annae, Matris B. M. V.*
10 Aug.	„	*S. Laurentii Mart.*
24 „	„	*S. Bartholomaei Apost.*
21 Sept.	„	*S. Matthaei Apost.*
28 Oct.	„	*SS. App. Simonis et Judae.*
30 Nov.	„	*S. Andreae Apost.*
21 Dec.	„	*S. Thomae Apost.*
26 Dec.	„	*S. Stephani protomart.*
28 „	„	*SS. Innocentium M.*
29 „	„	*S. Thomae Cant. Prot. Cleri Saec. Angliae.*
31 „	„	*S. Silvestri Papae et Conf.*

(1) Soli Episcopi tenentur in Anglia Missam pro populo celebrare, Vide Rescriptum Seq.

DE MISSA PRO POPULO.

EPISTOLA S. CONG. DE PROP. FIDE.

Illmo. e Rmo. Signore,

In data del 12 Aprile di quest' anno V.S. in unione coi VV. suoi Suffraganei proponeva alla S. Congne. i sequenti dubbii—

1. An Episcopi teneantur praeter Missam *pro populo* secundam Missam applicari curare pro congregatione fidelium prope Ecclesiam Cathedralem intra certos limites existente.

2. An stante recentiore expositione quoad festos dies sublatos in Constitutione *Amantissimi Redemptoris* permitti possit ut Episcopi servent dies indicatos in Rescripto 14 Martii, 1847.

3. An teneantur Missionarii Rectores in Anglia Missam pro populo applicare.

4. An teneantur alii Sacerdotes in qualibet Missione soli vel primi Missam pro populo applicare.

I dubbii surriferiti sono stati accuratamente discussi, ed ecco quanto ho a risponderle sui medesimi.

Riguardo al primo posso dirle che non essendo le Diocesi d' Inghilterra divise in vere e propriamente dette Parrocchie, i VV. che oltre l'amministrazione generale della Diocesi, si riservano la cura di un qualche distretto, non sono punto tenuti all' applicazione pel popolo di una seconda Messa, sebbene ciò abbia a dirsi *decere ex charitate.*

Al secondo dubbio la risposta è affermativa, cioè deve osservarsi il Rescritto del 14 Marzo, 1847. Una legge generale infatti non deroga mai nè alle leggi speciali, nè a particolari statuti, se almeno in generale non ne fa menzione. Ora la Costituzione *Amantissimi* non solo non fa menzione di ciò in veruna guisa, ma espressamente dichiara, che se alcuno avesse ottenuto qualche indulto, questo per la detta Costituzione non debba intendersi annullato.

La risposta al terzo dubbio è *Negative:* cioè i Missionarii Rettori in Inghilterra non sono astretti da alcuna propriamente

detta obbligazione ad applicare la Messa *pro populo*, sebbene *id deceat ex charitate.* La ragione è ovvia. In Inghilterra i Missionarii anche Rettori non sono *Parrocchi*, ma bensì entrano nel novero di meri e semplici Missionarii. Ora ha già risposta questa S. C. ai 23 Marzo del 1863 che i semplici Missionarii nei luoghi ove le Parrochie non sono stati canonicamente erette, non sono tenuti alla Messa *pro populo*, ma che solamente può dirsi per mera virtù di carità esser ciò conveniente.

Finalmente mi astengo di rispondere al quarto dubbio, trovandosi ad esso abbastanza risposto nella soluzione del terzo.

Una doppia difficoltà tuttavia è stata accennata in proposito alla quale trovo opportuno di dare una risposta. Se i Missionarii d' Inghilterra non sono tenuti *de jure communi* ad applicare la Messa *pro populo*, non potrebbero esservi obbligati dal Rescritto del 14 Marzo, 1847, o *dalla consuetudine*, la quale potrebbe dirsi incominciata dall' epoca di quel Rescritto, allorchè presso la petizione dei Vicarii Apostolici intorno la Messa *pro populo* nelle feste soppresse, la S. Sede determinò i giorni delle medesime? Ma quì è da osservare in primo luogo come sarebbe strano il pensare che la S. Sede col detto Rescritto intendesse di creare un diritto nuovo, e d'imporre ai Missionarii d' Inghilterra un peso che non avessero. Secondo la natura della risposta egli è chiaro che la S. Sede intese riferirsi al tenore della domanda fatta, e conseguentemente rispondere *juxta exposita*, cioè fondandosi sopra l' ipotesi delle cose esposte. Quindi è che la risposta fu implicitamente condizionata, e solo da valere nella ipotesi fatta dagli Oratori, che cioè in Inghilterra i Missionarii fossero obbligati alla Messa *pro populo.* In secondo luogo è da avvertire, che la pretesa consuetudine avrebbe in ogni caso una troppo breve vita, cioè di soli 19 anni, e che non sarebbe già *praeter jus* come da alcuno si è creduto, ma *contra jus*, perchè di materia nella quale il gius comune ha statuito precisamente il contrario disponendo cioè che per esser tenuto alla Messa *pro populo* bisogna essere vero Parroco, e che chiunque non è tale deve esserne esentato. Ma tralasciando anche ciò, V. S. ha saviamente notato che tratterebbesi di una consuetudine fondata sopra un' *errore.* Ora è noto a tutti che una consuetudine erronea non ha alcuna forza.

Tanto aveva a parteciparle in proposito, e pregandola a far conoscere ai Vescovi d' Inghilterra le risposte anzidette, prego il Signore che La conservi lungamente e La prosperi.

Roma dalla Propaganda 3 Decembre, 1866.

Di V. S.

Affmo. per servirla

AL. C. BARNABÒ, *Pref.*

A. CAPALTI, *Segrio.*

Monsig. Enrico Edo. Manning,
Arcivescovo di Westminster,
Londra.

III.

CONFIRMATIO INDULGENTIARUM

OLIM IN ANGLIA VIGENTIUM, OCTO STATUTIS ANNI TEMPORIBUS.

Beatissime Pater,

Thomas Grant, Procurator Vicariorum Apostolicorum Angliae, humillime supplicat ut S. V. benigne dignetur indulgentiam plenariam pro octo ex festivitatibus praecipuis hucusque publicatam, attento quod fideles occasione ejusdem ad Sacramenta accedere soleant, confirmare, servatis conditionibus consuetis, ita quod dubietas, quae ex abrogatione Constitutionis, *Apostolicum Ministerinm*, circa vigorem singularium concessionum, aut ipsarum originem oriri posset, omnino tollatur. Quare, etc.

Ex audientia Sanctissimi, habita die xxix. Sept., MDCCCL.

Sanctissimis Dominis Noster Pius divina Providentia PP. IX., referente me infrascripto S. C. de Propaganda Fide secretario, riteque perpensis omnibus rerum adjunctis, benigne annuit pro gratia juxta petita, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus dictae S. C. de Propaganda Fide, die et anno quibus supra.

Gratis absque ulla omnino solutione quocumque titulo.

Al. BARNABÒ, *a secretis.*

L. ✠ S.

IV.

DE FESTIS S. GREGORII MAGNI, ET S. BEDAE C.

Beatissime Pater,

Cum S. Gregorius Magnus semper habitus fuerit tanquam Apostolus gentis Anglorum et proinde peculiari quodam honore colendus sit, Nicolaus Wiseman, Episcopus Melipotamensis, et Jacobus Sharples, Episcopus Samariensis, districtuum centralis et Lancastriensis Coadjutores, ad pedes S. V. humillime provoluti, supplicant ut benigne dignetur indulgere ut ejusdem officium sub ritu duplicis secundae classis in Anglia possit in perpetuum observari.

Cumque ingens semper fuerit devotio erga Ven. Bedam, cujus festum occurrit die 29 Octobris, supplicant pariter ut de eodem Sancto fieri possit sub ritu duplicis majoris in perpetuum.

Utque magis ac magis augeatur fidelium pietas, petitur insuper ut omnes Christifideles, qui rite confessi et S. Synaxi refecti diebus festivis S. Gregorii et Ven. Bedae ad Deum preces fuderint, juxta mentem S. V. indulgentiam plenariam lucrentur, in perpetuum, in Anglia, atque ut eadem indulgentia, per modum suffragii, animabus in Purgatorio detentis applicari possit. Quare, etc.

Ex audientia Sanctissimi, habita die XVII Julii, MDCCCXLVII.

Sanctissimus Dominus Noster Pius, divina Providentia PP. IX, referente me infrascripto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide officiali, perpensis expositis, benigne annuit pro gratia in omnibus quae isto supplici libello petuntur, et Indulgentias de quibus agitur benigne in perpetuum concessit: contrariis quibuscunque minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedib. Sac. Cong., die et anno quibus supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quocunque titulo.

J.-B. Canonicus Palma, S. Cong. *Officialis.*

L. ✠ S.

V.

ISTRUZIONE

SULLA DIPENDENZA DEI MISSIONARJ REGOLARI

DAI VICARJ APOSTOLICI ED ALTRI SUPERIORI DI MISSIONI.

È ben dolente la S. Congregazione che non di rado si metta in dubbio da alcuni Missionarj specialmente Regolari l'autorità dei Vicarj Apostolici ed altri Superiori di Missioni, e di tratto in tratto vadansi riproducendo delle questioni di dipendenza, inesauste sorgenti di conseguenze funestissime al bene ed al progresso delle missioni medesime, quantunque dalla medesima Sagra Congregazione sian state più volte esaminate e definite; cui si aggiunse la Suprema Autorità della S. Sede con sapientissime prescrizioni.

Ad eliminare si disgustose differenze, fin dal 1669 la sagra memoria di Clemente IX. nella Bolla *Speculatores, etc.*, stabilì le regole riguardo alla dipendenza dei nominati Missionarj, ordinando :—

1. Che i Missionarj debbano presentare le proprie patenti al Vicario Apostolico, nonostante che siano spediti in missione direttamente dalla S. Sede, o dalla S. Congreg. di Propaganda Fide, di modo che, se ricusino di presentarle, possano i detti Vicarj come delegati della medesima S. Sede inibir loro l'esercizio del ministero.

2. Che i medesimi sono tenuti a chieder licenza ai Vicarj Apostolici di esercitare le loro facoltà ecc., sebbene questi non possano senza grave causa negargliela.

3. Che debbano esercitare la cura d'anime in mancanza del Clero Secolare; ciò non solo *ex charitate*, ma ben anche *ex justitia*, tal che possano esservi costretti dai Vicarj Apostolici.

4. Che esercitando la cura d'anime debbano, rapporto alla medesima ed alle funzioni parrocchiali, esser soggetti alla visita e correzione dei Vicarj.

5. Che debbano render conto, richiesti, ai Vicarj Apostolici, dell'esecuzione delle pie lascite, se siano deputati ad eseguirle.

6. Che se tra loro nascano questioni, i Vicarj Apostolici, come delegati della S. Sede, possano deciderle e terminarle, ecc.

Queste regole furono successivamente ancor meglio dichiarate, e di nuovo inculcate, a seconda delle difficoltà che si ravvisarono incontrarsi nell' osservanza delle medesime, o in occasione di dubbj proposti sull' oggetto stesso. Così nel 1677 la S. Sede dichiarò obbligati i citati Missionarj, non esclusi i Padri della Compagnia di Gesù, all' obbedienza e subordinazione ai Vicarj Apostolici "*quoad omnia negotia et directionem missionum.*" Nel 1680, a togliere ogni equivoco sulla relazione dei Religiosi verso i Superiori Regolari, la S. Sede volle chiarito che, sebbene essi quanto alla disciplina regolare erano soggetti ai Superiori dell' Instituto, pure questi non li potevan rimuovere dalla Missione senza il consenso del rispettivo Vicario Apostolico. Nel 1701 si confermò che i ricordati Missionarj, inquanto all'amministrazione dei Sagramenti ed altri ministeri di missione, sono *immediatamente* soggetti alla S. C. di Propaganda, o a chi la medesima li sottopone, cioè a Vicarj Apostolici. Similmente nel 1702 si ripetè il decreto, che i Missionarj Regolari nella Cina, di qualunque Instituto siano, debbano esser soggetti intieramente ai Vicarj Apostolici nell' amministrazione dei Sagramenti e cura di anime ecc., e così successivamente.

Da tuttociò è facile di dedurre su quali cose debbano i Religiosi di qualsiasi Istituto e Società dipendere, ed esser soggetti al Vicario Apostolico, ossia al Prelato Superioe della Missione, qualunque sia il titolo sotto cui la regga. In ogni modo, ad escludere ogni ulteriore occasione di dubbiezza, la Congregazione particolare per gli affari della Cina in conformità delle anzidette prescrizioni ha ingîunto (e il Santo Padre si è degnato di confermarlo) di dichiarare di nuovo espressamente a V. S., per sua norma e governo, che i Missionarj Regolari, compresi e nominatamente inchiusi i Padri della Compagnia, *eccettuata la sola interna disciplina regolare, quoad omnia negotia et directionem Missionum sub jurisdictione Vicariorum Apostolicorum esse.* Volle inoltre che si dichiarasse ancora espressamente, e si facesse sentire, che se il Missionario deve considerarsi legato da una doppia obbedienza, verso il Capo della Missione. e verso il Superiore Regolare, la prima dev'esser

sempre la preponderante; e quindi in caso di conflitto la prima dee vincere, e non venir paralizzata coll'esiggere l'osservanza della seconda. Sarebbe difatti ben singolare l'esigere, che il Religiosi dovesse preferire e far precedere l'obbedienza professata al Superiore dell' Ordine, a quella che è sopra ogni altra, cioè alla Suprema Autorità della S. Sede e del Vicario di Gesù Cristo, o far preponderare un qualsiasi punto di regolare ed interna disciplina agli obblighi principali e gravissimi di Missionario, ed il bene particolare al pubblico, ed alla salvezza eterna di moltissime anime confidategli. E ben persuasa la S. Congregazione che non potrà giammai aver luogo l'additato conflitto, se il Superiore Regolare, egli stesso, animato sia dal vero spirito Evangelico, e dalla dovuta obbedienza e rispetto alla S. Sede, ed ai Rappresentanti o Vicarj della medesima; e se questi dal canto loro non si fanno regolare che dal vero interesse della Religione, che certamente in molta parte dipende dalla santità dei Ministri ai quali viene esso affidato. Si apparterrà pertanto a V. S. come di attenersi alle sopradette regole e norme, così di esiggere dai suoi Missionarj la più esatta osservanza delle medesime.

Dalla Propaganda, 30 Settembre, 1848.

GIACOMO FILIPPO CARD FRANSONI, *Prefetto.*

AL. BARNABÒ, *Segretario.*

Laus Deo et immaculatae Virgini Mariae.

DECRETA

CONCILII PROVINCIALIS

WESTMONASTERIENSIS

SECUNDI.

A.D. MDCCCLV.

APPROBATIO.

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE.

Secunda, post restitutam in Anglia episcopalem hierarchiam, provincialis Synodus habita est superiore anno apud Oscott, praesidente Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Cardinali Wiseman Archiepiscopo Westmonasteriensi, pari cum fructu ac prior anno 1852 inaugurabatur. Actis itaque secundi Concilii provincialis Westmonasteriensis propositis in generali sacrae Congregationis conventu diei 21 Julii 1856, referente Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Cardinali Ludovico Altieri, Eminentissimi Patres censuerunt praedictum Concilium, paucis quibusdam ad peculiaris instructionis, quae insimul traditur, formam redactis, esse approbandum.

Hanc vero S. Congregationis sententiam Sanctissimo Domino Pio Papae IX. per infrascriptum secretarium relatam in audientia diei 27 Julii 1856, Sanctitas Sua admisit, annuitque reddi decretum.

Datum ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide die 16 Augusti 1856.

AL. Cardinalis BARNABO, *Praefectus.*

L. ✠ S.

CAJET., Archiepiscopus Thebar., *a secretis.*

CONCILII DECRETA.

DECRETUM I.

De Synodo incoepta.

DECRETUM II.

De Immaculato Beatissimae Virginis Mariae Conceptu dogmatice a Sanctissimo Domino Nostro definito.

Felicissimis sane sub auspiciis hanc nostram Synodum convocatam inchoatamque jure censere debemus, quae dogmaticam definitionem Immaculatae Dei Genitricis Conceptionis tam prope sequitur, ut merito ipsius patrocinio commendare possimus quidquid a nobis actum pronuntiatumve fuerit.

Qua de re, si omnipotenti Deo gratias palam agendas esse jam curavimus, tanto magis hic adunati solemniore ritu repetendas duximus, ita ut in ipso nostri operis limine manus ac oculos in Deum totius consolationis intendentes, Ipsi grates pro tanto beneficio rependamus, Ejusque imploremus clementiam, ut ab ingruentibus malis Ecclesiam et orbem, Dulcissimae Virginis Mariae intuitu liberet, et praeservet.

Sed maxime aequum pariter videtur, ut Sanctissimo Domino Nostro Pio Nono grati nostri animi sensus pandamus, eo quod divinis cedens impulsibus, coelestisque luminis radiis obsequens, hanc magnificam definitionem gaudens protulerit, suamque laetitiam per totum mundum profuderit. Nec satis: sed voluit etiam ut secum quamplures nostrum gauderent, quos

omnes Urbem commeantes benignissime excepit, et episcopalis gratiae a beato Paulo descriptae toti exemplum praebens Ecclesiae, hospitio munificentissimo recreavit.

Hinc evenit, ut e nostro coetu septem Antistites (1) illustrissimis quampluribus totius orbis Episcopis sociati, veluti testes auspicatissimae illius definitionis Summo Pontifici astiterint. Hinc ad greges nostros vivacior quodammodo pervenit tam insignis beneficii sensus, et in universali laetitia magis intima participatio.

Definitionem igitur ipsam demisso gratissimoque animo suscipientes, clero populoque nobis commissis hic unanimes proclamamus, ipsorumque pietati peramanter commendamus. Oraculum paternae vocis audiant et exsultent. Maternae dignitatis incrementum, honoris ampliorem cumulum, misericordiae sublimiorem titulum, pietatis augendae novam rationem, puritatis et innocentiae, totius originalis decoris veluti complementum perfectissimumque eulogium, ipsi Matri gratulantes recognoscant, sibique providi amplectantur. Crescat in dies in nostrorum omnium animis fervens in Mariam ab omni labe immunem devotio, firma fiducia, filialis affectio. Luceat in vita candor praecipuus castitatis, humilitatis eximius nitor, in Deum accensus amor, in proximos prompta dilectio, ut speculum nosmetipsos exhibeamus virtutum quas gloriae absolutissimae serto in Maria coelestis coronavit Pater.

Sitque ipsius dulcissimum nomen in hoc qualiscunque nostri laboris exordio a nobis invocatum veluti tessera quaedam pignusque divinae gratiae, qua foti adjutique opus nobis commissum sic feliciter incoeptum feliciorem ad exitum perducatur.

DECRETUM III.

De methodo vitae in Synodo servanda.

DECRETUM IV.

De non praejudicando.

(1) Scilicet Eminentissimus Archiepiscopus Westmonasteriensis, RR. PP. DD. Episcopi Beverlacensis, Newportensis et Meneviensis, Northantoniensis, Suthwarcensis, Nottinghamensis, atque Gerrensis nunc Liverpolitanus.

DECRETUM V.

De officialibus Synodi.

DECRETUM VI.

De judicibus in causis personalibus constituendis.

(Constituti sunt R. P. D. Episcopus Beverlacensis et R. P. D. Episcopus Birminghamiensis.)

DECRETUM VII.

De non discedendo.

DECRETUM VIII.

De bonis ecclesiasticis.

I. Bona quae a fidelibus in Religionis propagationem et decorem, cleri sustentationem, pauperum sublevationem aliosque pios usus erogantur, Deo et Ecclesiae donata censentur; eorumque administratores seu curatores, sive viri ecclesiastici sive laici fuerint, nihil amplius quam eorum dispensatores, Deo ipsi reddituri rationem, sunt habendi. Cum igitur hic jam inter dispensatores quaeratur ut fidelis quis inveniatur, de iis, quae rectam bonorum ecclesiasticorum administrationem respiciunt, in hac Synodo plenius nobis agendum videtur, quia praesertim in primo provinciali Concilio, rebus majoris momenti occupati, hujusmodi materiam ad tempus opportunius remiserimus.

II. Igitur allaborandum ut omni modo determinetur (si dubium exsistat) intentio et animus donatoris vet testatoris alicujus fundi, et ut usui ab ipso definito ipsius fructus accuratissime applicentur.

III. Si vero hujusmodi intentio non constet ex aliquo certo documento, servandae sunt regulae sive canones quibus de tali voluntate recte judicari possit.

IV. Quotiescunque erigatur aut provideatur ecclesia seu schola, sive aliud quodvis aedificium usibus religionis destinatum sive ex integro sive ex parte pecuniis collatis a fidelibus,

vel etiam a quavis societate piorum Catholicorum eleemosynarum administratrice, ejusmodi aedificium habendum est veluti in perpetuum illi loco addictum. Et quamvis missio de qua agitur sit ab aliqua corporatione religiosa occupata et administrata, eleemosynae illae praesumuntur non corporationi ipsi, sed Dei cultui promovendo et pauperum levamini fuisse collatae, eoque in loco ad hosce usus erogandae.

V. Similiter judicandum, si ab aliquo benefactore talia aedificia alicubi provideantur, nisi certissime constet declarasse se in tali erectione non loci ejusque fidelium commodum respexisse, sed Ordini illi donum voluisse conferre. (Regulae, sub numero praecedenti et sub hoc traditae quoad jus in fundationes, sunt applicandae ad novas tantum fundationes, cum de Regularibus agitur.)

VI. Non vero licebit Episcopo, missionem legitime alicui Ordini religioso concreditam dicto titulo ipsi auferre. Respiciunt enim hae regulae solummodo casum in quo regularis illa familia vel nequeat vel nolit illius missionis curam retinere, si, exempli gratia, a superiore ab illo loco revocetur, vel alia quavis de causa cesset omnino et non ad tempus duntaxat ibidem exsistere.

VII. Si vero aliqua missio fundatur exclusive sive longe majore ex parte sumptibus alicujus religiosae familiae, quae justis de causis atque in perpetuum alio migrare poterit velle, hortamur ut pactio clara fiat inter Episcopum et superiores Ordinis quid hoc in casu sit agendum, ne jura ex una parte laedantur, neve scandalum ex altera oriatur, et grave animarum damnum emergat.

VIII. Multo minus licet clerico vel ipsi Episcopo bona Ecclesiae alienare, sicuti constat ex innumeris pene juris canonici sanctionibus. Quod si propter causas ab ipso jure approbatas contigerit talem alienationem esse necessariam, sacerdos nunquam sine Episcopi auctoritate, nec Episcopus absque iis cautionibus, quae a lege canonica requiruntur, illam efficere potest.

IX. In omni missione pecuniae quae a fidelibus contribuuntur modis infra recensendis, habendae sunt pro bonis Ecclesiae, non pro muneribus datis sacerdoti. Ex ea nam-

que pecunia non solum ejus honestae sustentationi, sed et sumptibus religiosi cultus, manutentioni fabricae, debitis, si quae sint, solvendis, aliisque hujusmodi providendum est. Idcirco, si discedere a missione alicui sacerdoti contigerit in anni cursu, non jus habet ad ratam partem introitus annui nisi prius detrahatur pars juste assignanda illis impensis. Similiter ea quae providerat pro Ecclesiae usu ex ipsis redditibus Ecclesiae, *v. g.* cereos, vinum pro Sanctissimo Sacrificio, sacram supellectilem, post se relinquere debet absque compensatione, nisi constare faciat hanc provisionem aequam rationem excedere.

X. Diversas quidem methodos colligendi pecunias pro missionum sustentatione praevalere omnibus satis patet. Sequentes in primis non improbandas censemus, donec melius per charitatem fidelium provisum fuerit. Sunt igitur.

1. Sedium seu locorum assignatio certis personis seu familiis a quibus compensatio determinata datur ecclesiae.

2. Collectae ad Offertorium in ecclesia factae.

3. Pro consuetudine generaliter in Anglia vigente, solutio nummi determinati juxta qualitatem loci occupandi, ab iis qui locum assignatum non habent, nolunt vero locum liberum, ut aiunt, occupare.

4. Conciones ab aliquo insigniori verbi Dei praecone, post quas generatim pro Ecclesia, vel pro aliqua ejus parte seu attributione, colliguntur assistentium eleemosynae, qui saepe ex aliis congregationibus accurrunt, stipemque conferunt.

5. Collectae quae vel de domo in domum fiunt, per viros ad hoc deputatos aut per societates et confraternitates, legitime institutas, vel exiguntur per decurias aut centurias, prout fieri solet a laudabili Societate Propagationis Fidei nuncupata, vel quae a ditioribus, statutis temporibus aut singulis annis, solvuntur.

XI. Quamvis equidem exoptandum esset, plures ex hisce modis sustentandi Ecclesiam posse e medio tolli, jam tamen experientia docuit adhuc impossibile esse talibus adjumentis omni ex parte supersedere. Ubi igitur usus jam inviguit unum vel plures ex ipsis adhibendi, continuari ita debet, ut nulla in eis innovatio absque Episcopi arbitrio introducatur. Praesertim

vero spatium liberum non minuatur neque coarctetur, Eo inconsulto. Quidquid vero pecuniae per ista media ad missionem confluit, non ad ipsum sacerdotem, sed ad totas missionis necessitates pertinere reputetur. Quidquid igitur supellectilis, sacrae vel domesticae, ex his redditibus acquisierit sacerdos, vel quidquid in sarta tecta aedium sacrarum vel aedificiorum ad ecclesiam quomodocunque spectantium conservanda impenderit; non sibi, sed missioni providet, ex bonis ad eam pertinentibus.

XII. Cum igitur sacerdos aliquis ad suam primo missionem accedit, accipiat a vicario foraneo, vel ab alio deputato ab Episcopo, inventarium omnium ad missionem pertinentium. Tenetur autem supellectilem et aedificia integra servare, imo potius meliorare, ut saltem successori tantum tradat quantum ipse accepit. Quod si, vel ad reficienda quae vetustate obsoleta et squalida evaserunt, vel ad majorem locorum decorem nova seu venustiora providerit, distinguendum est, quonam ex fonte ista provenerint.

1. Nam si ex proprio peculio, sive ex familiarium sibi bene affectorum donis, sive tandem ex ea parte proventuum Ecclesiae quae sibi competit pro sua honesta sustentatione, sacerdos haec sibi comparaverit, habenda erunt ut propria, ratione semper habita obligationis conservandi in bono statu ea quae accepit.

2. Si vero generatim proventibus Ecclesiae, vel donis sive collectis congregationis, vel tandem aere ab Episcopo vel administratoribus rerum temporalium Dioeceseos concesso, fuerint haec conquisita, omnino missioni addicta dicenda sunt, neque ullo pacto licet sacerdoti ea sibi vindicare.

XIII. Communiter etiam censendum, nisi contrarium pateat, juxta regulam in jure traditam, ea, quea ecclesiasticis usibus apta donantur viro missionario, esse missioni donata. Ea vero quae personalem habent usum, ipsi data reputantur, sicuti etiam res sacrae, si expresse veluti grati animi vel affectus pignus a congregatione sacerdoti cuivis donantur.

XIV. Honoraria Missarum ad sacerdotis peculium pertinent. Similiter ubi viget usus, antiquus quidem in Anglia, temporibus solemnibus Paschae et Nativitatis Domini, singulis sacerdotibus munuscula dandi, haec ad ipsos de jure pertinent.

Caveat vero sacerdos ne in suspicionem cadat aliquid recipiendi, intuitu Sacramenti Poenitentiae ab ipso administrati.

XV. De applicatione pecuniae quae ex juribus stolae provenit, non una eademque praxis per totam obtinet Ecclesiam. Etenim, quamvis Ecclesia sordidum quaestum detestetur, ob quem pro Sacramentorum celebratione extorqueatur vel exigatur pecunia a fidelibus ea petentibus, Concilium tamen Lateranense sub Innocentio III. anno 1215 habitum praescripsit ut observarentur laudabiles consuetudines, quarum vigore oblationes, ex occasione celebrationis Sacramentorum, a fidelibus altaris ministris fiunt. Proventus ex hoc fonte derivantes ordinario sacerdotibus adjudicentur, quamvis diversis modis, pro diversitate locorum, distribuantur. Anteferenda vero videtur caeteris ea distributio quae magis ad allevanda onera missionis possit conferre.

XVI. Dum igitur prohibemus ne aliquid petatur (multoque magis exigi) ante Baptismatis vel Matrimonii celebrationem aut etiam post celebrationem veluti de jure, remittimus prudentiae Episcoporum ea in suis dioecesanis Synodis hac de re statuere quae consuetudinibus et conditioni locorum visa fuerint magis apta. Abusus praesertim omnes, si qui exsistant, tam in quantitate quam in exactione hujusmodi oblationum, diligentissime corrigant, modum ubique aequum imponendo.

XVII. Quicunque administrationi alicujus missionis praeest, quocunque titulo, librum omnino teneat diurnum omnium receptarum et expensarum missionis, in quo quotidie utrasque scribat accuratissime, et suo quasque ordine. Habeat etiam penes se alterum librum quem Magistrum *(Ledger)* vulgo vocant, in quem transferat, post mensem vel trimestrem omnia quae in primo libro continentur, ita tamen ut in ordinem redigantur, juxta capita ad quae summa quaeque, sive recepta sive expensa, referri debet.

XVIII. Quivis administrator habeat "computum apertum," ut dicitur, in mensa aliqua nummularia duorum virorum honestorum nominibus, praeter suum, ascriptum. Isti vero solummodo ad conservationem pecuniae a quovis jacturae periculo assumptos se sciant, neque sese illius administrationi ingerere debent. Deficiente vero uno, quacunque ex causa, duo qui supersunt,

alium ab Episcopo electum supplendum curabunt. Administrator igitur pecuniam ad missionem pertinentem, scilicet eam quae ad proprium peculium non pertinet, ultra summam librarum viginti apud se plus quam decem dies non retineat, sed in dictam mensam diligenter referat.

XIX. Nullus missionis administrator instrumenta legalia de bonis Ecclesiae conficiat sine expressa auctoritate Episcopi, qui legisperitos in hujusmodi negotiis versatissimos consulere non dubitabit, sicque revisioni accuratissimae subjiciantur.

XX. Omnia aedificia ad missionem pertinentia contra incendium secura reddantur per annuam solutionem factam alicui societati ad hoc destinatae.

XXI. Omnis eleemosynas fidelium quaerens muniri debet autographo Ordinarii vel superioris proprii objectum quaestus pii declarante et recognito ab Ordinario loci ubi quaestum facit, cum conditione in eo expressa quod ipse teneatur rationem accuratam reddere Episcopo vel superiori suo omnium summarum ab eo collectarum cum determinatione locorum in quibus versatus fuerit, et personarum a quibus eas habuerit, cum expressione temporis suae in singulis locis residentiae.

DECRETUM IX.

De versione canonicarum Scripturarum.

Ut versio accurata sacrae Scripturae ex Vulgata Latina quam primum habeatur, Patres censuerunt committendam esse viris doctis ab Eminentissimo Archiepiscopo eligendis ejus confectionem, servatis tamen regulis Indicis quoad operis revisionem, notas apponendas ex SS. Patribus et piis scriptoribus desumptas et permissionem et approbationem lectionis ejusdem.

DECRETUM X.

De absentia sacerdotum.

Ad clariorem intelligentiam decreti 14, c. 25, primae Synodi provincialis, statuimus sacerdotes coadjutores debere monere missionarium in ecclesia principalem quoties discedant etiam ad diem; nullosque missionarios vel principales vel

coadjutores debere abesse die Dominico vel festivo de praecepto absque licentia Episcopi vel Vicarii Generalis, excepto casu urgentiae in quo sacerdos discedens debet monere quamprimum Episcopum de dicta urgentia et relinquere idoneum sacerdotem qui vices suppleat.

Haec omnia in duabus sessionibus acta sunt. Ita testor ego notarius rogatus in collegio S. Mariae de Oscott die 15 Julii 1855.

Georgius Bowyer, *Notarius.*

Joannes Bonomi, Jacobus Moore, *Testes.*

ELENCHUS

DECRETORUM SYNODI SECUNDAE PROVINCIALIS WESTMONASTERIENSIS HABITAE IN COLLEGIO S. MARIAE DE OSCOTT CUM NUMERO ARTICULORUM.

Omnia et singula in hac Synodo statuta, decreta et acta qua decet obedientia et reverentia auctoritati, correctioni et emendationi Sanctae Romanae Ecclesiae, omnium Ecclesiarum Matris et Magistrae, et Romani Pontificis, Christi Vicarii judicio, emendanda, corrigenda, mutanda subjicimus.

Ego, Nicolaus Cardinalis Wiseman, Archiepiscopus Westmonasteriensis definiens subscripsi.

✠ Ego, Joannes, Episcopus Beverlacensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, Georgius, Episcopus Liverpolitanus, definiens subscripsi.

✠ Ego, Gulielmus, Episcopus Northantoniensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, Thomas Josephus, O.S.B., Episcopus Newportensis et Meneviensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, Gulielmus Bernardus, O. S. B., Episcopus Birminghamiensis definiens subscripsi.

✠ Ego, Gulielmus, Episcopus Hagulstadensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, Thomas, Episcopus Suthwarcensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, Gulielmus, Episcopus Salfordiensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, Jacobus, Episcopus Salopiensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, Richardus, Episcopus Nottinghamiensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, Thomas Brindle, Vicarius Capitularis Cliftoniensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, Gulielmus Clifford, Vicarius Capitularis Plymuthensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, Georgius, Archiepiscopus Trapezuntinus, Coadjutor Westmonasteriensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, Alexander, Episcopus Gerrensis, Coadjutor Liverpolitanus, definiens subscripsi.

✠ Ego, Joannes Beda, O. S. B., Archiepiscopus Sydneiensis, subscripsi.

✠ Ego, Gulielmus, O. S. B., Episcopus Trojanus, subscripsi.

✠ Ego, Bernardus, Abbas monasterii S. Bernardi Cisterciensis ordinis, subscripsi.

Rodolphus Bagnall, canonicus Birmingham.,
Gulielmus Thompson, canonicus Hagulstad., } *secretarii.*
Fredericus Rymer,

APPENDIX.

PARS I.

LITTERAE APOSTOLICAE
SS. DOMINI NOSTRI

DE DOGMATICA DEFINITIONE IMMACULATAE CONCEPTIONIS VIRGINIS DEIPARAE.

PIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Ineffabilis Deus, cujus viae misericordia et veritas, cujus voluntas omnipotentia, et cujus sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter, cum ab omni aeternitate praeviderit luctuosissimam totius humani generis ruinam ex Adami transgressione derivandam, atque in mysterio a saeculis abscondito primum suae bonitatis opus decreverit per Verbi incarnationem sacramento occultiore complere, ut contra misericors suum propositum homo diabolicae iniquitatis versutia actus in culpam non periret, et quod in primo Adamo casurum erat, in secundo felicius erigeretur, ab initio et ante saecula Unigenito Filio suo Matrem, ex qua caro factus in beata temporum plenitudine nasceretur, elegit atque ordinavit, tantoque prae creaturis universis est prosecutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit. Quapropter illam longe ante omnes angelicos spiritus cunctosque sanctos coelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulchra et perfecta eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua major sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest. Et quidem decebat omnino, ut perfectissimae

sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret, ac vel ab ipsa originalis culpae labe plane immunis amplissimum de antiquo serpente triumphum referret tam Venerabilis Mater, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tanquam seipsum diligit, ita dare disposuit, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris, et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi Matrem elegit, et de qua Spiritus Sanctus voluit, et operatus est, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedit.

Quam originalem augustae Virginis innocentiam cum admirabili ejusdem sanctitate, praecelsaque Dei Matris dignitate omnino cohaerentem catholica Ecclesia, quae a sancto semper edocta Spiritu columna est ac firmamentum veritatis, tanquam doctrinam possidens divinitus acceptam, et coelestis revelationis deposito comprehensam multiplici continenter ratione, splendidisque factis magis in dies explicare, proponere, ac fovere nunquam destitit. Hanc enim doctrinam ab antiquissimis temporibus vigentem, ac fidelium animis penitus insitam, et sacrorum Antistitum curis studiisque per catholicum orbem mirifice propagatam ipsa Ecclesia luculentissime significavit, cum ejusdem Virginis Conceptionem publico fidelium cultui ac venerationi proponere non dubitavit. Quo illustri quidem facto ipsius Virginis Conceptionem veluti singularem, miram, et a reliquorum hominum primordiis longissime secretam, et omnino sanctam colendam exhibuit, cum Ecclesia nonnisi de Sanctis dies festos concelebret. Atque idcirco vel ipsissima verba, quibus divinae Scripturae de increata Sapientia loquuntur, ejusque sempiternas origines repraesentant, consuevit tum in ecclesiasticis officiis, tum in sacrosancta liturgia adhibere, et ad illius Virginis primordia transferre, quae uno eodemque decreto cum divinae Sapientiae incarnatione fuerant praestituta.

Quamvis autem haec omnia penes fideles ubique prope recepta ostendant, quo studio ejusmodi de Immaculata Virginis Conceptione doctrinam ipsa quoque Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum mater et magistra fuerit prosecuta, tamen illustria hujus Ecclesiae facta digna plane sunt, quae nominatim recenseantur, cum tanta sit ejusdem Ecclesiae dignitas, atque auctoritas, quanta illi omnino debetur, quae est cath-

olicae veritatis et unitatis centrum, in qua solum inviolabiliter fuit custodita Religio, et ex qua traducem fidei reliquae omnes Ecclesiae mutuentur oportet. Itaque eadem Romana Ecclesia nihil potius habuit, quam eloquentissimis quibusque modis Immaculatam Virginis Conceptionem, ejusque cultum et doctrinan asserere, tueri, promovere et vindicare. Quod apertissime planissimeque testantur et declarant tot insignia sane acta Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum, quibus in persona Apostolorum Principis ab ipso Christo Domino divinitus fuit commissa suprema cura atque potestas pascendi agnos et oves, confirmandi fratres, et universam regendi et gubernandi Ecclesiam.

Enimvero Praedecessores Nostri vehementer gloriati sunt apostolica sua auctoritate festum Conceptionis in Romana Ecclesia instituere, ac proprio officio, propriaque Missa, quibus praerogativa immunitatis ab haereditaria labe manifestissime asserebatur, augere, honestare, et cultum jam institutum omni ope promovere, amplificare sive erogatis indulgentiis, sive facultate tributa civitatibus, provinciis, regnisque, ut Deiparam sub titulo Immaculatae Conceptionis patronam sibi deligerent, sive comprobatis sodalitatibus, congregationibus, religiosisque familiis ad Immaculatae Conceptionis honorem institutis, sive laudibus eorum pietati delatis, qui monasteria, xenodochia, altaria, templa sub Immaculati Conceptus titulo erexerint, aut sacramenti religione interposita Immaculatam Deiparae Conceptionem strenue propugnare spoponderint. Insuper summopere laetati sunt decernere Conceptionis festum ab omni Ecclesia esse habendum eodem censu ac numero, quo festum Nativitatis, idemque Conceptionis festum cum octava ab universa Ecclesia celebrandum, et ab omnibus inter ea, quae praecepta sunt, sancte colendum, ac pontificiam capellam in Patriarchali Nostra Liberiana Basilica die Virginis Conceptioni sacro quotannis esse peragendam. Atque exoptantes in fidelium animis quotidie magis fovere hanc de Immaculata Deiparae Conceptione doctrinam, eorumque pietatem excitare ad ipsam Virginem sine labe originali conceptam colendam, et venerandam, gavisi sunt quam libentissime facultatem tribuere, ut in Lauretanis Litaniis, et in ipsa Missae praefa-

tione Immaculatus ejusdem Virginis proclamaretur Conceptus, atque adeo lex credendi ipsa supplicandi lege statueretur. Nos porro tantorum Praedecessorum vestigiis inhaerentes non solum quae ab ipsis pientissime sapientissimeque fuerant constituta probavimus, et recepimus, verum etiam memores institutionis Sixti IV, proprium de Immaculata Conceptione officium auctoritate Nostra munivimus, illius queusum universae Ecclesiae laetissimo prorsus animo concessimus.

Quoniam vero quae ad cultum pertinent, intimo plane vinculo cum ejusdem objecto conserta sunt, neque rata et fixa manere possunt, si illud anceps sit, et in ambiguo versetur, idcirco Decessores Nostri Romani Pontifices omni cura Conceptionis cultum amplificantes, illius etiam objectum ac doctrinam declarare, et inculcare, impensissime studuerunt. Etenim clare aperteque docuere, festum agi de Virginis Conceptione, atque uti falsam et ab Ecclesiae mente alienissimam proscripserunt illorum opinionem, qui non Conceptionem ipsam, sed sanctificationem ab Ecclesia coli arbitrarentur et affirmarent. Neque mitius cum iis agendum esse existimarunt, qui ad labefactandam de Immaculata Virginis Conceptione doctrinam, excogitato inter primum atque alterum Conceptionis instans et momentum discrimine, asserebant, celebrari quidem Conceptionem, sed non pro primo instanti atque momento. Ipsi namque praedecessores Nostri suarum partium esse duxerunt, et beatissimae Virginis Conceptionis festum, et Conceptionem pro primo instanti tanquam verum cultus objectum omni studio tueri ac propugnare. Hinc decretoria plane verba, quibus Alexander VII. Decessor Noster sinceram Ecclesiae mentem declaravit, inquiens :—"Sane vetus est Christifidelium erga ejus beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas sentientium, ejus animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Jesu Christi ejus Filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis praeservatam immunem, atque in hoc sensu ejus Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebrantium (1)."

(1). Alexander VII, const. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* 8 Decembris, 1661.

Atque illud in primis solemne quoque fuit iisdem Decessoribus Nostris doctrinam de Immaculata Dei Matris Conceptione sartam tectamque omni cura, studio et contentione tueri. Etenim non solum nullatenus passi sunt, ipsam doctrinam quovis modo a quopiam notari, atque traduci, verum etiam longe ulterius progressi perspicuis declarationibus, iteratisque vicibus edixerunt, doctrinam, qua Immaculatam Virginis Conceptionem profitemur, esse, suoque merito haberi cum ecclesiastico cultu plane consonam, eamque veterem, ac prope universalem et ejusmodi, quam Romana Ecclesia sibi fovendam, tuendamque susceperit, atque omnino dignam, quae in sacra ipsa liturgia, solemnibusque precibus usurparetur. Neque his contenti, ut ipsa de Immaculato Virginis Conceptu doctrina inviolata persisteret, opinionem huic doctrinae adversam sive publice, sive privatim defendi posse severissime prohibuere, eamque multiplici veluti vulnere confectam esse voluerunt. Quibus repetitis luculentissimisque declarationibus, ne inanes viderentur, adjecere sanctionem: quae omnia laudatus Praedecessor Noster Alexander VI. his verbis est complexus:

"Nos considerantes, quod Sancta Romana Ecclesia de Intemeratae semper Virginis Mariae Conceptione festum solemniter celebrat, et speciale ac proprium super hoc officium olim ordinavit juxta piam, devotam et laudabilem institutionem, quae a Sixto IV Pradecessore Nostro tunc emanavit; volentesque laudabili huic pietati, devotioni, et festo, ac cultui secundum illam exhibito, in Ecclesia Romana post ipsius cultus institutionem nunquam immutato, Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum exemplo, favere nec non tueri pietatem et devotionem hanc colendi et celebrandi Beatissimam Virginem, praeveniente scilicet Spiritus Sancti gratia, a peccato originali praeservatam, cupientesque in Christi grege unitatem spiritus in vinculo pacis, sedatis offensionibus, et jurgiis, amotisque scandalis conservare; ad praefatorum Episcoporum cum Ecclesiarum suarum Capitulis ac Philippi Regis ejusque regnorum oblatam Nobis instantiam ac preces; constitutiones, et decreta, a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, et praecipue a Sixto IV, Paulo V, et Gregorio XV edita in favorem sententiae asserentis, animam Beatae Mariae Virginis in sui creatione, et in corpus infusione,

Spiritus Sancti gratia donatam, et a peccato originali praeservatam fuisse, nec non et in favorem festi, et cultus Conceptionis ejusdem Virginis Deiparae secundum piam istam sententiam, ut praefertur, exhibiti, innovamus, et sub censuris et poenis in eisdem constitutionibus contentis, observari mandamus.

"Et insuper omnes et singulos, qui praefatas constitutiones, seu decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictae sententiae, et festo seu cultui secundum illam exhibito, frustrentur, vel qui hanc eamden sententiam, festum seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directe, vel indirecte aut quovis praetextu, etiam definibilitatis ejus examinandae, sive sacram Scripturam, aut sanctos Patres sive doctores glossandi vel interpretandi, denique alio quovis praetextu seu occasione, scripto seu voce loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quidquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo, et insoluta relinquendo, aut alio quovis inexcogitabili modo disserendo ausi fuerint; praeter poenas et censuras in constitutionibus Sixti IV contentas, quibus illos subjacere volumus, et per praesentes subjicimus, etiam concionandi, publice legendi, seu docendi, et interpretandi facultate, ac voce activa et passiva in quibuscunque electionibus, eo ipso absque alia declaratione privatos esse volumus; nec non ad concionandum, publice legendum, docendum, et interpretandum perpetuae inhabilitatis poenas ipso facto incurrere absque alia declaratione; a quibus poenis nonnisi a Nobis ipsis, vel a Successoribus Nostris Romanis Pontificibus absolvi, aut super iis dispensari possint: nec non eosdem aliis poenis, Nostro, et eorumden Romanorum Pontificum Successorum Nostrorum arbitrio infligendis, pariter subjacere volumus, prout subjicimus per praesentes, innovantes Pauli V et Gregorii XV superius memoratas constitutiones sive decreta.

"Ac libros, in quibus praefata sententia, festum, seu cultus secundum illam iu dubium revocatur, aut contra ea quomodocunque, ut supra, aliquid scribitur aut legitur, seu locutiones, conciones, tractatus, et disputationes contra eadem continentur; post Pauli V supra laudatum decretum editos, aut in posterum quomodolibet edendos, prohibemus sub poenis et censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, et ipso facto absque alia

declaratione pro expresse prohibitis haberi volumus et mandamus."

Omnes autem norunt quanto studio haec de Immaculata Deiparae Virginis Conceptione doctrina a spectatissimis religiosis familiis, et celebrioribus theologicis academiis ac praetantissimis rerum divinarum scientia doctoribus fuerit tradita, asserta ac propugnata. Omnes pariter norunt quantopere solliciti fuerint sacrorum Antistites vel in ipsis ecclesiasticis conventibus palam publiceque profiteri, Sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam ob praevisa Christi Domini Redemptoris merita nunquam originali subjacuisse peccato, sed praeservatam omnino fuisse ab originis labe, et idcirco sublimiori modo redemptam. Quibus illud profecto gravissimum, et omnino maximum accedit, ipsam quoque Tridentinam Synodum, cum dogmaticum de peccato originali ederet decretum, quo juxta sacrarum Scripturarum, sanctorumque Patrum, ac probatissimorum Conciliorum testimonia statuit, ac definivit, omnes homines nasci originali culpa infectos, tamen solemniter declarasse, non esse suae intentionis in decreto ipso, tantaque definitionis amplitudine comprehendere Beatam et Immaculatam Virginem Dei Genitricem Mariam. Hac enim declaratione Tridentini Patres, ipsam Beatissimam Virginem ab originali labe solutam pro rerum temporumque adjunctis satis innuerunt, atque adeo perspicue significarunt, nihil ex divinis Litteris, nihil ex traditione, Patrumque auctoritate rite afferi posse, quod tantae Virginis praerogativae quovis modo refragetur.

Et re quidem vera hanc de Immaculata Beatissimae Virginis Conceptione doctrinam quotidie magis gravissimo Ecclesiae sensu, magisterio, studio, scientia, ac sapientia tam splendide explicatam, declaratam, confirmatam, et apud omnes catholici orbis populos ac nationes mirandum in modum propagatam, in ipsa Eclesia semper exstitisse veluti a majoribus acceptam, ac revelatae doctrinae charactere insignatam illustria venerandae antiquitatis Ecclesiae Orientalis et Occidentalis monumenta validissime testantur. Christi enim Ecclesia sedula depositorum apud se dogmatum custos et vindex, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, sed omni industria vetera fideliter sapienterque tractando si qua antiquitus informata

sunt, et Patrum fides servit, ita limare, expolire studet, ut prisca illa coelestis doctrinae dogmata accipiant evidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant plenitudinem, integritatem, proprietatem, ac in suo tantum genere crescant, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia.

Equidem Patres, Ecclesiaeque scriptores coelestibus edocti eloquiis nihil antiquius habuere, quam in libris ad explicandas Scripturas, vindicanda dogmata, erudiendosque fideles elucubratis summam Virginis sanctitatem, dignitatem, atque ab omni peccati labe integritatem, ejusque praeclaram de teterrimo humani generis hoste victoriam multis mirisque modis certatim praedicare atque efferre. Quapropter enarrantes verba, quibus Deus praeparata renovandis mortalibus suae pietatis remedia inter ipsa mundi primordia praenuntians et deceptoris serpentis retudit audaciam, et nostri generis spem mirifice erexit inquiens: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, semen tuum et semen illius*, docuere, divino hoc oraculo clare aperteque praemonstratum fuisse misericordem humani generis Redemptorem, scilicet Unigenitum Dei Filium Christum Jesum, ac designatam Beatissimam Ejus Matrem Virginem Mariam, ac simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas. Quocirca sicut Christus Dei hominumque mediator humana assumpta natura delens quod adversus nos erat chirographum decreti, illud cruci triumphator affixit, sic Sanctissima Virgo arctissimo et indissolubili vinculo cum Eo conjuncta, una cum Illo et per Illum sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exercens, ac de ipso plenissime triumphans, illius caput immaculato pede contrivit.

Hunc eximium, singularemque Virginis triumphum, excellentissimamque innocentiam, puritatem, sanctitatem ejusque ab omni peccati labe integritatem, atque ineffabilem coelestium omnium gratiarum, virtutum, ac privilegiorum copiam, et magnitudinem iidem Patres viderunt tum in arca illa Noe, quae divinitus constituta a communi totius mundi naufragio plane salva et incolumis evasit; tum in scala illa, quam de terra ad coelum usque pertingere vidit Jacob, cujus gradibus angeli Dei ascendebant, et descendebant, cujusque vertici ipse innitebatur Dominus; tum in rubo illo, quem in loco sancto Moyses undique ardere, ac

inter crepitantes ignis flammas non jam comburi aut jacturam vel minimam pati, sed pulchre virescere ac florescere conspexit; tum in illa inexpugnabili turri a facie inimici, ex qua mille clypei pendent, omnisque armatura fortium; tum in horto illo concluso qui nescit violari, neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus; tum in corusca illa Dei civitate, cujus fundamenta in montibus sanctis; tum in augustissimo illo Dei templo, quod divinis refulgens splendoribus plenum est gloria Domini; tum in aliis ejusdem generis omnino plurimis, quibus excelsam Deiparae dignitatem, ejusque illibatam innocentiam, et nulli unquam naevo obnoxiam sanctitatem insigniter praenuntiatam fuisse Patres tradiderunt.

Ad hanc eamdem divinorum munerum veluti summam, originalemque Virginis, de qua natus est Jesus, integritatem describendam iidem prophetarum adhibentes eloquia non aliter ipsam Augustam Virginem concelebrarunt, ac uti columbam mundam, et sanctam Jerusalem, et excelsum Dei thronum, et arcam sanctificationis et domum, quam sibi aeterna aedificavit Sapientia, et Reginam illam, quae deliciis affluens, et innixa super Dilectum suum ex ore Altissimi prodivit omnino perfecta, speciosa ac penitus chara Deo, et nullo unquam labis naevo maculata. Cum vero ipsi Patres, Ecclesiæque scriptores animo menteque reputarent, Beatissimam Virginem ab angelo Gabriele sublimissimam Dei Matris dignitatem ei nuntiante, ipsius Dei nomine et jussu gratia plenam fuisse nuncupatam, docuerunt hac singulari solemnique salutatione nunquam alias audita ostendi, Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque Divini Spiritus charismatibus exornatam, imo eorumdem charismatum infinitum prope thesaurum, abyssumque inexhaustam, adeo ut nunquam maledicto obnoxia, et una cum Filio perpetuae benedictionis particeps ab Elisabeth Divino acta Spiritu audire meruerit: *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.*

Hinc non luculenta minus, quam concors eorumdem sententia, Gloriosissimam Virginem, cui fecit magna, qui potens est, ea coelestium omnium donorum vi, ea gratiae plenitudine, eaque innocentia emicuisse, qua veluti ineffabile Dei miraculum, imo omnium miraculorum apex, ac digna Dei Mater exstiterit, et ad

Deum ipsum pro ratione creatae naturae, quam proxime accedens omnibus, qua humanis, qua angelicis praeconiis celsior evaserit. Atque idcirco ad originalem Dei Genitricis innocentiam, justitiamque vindicandam, non eam modo cum Eva adhuc virgine, adhuc innocente, adhuc incorrupta, et nondum mortiferis fraudulentissimi serpentis insidiis decepta saepissime contulerunt, verum etiam mira quadam verborum sententiarumque varietate praetulerunt. Eva enim serpenti misere obsecuta et ab originali excidit innocentia, et illius mancipium evasit, sed Beatissima Virgo originale donum jugiter augens, quin serpenti aures unquam praebuerit, illius vim potestatemque virtute divinitus accepta funditus labefactavit.

Quapropter nunquam cessarunt Deiparam appellare vel lilium inter spinas, vel terram omnino intactam, virgineam, illibatam, immaculatam, semper benedictam, et ab omni peccati contagione liberam, ex qua novus formatus est Adam, vel irreprehensibilem, lucidissimum, amoenissimumque innocentiae, immortalitatis, ac deliciarum paradisum a Deo ipso consitum et ab omnibus venenosi serpentis insidiis defensum, vel lignum immarcescibile, quod peccati vermis nunquam corruperit, vel fontem semper illimem, et Spiritus Sancti virtute signatum, vel divinissimum templum, vel immortalitatis thesaurum, vel unam et solam, non mortis sed vitae filiam, non irae sed gratiae germen quod semper virens ex corrupta infectaque radice singulari Dei providentia praeter statas communesque leges effloruerit. Sed quasi haec, licet splendidissima, satis non forent, propriis definitisque sententiis edixerunt, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habendam esse quaestionem de Sancta Virgine Maria, cui plus gratiae collatum fuit ad vincendum omni ex parte peccatum; tum professi sunt, Gloriosissimam Virginem fuisse parentum reparatricem, posterorum vivificatricem, a saeculo electam, ab Altissimo sibi praeparatam a Deo, quando ad serpentem ait: *Inimicitias ponam inter te et mulierem*, praedictam, quae procul dubio venenatum ejusdem serpentis caput contrivit; ac propterea affirmarunt, eamdem Beatissimam Virginem fuisse per gratiam ab omni peccati labe integram ac liberam ab omni contagione et corporis, et animae, et intellectus, ac semper cum Deo conversatam et sempiterno foedere cum Illo

conjunctam, nunquam fuisse in tenebris, sed semper in luce, et idcirco idoneum plane exstitisse Christo habitaculum non pro habitu corporis, sed pro gratia originali.

Accedunt nobilissima effata, quibus de Virginis Conceptione loquentes testati sunt, naturam gratiae cessisse ac stetisse tremulam, pergere non sustinentem; nam futurum erat, ut Dei Genitrix Virgo non antea ex Anna conciperetur, quam gratia fructum ederet: concipi siquidem primogenitam oportebat, ex qua concipiendus esset omnis creaturae primogenitus. Testati sunt carnem Virginis ex Adam sumptam maculas Adae non admisisse, ac propterea Beatissimam Virginem tabernaculum esse ab ipso Deo creatum, Spiritu sancto formatum, et purpurae revera operae, quod novus ille Beseleel auro intextum variumque effinxit, eamdemque esse meritoque celebrari ut illam, quae proprium Dei opus primum exstiterit, ignitis maligni telis latuerit, et pulchra natura, ac labis prorsus omnis nescia, tanquam aurora undequaque rutilans, in mundum prodiverit in sua Conceptione Immaculata. Non enim decebat, ut illud vas electionis communibus lacesseretur injuriis, quoniam plurimum a caeteris differens, natura communicavit non culpa, imo prorsus decebat ut sicut Unigenitus in coelis Patrem habuit, quem Seraphim ter sanctum extollunt, ita Matrem haberet in terris, quae nitore sanctitatis nunquam caruerit. Atque haec quidem doctrina adeo majorum mentes, animosque occupavit, ut singularis et omnino mirus penes illos invaluerit loquendi usus, quo Deiparam saepissime compellarunt Immaculatam, omnique ex parte Immaculatam, innocentem et innocentissimam, illibatam et undequaque illibatam, sanctam et ab omni peccati sorde alienissimam, totam puram, totam intemeratam, ac ipsam prope puritatis et innocentiae formam, pulchritudine pulchriorem, venustate venustiorem, sanctiorem sanctitate, solamque sanctam, purissimamque anima et corpore, quae supergressa est omnem integritatem et virginitatem, ac sola tota facta domicilium universarum gratiarum Sanctissimi Spiritus, et quae, solo Deo excepto, exstitit cunctis superior, et ipsis Cherubim et Seraphim, et omni exercitu Angelorum *natura pulchrior, formosior et sanctior*, cui praedicandae coelestes et terrenae linguae minime sufficiunt. Quem usum ad sanctissimae quoque litur-

giae monumenta atque ecclesiastica officia sua veluti sponte fuisse traductum, et in illis passim recurrere, ampliterque dominari nemo ignorat, cum in illis Deipara invocetur et praedicetur veluti rosa semper vigens, et undequaque purissima, et semper immaculata semperque beata, ac celebretur uti innocentia, quae nunquam fuit laesa, et altera Eva, quae Emmanuelem peperit.

Nil igitur mirum si de Immaculata Deiparae Virginis Conceptione doctrinam judicio Patrum divinis Litteris consignatam, tot gravissimis eorumdem testimoniis traditam, tot illustribus venerandae antiquitatis monumentis expressam et celebratam, ac maximo gravissimoque Ecclesiae judicio propositam et confirmatam tanta pietate, religione et amore ipsius Ecclesiae pastores, populique fideles quotidie magis profiteri sint gloriati, ut nihil iisdem dulcius, nihil charius, quam ferventissimo affectu Deiparam Virginem absque labe originali conceptam ubique colere venerari, invocare, et praedicare. Quamobrem ab antiquis temporibus sacrorum Antistites, ecclesiastici viri, Regulares Ordines, ac vel ipsi Imperatores et Reges ab hac Apostolica Sede enixe efflagitarunt. ut Immaculata Sanctissimae Dei Genitricis Conceptio veluti catholicae fidei dogma definiretur. Quae postulationes hac nostra quoque aetate iteratae fuerunt ac potissimum felicis recordationis Gregorio XVI., Praedecessori Nostro, ac Nobis ipsis oblatae sunt tum ab Episcopis, tum a Clero saeculari, tum a religiosis familiis, ac summis principibus et fidelibus populis.

Nos itaque singulari animi Nostri gaudio haec omnia probe noscentes, ac serio considerantes, vix dum licet immeriti arcano divinae Providentiae consilio ad hanc sublimem Petri cathedram evecti totius Ecclesiae gubernacula tractanda suscepimus, nihil certe antiquius habuimus, quam pro summa Nostra vel a teneris annis erga Sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam veneratione, pietate et affectu ea omnia peragere, quae adhuc in Ecclesiae votis esse poterant, ut Beatissimae Virginis honor augeretur, ejusque praerogativae, uberiori luce niterent. Omnem autem maturitatem adhibere volentes constituimus peculiarem VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium religione, consilio, ac divinarum rerum scientia illustrium congregationem, et viros ex Clero tum saeculari, tum regulari, theologicis disciplinis apprime

excultos selegimus, ut ea omnia, quae Immaculatam Virginis Conceptionem respiciunt, accuratissime perpenderent, propriamque sententiam ad Nos deferrent. Quamvis autem Nobis ex receptis postulationibus de definienda tandem aliquando Immaculata Virginis Conceptione perspectus esset plurimorum sacrorum Antistitum sensus, tamen encyclicas Litteras die 2 Februarii, anno 1849, Cajetae datas ad omnes Venerabiles Fratres totius catholici orbis sacrorum Antistites misimus, ut, adhibitis ad Deum precibus, Nobis scripto etiam significarent, quae esset suorum fidelium erga Immaculatam Deiparae Conceptionem pietas, ac devotio, et quid ipsi praesertim Antistites de hac ipsa definitione ferenda sentirent, quidve exoptarent, ut, quo fieri solemnius posset, supremum Nostrum judicium proferremus.

Non mediocri certe solatio affecti fuimus ubi eorumdem Venerabilium Fratrum ad Nos responsa venerunt. Nam iidem incredibili quadam jucunditate, laetitia, ae studio Nobis rescribentes non solum singularem suam, et proprii cujusque Cleri, populique fidelis erga Immaculatum Beatissimae Virginis Conceptum pietatem, mentemque denuo confirmarunt, verum etiam communi veluti voto a Nobis expostularunt, ut Immaculata ipsius Virginis Conceptio supremo Nostro judicio et auctoritate definiretur. Nec minori certe interim gaudio perfusi sumus, cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinales commemoratae peculiaris Congregationis, et praedicti theologi consultores a Nobis electi pari alacritate et studio post examen diligenter adhibitum hanc de Immaculata Deiparae Conceptione definitionem a Nobis efflagitaverint.

Post haec illustribus Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, ac rite recteque praecedere optantes, indiximus et habuimus consistorium, in quo Venerabiles Fratres Nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales allocuti sumus, eosque summa animi Nostri consolatione audivimus a Nobis exposcere, ut dogmaticam de Immaculata Deiparae Virginis Conceptione definitionem emittere vellemus.

Itaque plurimum in Domino confisi advenisse temporum opportunitatem pro Immaculata Sanctissimae Dei Genitricis Virginis Mariae Conceptione definienda, quam divina eloquia,

veneranda traditio, perpetuus Ecclesiae sensus, singularis catholicorum Antistitum ac fidelium conspiratio, et insignia Praedecessorum Nostrorum acta et constitutiones mirifice illustrant atque declarant; rebus omnibus diligentissime perpensis, et assiduis fervidisque ad Deum precibus effusis minime cunctandum Nobis esse censuimus supremo Nostro judicio Immaculatam ipsius Virginis Conceptionem sancire, definire, atque ita pientissimis catholici orbis desideriis, Nostraeque in ipsam Sanctissimam Virginem pietati satisfacere, ac simul in ipsa unigenitum Filium suum Dominum Nostrum Jesum Christum magis atque magis honorificare, cum in Filium redundet quidquid honoris et laudis in Matrem impenditur.

Quare postquam nunquam intermisimus in humilitate et jejunio privatas Nostras et publicas Ecclesiae preces Deo Patri per Filium ejus offerre, ut Spiritus Sancti virtute mentem Nostram dirigere, et confirmare dignaretur, implorato universae coelestis curiae praesidio, et advocato cum gemitibus Paracleto Spiritu, eoque sic aspirante, ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad decus et ornamentum Virginis Deiparae, ad exaltationem Fidei catholicae, et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostri declaramus, pronuntiamus et definimus, doctrinam quae tenet, Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse singulari Omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam. Quapropter, si qui secus ac a Nobis definitum est, quod Deus avertat, praesumpserint corde sentire, ii noverint, ac porro sciant, se proprio judicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse, et ab unitate Ecclesiae defecisse, ac praeterea facto ipso suo semet poenis a jure statutis subjicere si quod corde sentiunt, verbo aut scripto, vel alio quovis externo modo significare ausi fuerint.

Repletum quidem est gaudio os Nostrum et lingua Nostra exsultatione, atque humillimas maximasque Christo Jesu Domino Nostro agimus et semper agemus gratias, quod singulari suo beneficio Nobis licet immerentibus concesserit hunc honorem

atque hanc gloriam et laudem Sanctissimae Suae Matri offerre et decernere. Certissima vero spe et omni prorsus fiducia nitimur fore, ut ipsa Beatissima Virgo, quae tota pulchra et Immaculata venenosum crudelissimi serpentis caput contrivit, et salutem attulit mundo, quaeque Prophetarum, Apostolorumque praeconium, et honor Martyrum, omniumque Sanctorum laetitia et corona, quaeque tutissimum cunctorum periclitantium perfugium, et fidissima auxiliatrix, ac totius terrarum orbis potentissima apud unigenitum Filium suum mediatrix, et conciliatrix, ac praeclarissimum Ecclesiae sanctae decus et ornamentum, firmissimumque praesidium cunctas semper interemit haereses, et fideles populos, gentesque a maximis omnis generis calamitatibus eripuit, ac Nos ipsos a tot ingruentibus periculis liberavit; velit validissimo suo patrocinio efficere, ut sancta Mater catholica Ecclesia cunctis amotis difficultatibus, cunctisque profligatis erroribus, ubicunque gentium, ubicunque locorum quotidie magis vigeat, floreat, ac regnet a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, omnique pace, tranquillitate ac libertate fruatur, ut rei veniam, aegri medelam, pusilli corde robur, afflicti consolationem, periclitantes adjutorium obtineant, et omnes errantes, discussa mentis caligine, ad veritatis ac justitiae semitam redeant, ac fiat unum ovile et unus pastor.

Audiant haec Nostra verba omnes Nobis charissimi catholicae Ecclesiae filii, et ardentiori usque pietatis, religionis, et amoris studio pergant colere, invocare, exorare, Beatissimam Dei Genitricem Virginem Mariam sine labe originali conceptam, atque ad hanc Dulcissimam misericordiae et gratiae Matrem in omnibus periculis, angustiis, necessitatibus, rebusque dubiis ac trepidis cum omni fiducia confugiant. Nihil enim timendum, nihilque desperandum ipsa duce, ipsa auspice, ipsa propitia, ipsa protegente, quae maternum sane in nos gerens animum, nostraeque salutis negotia tractans de universo humano genere est sollicita, et coeli terraeque Regina a Domino constituta, ac super omnes Angelorum choros Sanctorumque ordines exaltata astans a dextris Unigeniti Filii sui Domini Nostri Jesu Christi maternis suis precibus validissime impetrat, et quod quaerit invenit, ac frustrari non potest.

Denique ut ad universalis Ecclesiae notitiam haec Nostra de Immaculata Conceptione Beatissimae Virginis Mariae definitio deducatur, has apostolicas Nostras Litteras ad perpetuam rei memoriam exstare voluimus: mandantes ut harum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ab omnibus adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostrae declarationis, pronuntiationis ac definitionis infringere, vel ei ausu temerario adversari et contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quinquagesimo quarto, VI Idus Decembris, anno MDCCCLIV, Pontificatus Nostri anno nono.

PIUS PP. IX.

PARS II.

LITTERÆ APOSTOLICAE

QUIBUS ADJUNGITUR ECCLESIAE LIVERPOLITANAE CENTURIA LEYLAND.

PIUS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Cum ecclesiasticam hierarchiam in Angliae regno instauravimus, et plures episcopales Ecclesias archiepiscopali sedi Westmonasteriensi suffraganeas constituimus, apostolicis ea super re expeditis in simili forma Brevis Litteris die XXIX Septembris anno MDCCCL, in definiendo episcopalis Ecclesiae Salfordiensis territorio Centuriam Leyland dictae Salfordiensi Ecclesiae assignavimus. Nunc vero cum gravissimis etiam testimoniis innotuerit, melius provisum iri, si regio illa Liver-

politanae Ecclesiae adjungatur, Nos de consilio VV. FF. NN. S. E. R. Cardinalium Propagandae Fidei praepositorum eam a Salfordiensi Ecclesia substractam Liverpolitanae sedi adjiciendam existimavimus. Itaque motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione Nostra, deque apostolicae auctoritatis plenitudine memoratam Centuriam Leyland a Salfordiensi Ecclesiae territorio tenore praesentium subtrahimus, ac dismembramus, eamque Ecclesiae Liverpolitanae in perpetuum adjungimus, atque Antistiti Liverpolitano in perpetuum pariter regendam committimus: Non obstantibus Nostra, et Cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, nec non memoratis Nostris in forma Brevis datis Litteris die XXIX Septembris anni superioris, aliisque apostolicis, atque in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus caeterisque contrariis quibusque. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVII Junii MDCCCLI, Pontificatus Nostri anno sexto.

Pro Domino Cardinali Lambruschini,
A. PICCHIONI, *Substitutus.*

PARS III.

QUAESTIONES

PRO RELATIONE AD SANCTAM CONGREGATIONEM DE PROPAGANDA FIDE, AB EADEM S. C. PROPOSITAE.

(1 Conc. Westmonast. XXIX, 3, p. 37.)

1. Exprimantur nomen, aetas, patria Episcopi, et etiam institutum, si sit regularis.

2. Amplitudo et qualitas dioecesis.

3. In qua provincia sit, vel quot provincias contineat.

4. Si Ecclesia sit archiepiscopalis, quot et quales habeat suffraganeos; si verò episcopalis, cujus Archiepiscopi sit suffraganea.

5. An habeat cathedralem, et propriam residentiam, et in qua civitate.

6. An Episcopus habeat facultates speciales a S. Sede, et quas.

7. An habeat reditus proprios, quot et in quo consistant.

8. Enumerentur loca dioecesis, et eorum respective distantia.

9. Quando visitatio dioecesis fuerit peracta, num ad tramites praescript. canonicarum.

10. Quando provincialis ac dioecesana Synodi fuerint habitae.

11. An pro exercitio jurisdictionis aliqua inferatur molestia ab Episcopis finitimis.

12. An habeat Capitulum, et ex quot canonicis constet.

13. An adsint praebendae, et quae.

14. Quale servitium praestent canonici cathedrali: et an etiam fungantur munere parochi in locis dioecesis.

15. An resideant intra fines parochiae.

16. An se immisceant in regimine Ecclesiae, et impediant liberam jurisdictionem Episcopi.

17. An habeat seminarium, et ubi: quot juvenes ibidem alantur, et quibus studiis vacent.

18. Num Concilii Tridentini regulae circa seminaria serventur.

19. An ibi adsint parochi, vel tantummodo simplices missionarii.

20. An parochi sint perpetui, vel ad nutum amovibiles, et an Missam celebrent festis diebus pro populo.

21. An eligantur ab Episcopo.

22. Quot sint parochiae: an in eis servetur Sacrosancta Eucharistia, et cum qua decentia.

23. An habeant fines certos, et propriam ecclesiam: et quot capellae inveniantur in districtu uniuscujusque parochiae.

24. An aliquae parochiae sint addictae ordinibus regularibus, et quibus.

25. An parochi habeant sacerdotes, qui eos adjuvent in cura animarum.

26. Exprimatur numerus, et qualitas Catholicorum in singulis quibusque locis degentium.

27. An sint et quo numero scholae catholicae et quot in iis instituantur.

28. An adsit doctrina Christiana in lingua vernacula expurgata ab omni errore, et quatenus negative.

29. Au sint et quo numero scholae acatholicorum et num catholici et quo numero illas adeant.

30. Exprimatur numerus sacerdotum indigenarum et exterorum.

31. Eorum patria, mores, munera, in quibus se exercent, et cujus utilitatis sint pro servitio Ecclesiae.

32. An hujusmodi sacerdotes facultates habeant a Sede apostolica, et cujus expensis vivant.

33. An inter istos inveniantur Alumni Sacr. Congregationis de Propaganda Fide: quinam sint: et an satisfaciant muneri suo.

34. Exprimantur etiam nomen, aetas, et qualitates sacerdotum indigenarum, qui sunt extra dioecesim: tum etiam adnotentur loca, in quibus morantur: quid ibi peragant: et an ex aliquo peculiari titulo teneantur inservire propriae Ecclesiae.

35. An sint etiam clerici, et quot: quomodo et ad quem titulum ordinentur; ubi resideant; et quid ab illis exigatur, ut ad sacros ordines promoveri possint.

36. An adsint missionarii regulares, quot, cujus ordinis, et cujus regionis.

37. An cuilibet ordini sint assignati certi districtus; et qua auctoritate.

38. Ubi resideant, quibus superioribus subsint, et quot habeant domos.

39. An habeant conventus formatos, vel duntaxat hospitia: et an in iis servetur clausura.

40. An in communi vivant, et cum regulari observantia, vel habitent soli, et in domibus privatis cum saecularibus: et praecipue cum mulieribus.

41. In quo habitu incedant.

42. An admittant ad habitum, et professionem sui ordinis indigenas, et qua auctoritate.

43. An regulares habeant facultates speciales: et an eas exhibeant Episcopo, antequam exerceant.

44. In quibus dependeant ab Episcopis.

45. Quibus mediis sustententur: an aliquid pro Sacramentorum administratione percipiant, et quae sit illorum fama.

46. An, et in quibus utile opus praestent pro salute animarum, et pro incremento religionis.

47. An sit aliquis monialium conventus; cujus instituti; qua auctoritate fundatus; et cujus curae et ministerio subsit.

48. An ibidem observetur vita communis, et an moniales obstringantur votis solemnibus, paupertatis, castitatis, obedientiae, et clausura.

49. An sint in dioecesi piae aliquae fundationes, seu legata pia.

50. An reditus pro hujusmodi legatis rite administrentur et canones ea de re serventur.

51. Enumerentur omnes abusus, qui forte irrepserunt etiam inter Catholicos, sive circa fidem, et ritus, sive circa mores, vel administrationem Sacramentorum, divini verbi praedicationem, et cujusque alterius generis sint.

52. Exprimantur principales causae hujusmodi abusuum; et quomodo possint eradicari.

53. Num matrimonia rite contrahantur.

54. An a viginti circiter annis status Fidei catholicae augeatur, vel potius decrescat: et qua de causa.

55. Tandem attente perpendat spirituales Christianitatis illius necessitates: eas distincte referat; mediaque proponat idonea ad praeteritos errores evellendos, et majorem religionis profectum inducendum.

PARS IV.

DE CANONICATUUM COLLATIONE.

(1 Conc., Westmonast., xi, 7, p. 8.)

In collatione canonicatuum alias non reservatorum et affectorum conceditur Indultum Episcopo residenti pro mensibus *Feb.*, *April*, *Jun.*, *Aug.*, *Oct.*, *Dec.*—(Bened. XIV. *Ad universae*, Sept. 3, 1746.)

BEATISSIMO PADRE.

Il Vescovo di Southwark in Inghilterra riflettendo che l'imminente Sinodo provinciale sarà di non piccola durata per la

moltiplicità delle materie da trattarsi in esso ardirebbe implorare dalla S. V. per una certa uniformità negli statuti capitolari dei quali anderanno certamente a trattare, la grazia Apostolica del godimento dei sei mesi in favore dei vescovi residenti, imperocchè potendo accadere che qualche vescovo ignorasse l'obbligo di chiedere per sè i due mesi concessi a favore dei residenti oltre i quattro soliti, potria esser luogo a qualche disturbo, vedendosi un vescovo conferire in un mese, in cui un'altro non munito del privilegio suddetto non lo potesse esercitare.

Ex Audientia Sanctissimi habita die Jun. 1852.

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia PP. IX, referente me infrascripto S. C. de P. F. secretario, benigne annuit pro gratia juxta petita, dummodo enuntiati Episcopi vere resideant. Contrariis quibuscunque minime obstantibus.

Dat. Romae Aed. dic. S. C. die et anno ut supra.

Gratis, etc.

AL. BARNABÒ, *a secretis.*

L. ✠ S.

PARS V.

DE CONVENTIBUS CAPITULARIBUS,

(Statuta capitularia, IV, 1, p. 41.)

CONCEDITUR EPISCOPO FACULTAS DISPENSANDI OB RATIONABILES CAUSAS.

Ex Audientia Sanctissimi habita die 21 Januarii, 1855.

SS. D. N. Pius divina providentia PP. IX, referente me infrascripto S. C. de P. F. secretario, precibus nonnullorum Angliae Antistitum benigne annuens, attentis difficultatibus quae aliquando occurrunt quominus omnes prorsus canonici metropolitanae Ecclesiae Westmonasteriensis vel cathedralium Ecclesiarum Angliae adsint coetibus per singulos menses habendis, facultatem concessit Archiepiscopo Westmonasteriensi caeterisque Angliae Episcopis ut unum vel alterum ex canonicis sibi subjectis ob rationabilem causam dispensare valeant, quatenus mensilis conventus participes haud exsistant, ita tamen ut praedicti conventus non omittantur.

Datum Romae ex Aed. dic. S. C. die 22 Januarii, 1855.

L. ✠ S. AL. BARNABÒ, *a secretis.*

PARS VI.

LITTERAE APOSTOLICAE

SS. DOMINIS NOSTRI,

QUIBUS ALIQUA DUBIA CIRCA SACRA S. R. E. CARDINALIUM ET EPISCOPORUM UTENSILIA DECLARANTUR.

PIUS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Cum illud plurimi referat, ut in apostolicis concessionibus nullus detur dubitationi locus, quae animos torqueat et controversias excitet, idcirco, si quam exsistere ambiguitatem noverimus, ad eam advertendam curas Nostras libenter intendimus. Jam vero praeter indultum testandi de propriis bonis, quod VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Sancta haec Sedes tribuere solet per apostolicas Litteras in forma Brevis incipientes: *De benignitate Sedis apostolicae*, iisdem per alias similes Litteras in forma Brevis, quarum initium: *Cum fel. rec. Urbanus VIII.*, facultas conceditur disponendi de sacris utensilibus favore alicujus ecclesiae, seu capellae, vel loci pii, non obstante constitutione Urbani VIII: *Aequum est*, edita die 24 Julii anno 1624, qua sacra Cardinalium utensilia pontificio sacrario attribuuntur. Verum cum in memorato postremo Brevi, etiam quando agitur de Cardinalibus, Archiepiscopis et Abbatibus ex quodam invecto usu addi consueverit clausula: "salvaque in praemissis quoad ecclesias cathedrales, metropolitanas, aut patriarchales, quibus praefueris, quas alias ex concessione vel dispensatione apostolica in titulum, administrationem, seu commendam obtinueris, dispositione constitutionis fel. rec. Pii PP. V, anno 1567, tertio Kal. Sept., anno secundo," saepe saepius dubia exorta sint circa interpretationem et vim hujusmodi reservationis, eove magis quod in superius memorato Brevi: *De benignitate Sedis apostolicae*, praefatae S. Pii V constitutioni in ea parte, quae sacra utensilia respicit, aperte derogetur. Si namque Romani Pontifices Cardinalibus quoque Archiepiscopis et Abbatibus privilegium disponendi de sacris utensilibus concedere solent, illud frustraneum

et illusorium foret, quatenus adjecta clausula vim haberet quam verba prae se ferunt. His quoque accedebat quod nonnulli sacrorum canonum interpretes doceant, Cardinales utpote qui in memorata S. Pii V constitutione speciatim nominati non sint, ea lege minime teneri, etsi alii contrariam sententiam tueantur. Quae cum ita essent, ven. frater Noster Petrus Cardinalis Ostini, nunc Episcopus Albanensis, qui tunc temporis episcopalem Ecclesiam Aesinam regebat, enixe postulavit a fel. rec. Gregorio XVI., Praedecessore Nostro, ut rem certe definiret, atque expresse declararet, an Cardinales Episcopi, seu Abbates *nullius* in apostolicis memoratis S. Pii V Praedecessoris Nostri comprehendantur, ac statueret quaenam sacra ornamenta, et supellectiles, et utensilia S. R. E. Cardinalium ad sacrarium pontificium ex memorata constitutione Urbani VIII., et quaenam Patriarcharum Archiepiscoporum, Episcoporum et Abbatum *nullius*, sive cardinali dignitate fulgeant, sive illa careant, ad ecclesias cathedrales ex superius citata S. Pii V constitutione revera spectent, et quomodo facienda sit divisio sacrorum supellectilium et utensilium, quando Episcopus sive successive, sive simultanee plures ecclesias gubernaverit. Nos, igitur, qui in memorati Decessoris Nostri bon. mem. Gregorii XVI. locum, licet immerentes, suffecti sumus ad praecidendas omnes hac super re dubitationis ac controversiae causas, de consilio VV. FF. Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et regularium praepositorum, haec, quae sequuntur, auctoritate Nostra apostolica decernimus et mandamus.

1. Cardinales Episcopos teneri quoad sacra utensilia lege lata in constitutione S. Pii V incipiente, *Romani Pontificis*, exceptis tamen Cardinalibus Episcopis suburbicariis, necnon exceptis pariter Cardinalibus Abbatibus *nullius*, qui in Romana curia morantur, quorum sacra utensilia, attenta citata constitutione: *Aequum est*, Urbani VIII., Praedecessoris Nostri, ad pontificium sacrarium spectabunt.

2. Firmis remanentibus clausulis derogatoriis constitutioni S. Pii V, cujus initium: *Romani Pontificis providentia*, in Litteris in forma Brevis incipientibus: *De benignitate Sedis apostolicae*, apponi solitis, in altero Brevi quod incipit: *Cum fel. rec. Urbanus VIII.*, auferatur clausula,

qua salva edicitur eadem Piana constitutio, ejusque loco substituantur ea quae sequuntur: "Quod si ecclesiis abbatialibus, cathedralibus, metropolitanis, patriarchalibus praefueris, seu quas alias ex concessione seu dispensatione apostolica in titulum, administrationem, seu commendam obtinueris, te vehementer hortamur, pront jam Benedictus XIV., Praedecessor Noster in sua constitutione incipiente: *Inter arduas*, Cardinales hortatur, ut in praedictis rebus disponendis eas ecclesias prae oculis habeas, caeterisque praeferas." Quae vero in hoc articulo praescripsimus, ea ad singulos Cardinales extendimus, qui ante praesentium Litterarum publicationem enuntiatam testandi ac disponendi facultatem obtinuerunt, perinde ac si in respectivis indultis expressa essent.

3. Sacra utensilia, quae vigore constitutionis S. Pii V incipientis: *Romani Pontificis*, ecclesiis cathedralibus debentur, haec esse edicimus: mitras scilicet, planetas, pluvialia, tunicellas, dalmaticas, sandalia, chirothecas, albas cum cingulis, linteos amictus, et his similia; item Missalia, Gradualia, libros cantus firmi et musicae, libros Pontificales, alterum cui titulus Canon Missae; item calices, patenas, pyxides, ostensoria, thuribula; vas aquae benedictae cum aspersorio, pelvim cum urceo, vasa Sacrorum Oleorum, et urceolos una cum pelvibus, et tintinnabula, palmatoria, icones pacis, cruces archiepiscopales, candelabra cum cruce pro altaris usu, baculum pastoralem, faldistorium, aliasque res sacras sive paramenta, sive ornamenta, sive vasa, si qua sunt etiam ex eorum natura usui profano congrua, dummodo non per accidens, sed permanenter divino cultui sacrisque functionibus fuerint destinata; exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis, et iis omnibus utensilibus cujusvis generis, quae legitime probentur ab Episcopis defunctis comparata fuisse bonis ad ecclesiam non pertinentibus, neque constet ecclesiae fuisse donata. Volumus propterea teneri ac debere Episcopos conficere in forma authentica inventarium sacrorum utensilium, in quo pro rei veritate exprimant quando acquisita fuerint, et speciali nota describant, quae ex Ecclesiae redditibus ac proventibus sibi compararunt, ne alias praesumi debeat ea omnia redditibus Ecclesiae fuisse comparata. Quod vero pertinent ad utensilia sacra S. R. E.

Cardinalium ad sacrarium sacelli S. Pontificis spectantia, nullam haberi volumus rationem qualitatis et naturae reddituum quibus comparata fuerint, et praeter ea quae in constitutione Urbani VIII. incipiente : *Aequum est*, in specie enumerata sunt, alia verbis generalibus tantum expressa intelligi volumus sandalia, chirothecas, lineos amictus, albas cum cingulis, item pixides, ostensoria, vas aquae benedictae cum aspersorio, vasa Sacrorum Oleorum, et urceolos cum pelvibus ac tintinnabulo, tandem baculum pastoralem, faldistorium, palmatorias, icones pacis, thuribulum et his similia, exceptis annulis et crucibus pectoralibus, etiam cum Sacris Reliquiis.

4. Quando Episcopus duas vel plures ecclesias successive rexerit, sacra utensilia dividi volumus proportionaliter inter ecclesias cathedrales, habita ratione fructuum ac temporis, juxta constitutionem S. Pii V., incipientem : *Romani Pontificis.*

5. Ubi vero aliquis Episcopus simul praefuerit duabus pluribusve Ecclesiis unitis vel in perpetuam administrationem concessis, quae habeant Capitulum et cathedralem ecclesiam propriam ac distinctam, sacrorum utensilium divisionem faciendam esse edicimus aequis partibus singulis ecclesiis cathedralibus, quatenus earumdem ecclesiarum unitarum, seu in perpetuam administrationem concessarum redditus non sint divisi, sed unam episcopalem mensam perpetuo constituant ; si vero redditus divisi fuerint, ac separati, divisionem fieri volumus singulis ecclesiis cathedralibus proportionaliter ratione reddituum.

6. Quod si constet, Episcopum, qui per translationem duabus ecclesiis successive praefuerit, comparasse sibi omnia sacra utensilia redditibus tantum unius ecclesiae, nulli divisioni locus erit, sed eadem sacra utensilia ad ecclesiam cathedralem tantum spectabunt illius dioecesis, ex cujus episcopalis mensae proventibus fuerint acquisita. Haec volumus et mandamus, decernentes has Litteras firmas, validas, atque efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, eisque ad quos spectant, aut spectabunt, plenissime suffragari ; sicque in praemissis per quoscunque judices ordinarios, et extraordinarios judicari ac definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quopiam, quavis auctoritate, scienter vel

ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, si opus fuerit, Nostra et Cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, atque in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscunque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die 1 Junii MDCCCLVII, Pontificatus Nostri anno primo.

ALOYSIUS, Card. LAMBRUSCHINI, *a Brevibus apostolicis.*

PARS VII.

SUPER MATRIMONIO CONTRAHENDO.

UBI ADEST PRAESUMPTIO BAPTISMI INVALIDE COLLATI PARTI HAERETICAE.

(1 Conc. Westmonast., xxii., 26.)

INSTRUCTIO S. OFFICII.

SSmus Dom. Noster divina providentia Gregorius PP. XVI., in solita audientia R. P. Commissario Generali S. Officii impertita, audita relatione dubii ab R. P. D. Episcopo Neo-Eboracensi, utrum, scilicet, in praesumptione baptismi invalide collati parti haereticae matrimonium cum parte catholica a Sede Apostolica dispensata inire cupienti conferri debeat iterum Baptisma sub conditione? et praehabitis Eminentissimorum Inquisitorum generalium suffragiis dixit:

Detur decretum latum sub feria IV, 17 Septembris, 1830, instante, ut sequitur. R. P D. Episcopo Aniciensi: "An Calvinistae et Lutherani in illis partibus degentes quorum Baptisma dubium et suspectum est, infideles habendi, ita ut inter eos et Catholicos disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse censeatur?" Cui instantiae S. C. in praedicta feria ita respondit: 1. Quoad haereticos quorum sectae ritualia praescri-

bunt collationem baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis. 2. Quoad alios qui juxta eorum Ritualia baptizant valide, validum censendum esse Baptisma. 3. Si autem certe cognoscatur nullum Baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium.

Hisque omnibus Sanctissimus superaddi mandavit: In tertio casu praefati decreti respiciente nullitatem certam Baptismi in parte haeretica idem Episcopus Neo-Eboracensis recurrat in casibus particularibus.

ANGELUS ARGENTI, *S. R. et U. I. Notarius.*

Die 20 Decembris 1837.

PARS VIII.

SUPER QUALITATE PROBATIONIS REQUIRENDAE ANTEQUAM SECUNDAE NUPTIAE INEANTUR.

(1 Conc. Westmonast., xxii., 26.)

INSTRUCTIO S. OFFICII.

Ingentes bellorum clades, aliaeque rerum humanarum conversiones, quibus nostra haec aetas objecta fuit, frequentes adhuc suppeditant Romae mulierum, et quandoque virorum preces, qui legali documento mortis conjugis jamdin absentis destituti, licentiam tamen sollicitant, qua sibi liceat ad alias nuptias transire. Jam vero Sedes Apostolica, seu suprema sacra Eminentissimorum Romanorum S. R. E. Cardinalium ad haec deputatorum Congregatio, ecclesiasticis regulis omnino insistit, ex quarum praescripto mors ex aliquot annorum decursu non praesumitur, sed probari debet: Unde Lucii III responso (cap. *Dominus ext.*, De secundis nuptiis) a jure canonico cautum est, "ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare praesumat donec constet, quod ab hac (vita) migraverit conjux ejus. " Qualis autem probationum ratio exigatur ex decreto *Cum alias* Clementis X., perpetuis futuris temporibus valituro, dato fer. v, 21 Augusti, 1670, in Bullarium Romanum inserto habetur, ubi

S. Pontifex instructionem ponit tam in curia E. et R. D. Card. Urbis vicarii, quam in aliis curiis caeterorum Ordinariorum servandam pro examine testium ad contrahenda matrimonia inductorum.

Primo ergo authenticum ipsius obitus documentum exquiri debet ubi haberi possit. Nam haec num. 10 et 11 praescribuntur: "Si (testis) responderit contrahere volentes habuisse uxorem vel maritum, sed esse mortuos, interrogetur de loco et tempore, quo sunt mortui, et quomodo ipse testis sciat fuisse conjuges, et esse mortuos. Et si respondeat mortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certa ecclesia, vel occasione militiae sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico a rectore ecclesiae in qua humata fuerunt cadavera; vel si fieri potest, a duce illius cohortis in qua descriptus erat miles. Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quae de jure communi possunt admitti, dummodo sunt legitimae et sufficientes."

Ex postremis hisce verbis habetur regula hujus S. Congregationis pro casibus in quibus talia testimonia obitus authentica haberi non possunt, nempe, ut suppleri valeant aliis probationibus legitimis et sufficientibus.

Harum praecipua exsurgit e dictis testium fide dignorum, de quibus sic in eadem instructione praecipitur: "Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei quam extranei qui praesumuntur melius informati, et cives magis quam caeteri; ne admittantur homines vagi, et milites nisi data causa et maturo consilio."

Ubi autem de persona testimonium ferente agitur, opportune praescribitur, ut "una cum persona testis, alia compareat cognita notario, et quae attestetur de nomine et cognomine ipsius testis, necnon de idoneitate ejusdem ad testimonium ferendum." Verum in tantis, quibus saepe hujusmodi mortis probationes premuntur difficultatibus, S. Congregatio nullam respuit, quae aliquid ad fidem faciendam valeat, ut perspicere possit, an pluribus quandoque concurrentibus, quae seorsim certitudinem sufficientem parere nequeunt, omnia tamen simul juncta hanc efficiant. Hinc datur locus praesumptionibus et

conjecturis, quibus testium dicta confirmentur,—publicae vocis et famae ratio habetur,—certa facta authentica probata quae mortem supponant expenduntur. Etiam contigit, ut testium fide dignorum probe informatorum dicta tempore non suspecto ab aliis percepta fuerint; testes autem immediati vel morte vel absentia aut alia de causa audiri nequeant; habeantur vero dicta testium de alieno dicto deponentium, qui tamen, omnibus pensatis, prudenti mortis secutae judicio satis esse censeantur.

Jam vero cum de re gravissima agatur (matrimonium enim de jure divino indissolubile esse, dogma fidei est, atque aliud matrimonium, priore conjuge vivente, esse non potest), S. Congregatio singulos casus expendit, auditis plurium theologorum et jurisprudentium suffragiis judicium denique suum pronuntiat, an de tali obitu satis constet, et nihil obstet quominus petenti transitus ad alia vota concedi possit.

Die 12 Julii, 1822.

PARS IX.

SUPER INDULGENTIARUM TRANSLATIONE.

DEC. S. CONG. INDULG.

URBIS ET ORBIS.

Ex Audientia Sanctissimi die 9 Augusti, 1852.

Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit in fidelium utilitatem, atque *earum usum Christiano populo maxime salutarem esse* affirmet sancta Tridentina Synodus (sess. 26, *Decr. de indulg.*), cogruum omnino videtur omne studium impendere ut indulgentias, quae occasione dierum festorum vel concessae jam sunt vel concedentur, fideles facilius lucrari possint, eoque magis cum ingens populi Christiani concursus ad ea Festa celebranda conveniat. Jam vero cum, hac nostra praesertim aetate, maxime ob ecclesiasticas conventiones ab Apostolica Sede cum exteris nationibus initas, Festorum legitimae translationes occurrant; et generatim cum per hujusmodi translationes ex justis causis, debitis tamen

cum facultatibus factas (licet etiam pro sola externi cultus celebratione quin et una simul Officium cum Missa transferatur), fidelium devotio excitetur ad laudandum Dominum in Sanctis Ejus, huic fidelium pietati fovendae atque animarum saluti quam maxime interest ut etiam indulgentiae his festis annexae transferantur. Quamvis autem alias tum a S. Rituum Congregatione tum ab hac sacra Congregatione indulgentiis sacrisque reliquiis praeposita quaesitum fuerit, utrum in translatione Festorum etiam translatae intelligantur annexae indulgentiae, et vel negativa intercesserit responsio, vel in singulis casibus recurrendum esse ad hanc S. Congregationem sancitum esset, nec unquam generali decreto publice evulgato usquedum huic translationi indulgentiarum provisum fuerit; attamen Eminentissimi Patres in generalibus comitiis hujus sacrae Congregationis, attentis actualibus temporum hujusmodi et peculiaribus locorum et ecclesiarum et fidelium circumstantiis, atque etiam die 16 Februarii currentis anni pro concessione generali translationis indulgentiarum occasione translationis Festorum supplicandum Sanctissimo unanimiter censuerunt. Sanctissimus itaque Dominus Noster Pius Papa IX., audita de his omnibus relatione, per me infrascriptum secretario ejusdem S. Congregationis substitutum in audientia diei 9 Augusti, 1852, facta, benigne mandavit ut omnes indulgentiae quae hucusque quibusdam Festis concessae fuerunt ac in posterum concedentur, vel quae pro iisdem Festis aliquibus ecclesiis et publicis oratoriis pariter concessae fuerunt et in posterum concedentur, vel etiam si libuerit de consensu Ordinarii illae concessae in sacris supplicationibus, aut in novendialibus, vel septenariis, sive triduanis precibus ante vel post Festum vel ejus octavario perdurante; translatae intelligantur pro eo die quo Festa hujusmodi vel quoad solemnitatem tantum et externam celebrationem (non tamen quoad Officium et Missam) in aliquibus locis, vel ecclesiis, publicisque oratoriis, sive in perpetuum sive aliqua occasione, sive ad tempus, eoque durante, legitime transferuntur. Cum vero transfertur tantum Officium cum Missa, non autem solemnitas et exterior celebratio Festi, indulgentiarum nullam fieri translationem decrevit.

Hanc autem apostolicae benignitatis concessionem Eadem Sanctitas Sua quibuscunque in contrarium non obstantibus, ac perpetuis futuris temporibus, absque ulla Brevis expedition-

valituram, per hoc S. Congregationis Decretum typis impressum publicari voluit, dummodo caeterae omnes aliae conditiones in particularibus vel generalibus concessionibus praedictarum indulgentiarum pro iis adipiscendis praescriptae omnino serventur.

Datum Romae ex eadem secretaria S. Congregationis Indulgentiarum.

F. CARD. ASQUINIUS, *Praefectus.*
ALOISIUS, Archip. Prinzivalli, *Substit.*

Loco ✠ Sigilli.

PARS X.

RESCRIPTA.

I. De celebratione octavae sancti Thomae Cantuariensis non obstante rubrica Breviarii recogniti.

Dec. Nationis Anglicanae, SS. D. N. Urbani, pp. viii.

Instante Eminentissimo et Reverendissimo D. Cardinale Francisco Barberino, nationis Anglicanae Protectore, pro licentia continuandi in antiquissima consuetudine celebrandi Missam et recitandi Officium cum octava in festo sancti Thomae Cantuariensis, cadente in die 29 Decembris, in ecclesiis dictae nationis, non obstante impedimento aliorum Festorum, et dispositione contraria rubricarum Breviarii Romani auctoritate S. D. N. recogniti.

Sacra Rituum Congregatio censuit, si Sanctissimo videbitur, petita posse concedi pro Anglicanis et confluentibus ad eorum ecclesias in ipsa die Festi et octavae dumtaxat. Infra vero octavam aliis Festis impeditam faciendam esse commemorationem octavae juxta rubricas dicti Breviarii. Et facta per secretarium infrascriptum relatione Sanctissimo, Sanctitas Sua sacrae Congregationis sententiam approbavit, die 23 Martii, 1641.

C. Episcopus Ostiensis CARD. PIUS.
JULIUS CINGIUS, *Secretarius.*

L. ✠ S.

DECRETUM II.

De Officiis Sanctorum Angliae.

Cum regia celsitudo Eminentissimi Cardinalis Ducis Eboracensis pro sua pietate ac zelo promovendi cultum SS. Angliae, enixas SS. D. N. Benedicto XIV. preces porrexerit pro facultate recitandi infrascripta Sanctorum Officia quae a commorantibus in collegio Anglorum Urbis et a religiosis Societatis Jesu provinciae Angliae respective recitantur, necnon pro extensione eorumdem ad omnes Anglicanae nationis ecclesiasticos ubique locorum degentes; Sanctitas Sua ipsius pietatem ac zelum fovere studens, attentisque peculiaribus facti circumstantiis petitam facultatem ac respective extensionem benigne concessit, atque indulsit sub ritu in dictis Officiis infra designato; ita tamen ut in SS. suffragiis fiat tantum commemoratio de S. Georgio, die 8 Januarii, 1749.

Officium de S. Georgio, M. Angliae Patrono recitandum sub ritu duplici primae classis cum octava die 23 Aprilis.

Officium de S. Augustino, Angliae Apostolo, sub ritu duplici primae classis cum octava recitandum die 26 Maii.

Officium de S. Edwardo, Rege, sub ritu duplici secundae classis cum octava recitandum die 13 Octobris.

Officium SS. Ursula et Sociis, Martyribus, sub ritu duplici majori recitandum die 21 Octobris.

Officium de S. Edmundo, Rege et Martyre, sub ritu duplici majori recitandum die 20 Novembris.

Officium de S. Thoma, Episcopo Cantuariensi et Martyre, sub ritu duplici secundae classis cum octava recitandum die 29 Decembris.

Ita reperitur in Actis et Registis secretariae Congregationis SS. Rituum, In fidem, etc.

Ex eadem secretaria die 23 Februarii, 1857.

H. Capalti, *S. R. C. Secret.*

L. ✠ S.

DECRETUM III.

De Officio et Missa Ven. Bedae.

Ex supplemento anni 1765.

Ad pias preces. . . . . (erga Ven. Bedam devotionis suae perenne monumentum relicturi) SS. D. N.

Benedicto Papae XIV. porrectas, Officium cum Missa praedicti Ven. Bedae de communi Confessorum non Pontificum cum lectionibus secundi Nocturni et oratione propriis tantum, desumendis ex Breviario Congregationis Cassinensis, ab omnibus Anglicanae nationis ecclesiasticis, tam saecularibus quam regularibus, qui ad Horas canonicas tenentur, ubique locorum degentibus, sub ritu duplicis minoris, die vigesima nona Octobris recitari ac respective celebrari posse, Sanctitas Sua ad relationem mei secretarii benigne indulsit atque concessit, die 2 Januarii, 1754.

D. F. CARD. TAMCURINUS, *Praefectus.*
M. MAREFUSCUS, *S. R. C. Secretarius.*

L. ✠ S.

DECRETUM IV.

De Missis Vot. SS. Sacramenti et Concep. Immaculata B. V. M.

Porrectis SS. D. Clementi PP. XIII., humillimis precibus tam ex parte alumnorum qui in collegio Anglorum de Urbe sunt, quam illorum qui ex eodem collegio missionarii in Anglia nunc versantur, pro indulto recitandi singulis feriis quintis non impeditis Officium votivum cum Missa SS. Sacramenti itemque singulis Sabbatis non impeditis Officium itidem votivum cum Missa Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae; Sanctitas Sua ad relationem per me infrascriptum secretarium factam, petita Officia votiva sub ritu semiduplici alumnis praefati collegii existentibus in missionibus Angliae tantum benigne concessit, exceptis tamen temporibus Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum, Vigiliarum, sive cum jejunio, sive absque jejunio, atque illis feriis vel Sabbatis in quibus secundum rubricas sit reponendum Officium Dominicae aut de Festo duplici vel semiduplici translato.

Die 27 Aprilis, 1765.

JOSEPH MARIA, CARD., *Praefectus.*
S. BURGHESIUS, *S. R. C. Secretarius.*

L. ✠ S.

DECRETUM V.

Approbatio Officiorum Propriorum Angliae.

Ex Audientia Sanctissimi habita die 26 Julii, 1823.

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina providentia PP. VII., post diligenter examinatas matureque consideratas lectiones, et orationes proprias supradescriptas, et ad nonnullos Angliae Sanctos pertinentes, referente me infrascripto Cardinali S. C. de Propaganda Fide propraefecto, benigne annuit precibus R. P. D. Gulielmi Poynter, Episcopi Haliensis, et Vicarii Apostolici Londinensis, ac illas ea forma qua superius descriptae sunt, approbavit, indulsit ut in posterum ab omnibus, qui in Angliae regno Horarum canonicarum obligatione teneantur, valide et licite recitari possint, utque liceat illas sive in Breviariis et Missalibus, sive in Supplementis edendis, suis apte locis addere, et imprimere, in contrarium quibuscunque non obstantibus.

Datum Romae ex Aedibus dictae S. C., die et anno quibus supra. Gratis, etc.

H. CARD. CONSALIS, *Propraefectus.*

L. ✠ S.

DECRETUM VI.

Concessio Plurium Officiorum.

Ex Audientia Sanctissimi habita die 19 Novembris, 1843.

Ad humillimas preces RR. PP. D.D. Vicariorum AA. Angliae SS. D. N. Gregorio divina providentia PP. XVI oblatas ab R. P. D. Nicolao Wiseman, Episcopo Melipotamensi, ac Coadjutore R. P. D. Vicarii Apostolici districtus centralis, idem SS. D. N. referente me infrascripto S. C. de Propraganda Fide secretario, sequentia Officia cum Missa propria, quae in Missali Romano habetur, in omnibus districtibus Angliae recitanda benigne concessit.

23 Januarii. Desponsatio B.M.V., dupl. maj., translato Festo S. Raymundi ad 28 Januarii.

18 Martii. S. Gabrielis Arch., dupl. maj.

16 Maii. S. Joannis Nepom., M. dupl.

24 Maii. B. M. V., tit. Auxil. Christianor., dupl. maj.

23 Octobris. Sanctissimi Redemptoris, dupl. maj.

24 Octobris. S. Raphaelis Arch., dupl. maj.

18 Decembris. Exspectationis partus B. M. V., dupl. maj.

DECRETUM VII.

Festa Mobilia.

Feria VI. post Dom. Septuag., Orationis D. N. J. C. in Monte Oliveti, dupl. maj.

Feria VI. post Dom. Sexag., Passionis D. N. J. C., dupl. maj.

Feria VI. post Dom. Quinq., SS. Spineae Coronae D. N. J. C., dupl. maj.

Feria VI. post I. Dom. Quadrag., De lancea et clavis D. N. J. C., dupl. maj.

Feria VI. post II. Dom. Quadrag., S. Sindonis D. N. J. C., dupl. maj.

Feria VI. post III. Dom. Quadrag., SS. quinque Plagarum D. N. J. C., dupl. maj.

Feria VI. post IV. Dom. Qadrag., Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., dupl. maj.

Dominica III. post Pascha., Patrocinii S. Josephi., dup. 2 classis.

Dominica post Oct. Corporis Christi, Sanctissimi Cordis D. N. J. C., dupl. maj.

Dom. II. Octobr., Maternitatis B. V. M., dupl. maj.

Dom. III. Octobr., Puritatis B. V. M., dupl. maj.

Dom. IV. Octobr., Patrocinii B. V. M., dupl. maj.

Singulis vero feriis quintis, et Sabbatis per annum non impeditis Officium SS. Sacramenti et Conceptionis B. M. V. respective, prout alumnis collegii Anglorum missionariis concessum fuit, ritu semiduplici.

Datum Romae ex Aedibus dictae S. C., die et anno quibus supra.

Gratis etc. JOANNES BRUNELLI, *Secretarius.*

L. ✠ S.

DECRETUM VIII.

Officia S. Gregorii Mag. et Ven. Bedae.

SS. D. N. Pius PP. IX. indulsit ut in Anglia observari posset Officium S. Gregorii Magni, Anglorum Apostoli, sub ritu duplicis secundae classis; et Venerabilis Bedae sub ritu duplicis majoris, per rescriptum diei 18 Julii, 1847, quod habetur in Appendice primi Concilii Westmonast., p. 91.

DECRETUM IX.

Alia Officia.

Idem SS. D. N. approbavit usum celebrandi sub ritu duplici festum S. Martinae 30 Januar., S. Mariae Magdalenae de Pazzis 3 Junii, et S. Gregorii Thaumaturgi 27 Novembris per Rescriptum anno 1850 datum.

DECRETUM X.

De Commemorationibus S. Thomae M. et S. Georgii M., in Suffragiis.

PRO S. THOMA, ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI, MARTYRE.

Ad Vesperas et Laudes.—Antiph. Ego sum Pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meae, et animam meam pono pro ovibus meis.

℣. In patientia vestra.

℟. Possidebitis animas vestras.

Oratio. Deus pro cujus Ecclesiae, *ut in Breviario*, 29 Dec.

PRO S. GEORGIO, MARTYRE.

Ad Vesperas et Laudes.—Antiph. Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones.

℣. Scuto bonae voluntatis tuae.

℟. Coronasti eum, Domine.

Oratio. Beus qui nos beati, *ut in Brev.*, 23 Apr.

Decretum.

Cum Reverendissimus Northantoniensis Episcopus Sanctissimum Dominum Nostrum Pium IX. Pontificem Maximum rogavit enixe, ut pro suo clero approbare dignaretur suprascriptas antiphonas proprias cum suis versiculis et responsoriis recitari, dum inter suffragia Sanctorum in Officio apponenda est commemoratio tum Sancti Thomae, Archiepiscopi Cantuariensis Martyris, praecipui dioecesis suae Patroni, tum Sancti Georgii, Martyris, Patroni regni, ut et iisdem Sanctis specialior tribuatur cultus, et confusio devitetur, dum aliae commemorationes occur-

runt; Sanctitas Sua, referente me subscripto sacrorum Rituum Congregationis prosecretario, benigne annuens juxta preces, memoratas antiphonas cum suis versiculis et responsoriis, uti superiori in exemplari adnotantur, approbavit, cleroque universo Northantoniensi concessit, quibuscunque in contrarium disponentibus minime obstantibus, die 26 Januarii, 1852.

A. Card. Lambruschini, *S. R. C. P.*
Dom. Gigli, *S. R. C. Prosecr.*

L. ✠ S.

DECRETUM XI.

Idem SS. D. N. per decretum diei 13 Martii, 1853 (Append. Conc. I., p. 70) permisit recitationem in suffragiis ad Vesperas et Laudes antiphonae cum versiculis in honorem S. Georgii, Angliae Protectoris, ad formam Rescripti S. R. C. pro dioecesi Northantoniensi.

DECRETUM XII.

Idem SS. D. N. elevavit Festum S. Patricii, Hiberniae Apostoli, ad ritum duplicis majoris, per decretum diei 13 Martii, 1853, quod habetur in Appendice primi Conc. p. 71.

DECRETUM XIII.

Concessio Officii et Missae in Honorem S. Bonifacii, Martyris.

Decretum.

Ad cultum in Christiano orbe augendum latiusque propagandum erga Sanctum Bonifacium, Episcopum et Martyrem, cujus praeconium occurrit in Martyrologio Romano Nonis Junii, plures Reverendissimi Cardinales, et Amplissimi diversarum nationum Episcopi e Germania praesertim et Anglia, auspicatissima arrepta occasione sui in Urbem adventus cum dogma de Immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptione a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX. fuit solemniter proclamatum, humillimis precibus eidem Sanctissimo Patri supplicarunt ut Officium, Missamque praedicti Sancti Bonifacii tot caeteroqui nominibus insignis, et de catholica religione, deque hac Sancta Sede Apostolica adeo promeriti ad universalem Ecclesiam Pontificia sua auctoritate

dignaretur extendere, aut si forte pro multa sapientia sua id incongruum judicaret, ejusdem saltem Officii ac Missae recitationem toti Germaniae, totique Angliae vellet concedere, quod in Sancto Bonifacio suum haec filium, suum alia veneretur Apostolum ; reliquis vero extra Germaniam et Angliam dioecesibus si illarum Episcopi duxerint, ea de re supplicandum.

Istiusmodi preces, referente me subscripto sacrorum Rituum Congregationis secretario, idem Sanctissimus Dominus Noster clementer excipiens, indulsit ut in tota Germania et Anglia quotquot dioeceses concessionem Officii et Missae de Sancto Bonifacio, Episcopo et Martyre ab Apostolica Sede nondum obtinuerunt, volentibus Episcopis recitare amodo possint juxta exemplar huic decreto praevium sub ritu duplici minore die quinta Junii in Martyrologio assignata ; indulsitque praeterea ut extra Germaniam et Angliam a sacra Rituum Congregatione eadem concessio tribuatur Episcopis, qui postulaverint ; dummodo rubricae serventur, contrariis quibuscunque non obstantibus.

Die 29 Martii, 1855.

C. Episc. Albanens.
CARD. PATRIZI, *S. R. Praefectus.*
H. CAPALTI, *S. R. C. Secretarius.*

L. ✠ S.

DECRETUM XIV.

De Officio S. Mariae Magdalenae de Pazzis, et de Commemoratione S. Georgii, Martyris.

Beatissime Pater,

Nicolaus Cardinalis Archiepiscopus Westmonasteriensis humillime supplicat ut S. V. benigne dignetur assignare pro Anglia diem 3 Junii tanquam proprium pro festo S. Mariae Magdalenae de Pazzis, quo die per quinquaginta et amplius annos, ut videtur, in Anglia per errorem festum illud celebratum est. Insuper petit ut a toto Angliæ clero antiphona cum versiculo et responsorio a S. V. pro commemoratione in suffragiis S. Georgii, Martyris, Angliae Protectoris facienda, decreto diei 13 Martii, 1853, benigne approbata ad Vesperas et Laudes in die festo ejusdem Sancti et per octavam, recitari et valeat.

Quare, etc.

Ex Audientia Sanctissimi habita die 28 Decembris, 1856.

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina providentia PP. IX, referente me infrascripto S. C. de Propaganda Fide secretario benigne annuit pro gratia in omnibus juxta petita.

Datum Romae ex Aedibus dict. S. C. die et anno praedictis.

Gratis, etc.

L. ✠ S. CAJETANUS, Archiepiscopus.
Thebarum, *a secretis.*

DECRETUM XV.

Rescriptum Sanctissimum de Pio Exercitio viae crucis.

Beatissime Pater,

Eminentissimus Archiepiscopus Westmonasteriensis et Episcopi suffraganei supplicant ut S. V. benigne dignetur singulis Ordinariis pro suis respective dioecesibus concedere Indultum vi cujus erigere valeant pias stationes Viae Crucis, easque sive per se, sive per alios ab Episcopo delegatos, benedicere et in locis destinatis collocare.

Cumque Episcopi propter locorum distantiam nequiverint stationes per seipsos collocare, neque adfuerit in Indulto praeterito facultas idem Indultum presbyteris delegandi, petitur Apostolica sanctio omnium erectionum jam factarum per erroneam delegationem ab Episcopis in favorem sacerdotum datam.

Rogant praeterea facultatem erigendi in suis respective dioecesibus omnes et singulas confraternitates a S. Sede approbatas, cum potestate delegandi sacerdotes in singulis ecclesiis et sacellis qui benedictionem et distributionem Scapularium et insignium earumden confraternitatum exsequi valeant.

Humillime supplicant insuper ut fideles lucrari valeant omnes indulgentias et favores spirituales in favorem peragentium stationes praedictas et iisdem confraternitatibus ascriptorum et ascribendorum.

Quare, etc.

Die 7 Maii, 1857.

Utendo facultatibus a SS. D. N. Pio divina providentia PP. IX., durante illius absentia ab Urbe, sibi benigne tributis, Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus Alexander S. R. E.

Presbyter Cardinalis Barnabo S. Congregationis de Propaganda Fide Praefectus, praesente me infrascripto ejusdem sacrae Congregationis secretario, annuit, pro sanctione quoad praeteritas concessiones, ac facultates necessarias et opportunas concessit ad quinquennium juxta petita quoad futurum, dummodo non religiosi quibus privilegium competat, etc.

Datum Romae ex Aedibus dictae S. C., die et anno supradictis.

Gratis sine ulla solutione quocunque titulo.

L. ✠ S. CAJETANUS, Archiepiscopus Thebarum, *a secretis.*

DECRETUM XVI.

Concessio Officii S. Thomae Cantuariensis sub ritu dupl. I Classis.

Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Nicolaus Wiseman, Archiepiscopus Westmonasteriensis, et Reverendissimi Angliae Episcopi exponentes huic Sanctae Sedi Apostolicae Angliae clerum saecularem tanquam patronum venerari sanctum Thomam Cantuariensem, Episcopum, Martyrem, a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX. suplicibus votis postularunt, ut perpetuum privilegium indulgere dignaretur Festum ejusdem Sancti Martyris deinceps in Anglia recolendi ritu duplici primae classis, prout ab anno saltem 1765 fieri consuevit, quin Apostolicae concessionis exstet Indultum. Subscriptus porro Cardinalis, sacrorum Rituum Congregationis praefectus, utendo specialibus facultatibus ab eodem Sanctissimo Domino Nostro, ejus ab Urbe absentia perdurante, sibi tributis, ad relationem subscripti secretarii, benigne concessit ut a clero regni Angliae Festum Sancti Thomae Cantuariensis, Episcopi, Martyris, agatur ritu duplici primae classis, dummodo Rubricae serventur. Contrariis non obstantibus quibuscunque.

Die 3 Junii, 1857.

L. ✠ S. C. Episcopus Albanens.
Card. PATRIZI, *S. R. C. Praefectus.*
H. CAPALTI, *S. R. C. Secretarius.*

DECRETA

CONCILII PROVINCIALIS

WESTMONASTERIENSIS

TERTII.

A.D. MDCCCLIX.

APPROBATIO.

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE.

Post restitutam in Anglia Ecclesiasticam Hierarchiam III. Synodus Provincialis habita est anno superiore apud S. Mariam de Oscott, praesidente Emo. ac Revmo. D. Nicolao Wiseman, Cardinali Archiepiscopo Westmonasteriensi. Cum autem praedictae Synodi Acta et Decreta proposita fuerint in generalibus Comitiis Sacri Consilii Christiano Nomini Propagando die 16 Aprilis hujus anni 1860, referente Emo. ac Revmo. D. Cardinali Ludovico De Alteriis, Emi. Patres censuerunt Synodum III. Provincialem Westmonasteriensem juxta modum expressum in adjecta instructione de more tradendo esse adprobandam.

Hanc vero S. Congregationis sententiam cum R. P. D. Cajetanus Bedini Archiepiscopus Thebarum S. Consilii Propagandae Fidei a Secretis retulisset SSmo. D. N. Pio PP. IX. in Audientia diei 22 Aprilis 1860, SSmus. eam in omnibus ratam habuit, confirmavitque, ac praesens ad id Decretum expediri jussit.

Datum Romae ex Aedibus S. Congnis. de Propaganda Fide die 2 Maii 1860.

AL. C. BARNABO, *Praef.*

L. ✠ S.

CAJET. ARCHPUS. THEBAR., *a Secretis.*

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE.

Anno 1860, sub die 2 Maii Decretum prodiit e S. Congregatione de Propaganda Fide, quo, jubente SSmo., Acta et Decreta III. Synodi Provincialis Westmonasteriensis adprobata fuerunt, juxta tamen modum literis diei 8 praedicti mensis expressum. Porro quoad eam Synodi partem quae de Collegiis agebat in Anglia existentibus, ac praesertim de illorum regimine, nullum S. Congregatio tunc temporis judicium ferendum esse existimavit, ideoque ad relativas quaestiones dilato responso, voluit ut Emus. Archiepus., omnesque Angliae Episcopi excitarentur ad opportunas notitias exhibendas, dum interim Collegia eo uterentur regimine, quo a nonnullis annis usa fuerant.

Cum vero supralaudati Emus. Archiepus., atque Episcopi Provinciae Westmonasteriensis omnia plane exhibuerint quae a S. Consilio Fidei Propagandae fuerant requisita, EE. ac RR. PP. ejusdem S. Consilii in generalibus Comitiis habitis die 13 Julii anni 1863, mature consideratis expositis circa Decretum XV. Synodi III. Westmonasteriensis, ipsum Decretum adprobandum esse censuerunt juxta tamen modum, et mentem in adjectis literis explicanda.

Hanc vero S. Congregationis sententiam per R. P. D. Hannibal Capalti Secretarium SSmo. D. N. Pio PP. IX. relatam in Aud. diei 19 Julii 1863, Sanctitas Sua benigne in omnibus approbavit, ac praesens in rem Decretum expedire praecepit.

Datum Romae ex Aed. dictae S. C. de P. F. die 14 Septembris, 1863.

AL. C. BARNABO, *Praef.*

L. ✠ S. H. CAPALTI, *Secretarius*

DECRETA SYNODI.

DECRETUM I.
De aperienda Synodo.

DECRETUM II.
De Methodo Vitae in Synodo servanda.

DECRETUM III.
De non Praejudicando.

DECRETUM IV.
De Officialibus Synodi.

DECRETUM V.
De Judicibus in Causis Personalibus constituendis.

DECRETUM VI.
De non Discedendo.

DECRETUM VII.
De Professione Fidei.

DECRETUM VIII.
De Residentia.

DECRETUM IX.
De secunda Sessione.

DECRETUM X.
Prorogatio Sessionis secundae.

DECRETUM XI.
De Sessione tertia.

DECRETUM XII.
Prorogatio Sessionis tertiae.

TITULUS I.

DECRETUM XIII.

De Seminariis condendis.

Sancta D. N. Jesu Christi Sponsa, Ecclesia Catholica, eo conjugalis dilectionis vinculo cum Divino Sponso sociatur, ut non solum praecepta et monita aeternae vitae ab eo avide ac amanter accipiat, sed in omnibus ejus actibus atque fere gestibus normam et exemplar suae pariter operationis inveniat. Propterea quaecumque vel consulto creat, vel sponte quodammodo germinat, formam ab Ipso assumit ad quem oculos semper dirigit, in quem cor defixum continuo tenet.

Quid ergo mirum, ea quae in Ecclesia instinctu quodam exorta sunt, et paulatim creverunt, donec perfectionem attingerent, pro educandis sacerdotibus, Collegia inde originem traxisse ubi coepit et sacerdotium. Etenim Redemptor noster quos voluit et designavit sui sublimis ministerii successores, hos primo quidem a mundanis occupationibus, ac a paterna etiam domo ad se vocavit, sibi aggregavit, et suo consortio condecoravit.

Sic seorsim non solum a turba, sed ab ipsis discipulis, eos quos ad Apostolatum appellavit, instruebat ac informabat. Illis, quae ad populum obscurius praedicaverat, clarius explicabat, exquisitiora tradebat de se, suaque missione, et de suo regno in terris fundando. Coeteris loquebatur in parabolis, doctrinam veluti adhuc in Sinaitico illo fumo ac nube involutam tradens; illis, sicut Moysi in cacumine montis Deus, os ad os loquens, sic Idem nunc in claritate Divini vultus instruebat. Neque hoc solum pro suis efformandis ministris agebat, sed ita familiariter eos tractabat, ut omnia cum eis communia haberet, eorum lites pene pueriles componeret, contra cavillantes Pharisaeos defenderet, dubiaque etiam levissima tolleret. Eos solabatur, erigebat, reprehendebat et objurgabat: quid plura? Se magistrum, illos discipulos appellabat. Erant etenim.

Erat igitur hoc primum totius Ecclesiae Seminarium, Christi Domini contubernium. Ubinam sane gentium, nisi ibi firmam suam et sublimem hausit fidem piscator Petrus, ubi Thomas ardens desiderium Dominum ad carcerem et ad mortem comitandi, ubi praecipue Joannes amoris in Deum et homines disciplinam coelestem, nisi ex diuturno consortio cum Incarnata Sapientia, dum " in terris apparuit, et cum hominibus conversata est?" Et quidem divina ista doctrina non ex doctoris sublimiore cathedra cum pompa proferebatur, sed potius familiari ac continuo colloquio insinuebatur. Sic enim convescens pracepta eis tradebat; sic nunquam suaviora aut pulchriora ex Divina mente protulit, quam cum in supremis suis epulis, de amore quo in illos et in nos ardebat, effata coelestia, facundo ore, pronunciavit.

Quam suorum instructionem non verbis tantum sed et actibus complebat: non tam discipulos et successores quam socios et consortes in suo ministerio adsciscens. Nam velut aquila pullos suos ad volatum incitans, Ipse discipulos binos ante se praemittebat in omnem locum ubi erat Ipse venturus, ut praedicarent verbum Dei, aegrotosque sanarent: ita ut sub magistri ipsius oculis praeluderent majoribus sibi committendis.

Perfectissimi Seminarii hic formam habemus, in quo futuri custodes gregis a bono pastore instruuntur; et ad opus sui officii disponuntur. En Princeps ipse Pastorum, Episcopus totius Ecclesiae et Conditor, qui non dedignatur seipsum imperitis ac etiam rudibus dicare, quos quidem etiam expolire primum non erubescit, et tunc per convictum necessitudinemque perpetuam, suis moribus, suisque cogitationibus penitus imbuere. Sicque tandem praeparatos, post sacrum secessum, virtute nova ex alto indutos, Spiritu Sancto repletos, dignos suae fidei praecones, et sui perpetui sacerdotii in totum orbem participes demandavit. Ex hoc tam praeclaro, immo Divino exemplo pronum erat prospicere immensa fere commoda toti Ecclesiae eventura. Vix ergo tria prima saecula transegerat, vestesque sanguine tinctas mutaverat, cum viri sapientia et pietate insignes de clericorum educatione serio meditari et tentamen aliquod felici successu coeperunt. Inter quos primus est commemorandus Sanctus Hipponensis Episcopus Augustinus, qui in suam domum socios

et commensales Sacerdotes, Diaconos et Subdiaconos assumpsit, qui omnes victu, suppellectili ac vestitu aequales, vitam vere Apostolicam degebant. "Volui," ipse scribit, "habere in ista domo monasterium clericorum."[1] Sed testimonium clarissimum nobis praebet secundum Toletanum Concilium, quam accurate in antiqua Ecclesia Seminariorum fundatio describatur, quamvis hoc nomine nondum fuerint designata. En ipsa Toletani verba. "De his quos voluntas parentum in primis infantiae annis in clericatus officio vel monachali posuit, pariter statuimus observandum ut mox cum detonsi, vel ministerio lectorum contraditi fuerint, in domo Ecclesiae sub Episcopali praesentia et praeposito sibi debeant erudiri. At ubi octavum decimum aetatis suae annum compleverint, si gratia eis castitatis Deo inspirante placuerit, hi tanquam appetitores arctissimae vitae, levissimo Domini jugo subdantur, ac primo subdiaconatus ministerium probatione habita professionis suae a vigesimo anno suscipiant."[2] In quarto pariter ejusdem urbis Concilio, duo contubernia describuntur, veluti in ipsis aedibus Episcopi existentia, unum Presbyterorum cum eo conviventium, puerorum alterum, qui separatim alebantur et erudiebantur cum spe illorum plures suo tempore sacerdotium appetituros.[3]

Sed ut ad tempora nostris propinquiora tandem deveniamus, non possumus non laetari, a Domino nostrae huic regioni ac patriae elargitam fuisse gratiam, ni gloriam dicamus, primum Seminarii et nomen et institutionem Ecclesiae suggessisse. Eminentissimus enim, vereque clarissimus Cardinalis Reginaldus Polus cum Angliae Ecclesiam, misere destructam atque undique spoliatam, Apostolica Auctoritate visitaret, anno 1556, inter egregia plurima decreta quae pro Reformatione Regni statuit et edidit, hoc veluti praecipuum talis Reformationis modum excogitavit, ut unaquaeque Cathedralis Ecclesia sibi annexam haberet scholam, in qua "soboles quaedam, et tanquam Seminarium ministrorum instituatur et conservetur." Pergit vero vir praestantissimus adeo praeclare

1 Ap. Thomass. Tom. I. p. 623. Ed. 1688.
2 Conc. Toletanum II. Ibid. Tom. I. p. 629.
3 Ibid.

totam rem describere et declarare, ut ipsi S. Tridentinae Synodo non solum exemplar sed et verba praebuisse videatur. Nam quaecumque de puerorum selectione et admissione, de studiorum curriculo, de modo providendi sustentationi Seminarii ex fructibus beneficiorum aliisque Ecclesiasticis proventibus, in Tridentino sapientissime sunt statuta, ea fere ad verbum ex Polano decreto transcripta comparent.[1] Qua quidem laude nescimus prorsus si cuivis major tribui possit.

Sed longe omnem laudem superat quam valeat lingua nostra proferre, omnia praetergreditur humani ingenii encomia, Decretum illud vere aureum, vere Apostolicum, quo Sacrosancta Tridentina Synodus Seminaria ubique terrarum condenda et conservanda mandavit. Documentum quidem est ob sapientiam ac gravitatem sensus ac verborum omnibus venerandum, quod nulla poterit abolere vetustas, quod cassum aut irritum reddere nequit ulla rerum vicissitudo, ulla locorum permutatio. Viget enim robore, ab indeficiente Ecclesia Dei ipsi indito, ex cujus feracissimo sinu exurgens non temporis decursu vel humana industria, eo in immensum crevit, ut statim fructus uberrimos ubique produxerit.

Languebat, vel potius prona et dejecta jacebat Anglia nostra, cum haec peragerentur, violentia et crudelitate oppressa, ita ut nullum immediate fructum inde percipere valeret. Sed quod primus S. Carolus Mediolani executus est, id nostri, quamvis eos fere vitae taederet, haud segniter sunt imitati. Nam quantocius Alanus vir omni dignus encomio, Duaci celeberrimum illud Collegium instituit, quo per tria ferme saecula tot emisit Confessores quot sacerdotes. Sed tamen in ipsa Anglia impossibile erat tunc temporis Seminaria instituere.

At tempora, Dei miseratione, in melius sunt immutata; et restituta Hierarchia Ecclesiastica, ruinas templi denuo restaurare, et loca sancta pristino reddere splendori licet. Jam, veluti sacerdotalis et Apostolicae tubae clangor, aures nostras personant haec verba, plena auctoritatis, plena veritatis, quibus inchoatur illud Decretum.

"Quum adolescentium aetas, nisi recte instituatur, prona sit

1 Conc. Collectio Regia, Tom. X. p. 407.

ad mundi voluptates sequendas, et nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfecte ac sine maximo ac singulari propemodum Dei Omnipotentis auxilio in disciplina Ecclesiastica perseveret: Sancta Synodus statuit, ut singulae Cathedrales, Metropolitanae atque his majores Ecclesiae pro modo facultatum et Dioecesis amplitudine certum puerorum ipsius Civitatis et Dioecesis, vel ejus Provinciae, si ibi non reperiantur, numerum in Collegio ad hoc prope ipsas Ecclesias vel alio in loco convenienti ab Episcopo eligendo alere, ac religiose educare et Ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur."[1]

Tanti quidem ponderis fuit audientibus hoc Decretum ut omnium Patrum arripuerit consensum, ita ut in Actis S. Synodi sic claudatur hujus Sessionis relatio. "Quae omnia ab omnibus approbata sunt per verbum *Placet* nemine fere discrepante. Atque in hujusmodi concordia dimissa est Congregatio, ubi vere adfuit Spiritus Sanctus."

Cujus quidem Spiritus Sancti impulsibus cedentes, vel potius ejus lumine radiante continuo ducti, recentiores Summi Pontifices nunquam dubitarunt, occasionem nacti, iterum atque iterum Decreti hujus plenissimam observantiam inculcare et injungere. Inter quos summa cum veneratione est a nobis nominandus Benedictus XIII., disciplinae Ecclesiasticae insignis instaurator, quod in constitutione anno 1725 data, quae incipit his verbis *Creditae Nobis*, Ordinarios Italiae alloquens, eis districte injungit, "ut in Cathedralibus in quibus Seminarium hactenus erectum non fuit, illud quamprimum erigi ac omnino institui curent. Neque hac Apostolica jussione contentus, Congregationem EE. Cardinalium instituit, "De Seminariis" nuncupandam, cui curam commisit invigilandi super erectione Seminariorum, et reddituum assignationem ex Beneficiis desumptorum.

Evenire vix potuisset, ut Pontifex tanto ipse praeditus ingenio, et sacris scientiis ornatus, qualis erat Benedictus XIV., de educatione clericorum ignavum sese demonstraret. Contra vero, vix Sedem Apostolicam occupaverat, cum Epistolam Ency-

1 Sess. XXIII. cap. 8.

clicam ad omnes Episcopos Universalis Ecclesiae direxit, quae inter scripta doctissimi illius Pontificis secundum locum tenet, ex qua haec sola verba citanda duximus. "Cordi idcirco vobis esse debet, ut ubi forsan nondum instituta fuerint Clericorum Seminaria, quam citissime instituantur, vel jam instituta amplificentur."[1]

Tandem ut ad ipsa tempora nostra perveniamus, Sanctissimus Dominus et Summus Pontifex, qui sublimem Petri Cathedram feliciter occupat, veluti gloriosi Sui Decessoris Benedicti XIV. vestigia premens, in primis quas post electionem emisit Encyclicas Litteras, anno nempe 1846, eisdem pene verbis eamdem sollicitudinem praescribit et inculcat. "Quare vobis nihil antiquius, nihil potius esse debet, quam omni opera, solertia, industria Clericorum Seminaria ex Tridentinorum Patrum praescripto instituere, si nondum existunt, atque instituta, si opus fuerit, amplificare."[2]

Quo vero modo praeclarissimus iste Pontifex exemplo exhibuerit quod sermone docuerat non est nostrum dicere. Manet enim, et Dei favente Gratia, aeternum manebit hujus sui studii insigne monumentum, Seminarium Pium pro omnibus Dominii Pontificii Dioecesibus institutum, opus quidem tanto nomine dignum.

Haec quidem totius Ecclesiae vox, ab ipsis ejus primordiis, et quidem a Magistro Christo ad nostrum aevum nullo non tempore resonans, vere traditio quaedam Ecclesiastica dici potest, talis ut indubiam normam nobis praestet, qua ratione clerus omni virtutum genere comparatus, ad agrum Ecclesiae excolendum aptissimus, nobis suppeditetur. Attamen non solum aures sed et cor nostrum perculit ista Sponsae Christi, nostraeque Matris vox, nosque in Synodo excitavit, ut accingamus lumbos nostros, ad amplius et perfectius aedificandam hanc domum Dei, in qua novellae olivarum sedeant in circuitu mensae nostrae, mensae quidem coelestis, quae abundat panibus.

Unusquisque Episcoporum sibi proponit omni industria

1 Bullar. Roman. Bened. XIV., num. 2.

2 Pii IX. P.M. Acta, Part I., p. 19.

ac toto corde dehinc huic studio incumbere, quo meliore poterit modo, Seminarium in propria Dioecesi instituendi. Etenim cum sua sit ista sponsa, cui Deus ipse illum conjugalis dilectionis nodo colligavit, cumque nulla pretiosior corona sit qua redimiatur quam virtutes Ecclesiasticae undique splendentes, nulla zona pulchrior qua praecingatur quam piorum clericorum circumdans caterva, nullum gratius donum, acceptius nullum poterit quisque suae offerre sponsae, quam hujusmodi sanctam familiam, quae et praesens solatium et spem futuram praestet. Cui voto faveat Deus, gratiarum omnium Dator, bonique Sator consilii, qui sic Ecclesiam non unam nobis conjugatam, hactenus sterilem, habitare faciet in domo matrem filiorum laetantem. Fiat, fiat.

TITULUS II.

DECRETUM XIV.

De Collegiis.

Quamvis ex praefatis satis constet mentem Episcoporum Angliae hanc esse, ut eorum unusquisque Seminarium proprium in sua Dioecesi habere sibi firme proposuerit, tamen non negligendum quidquid ipsi possit ad tempus supplere.

Clerus quidem saecularis Angliae nunc instituitur in tribus Collegiis pluribus Dioecesibus communibus. Sunt ista;

1. Collegium S. Edmundi in Archidioecesi, 24 milliaribus Londino dissitum, pro duabus Dioecesibus.

2. Collegium S. Cuthberti pro quatuor integre, ac partim pro quinta.

3. Collegium S. Mariae pro tribus, et partim pro eadem ac in praecedente periodo designatur.

Remanent quidem tres Dioeceses, Newportensis, Cliftoniensis st Plymuthensis, quae hac in re omni subsidio privantur in Anglia, neque partem in ullo ex nominatis Collegiis habent.

De hisce Collegiis in genere, jam ab anno 1855, S. Congregatio Christiano Nomini Propagando, voluit ut in proxima,

tunc imminente, Synodo II. Prov. diligens investigatio institueretur, prout melius constabit ex tenore sequentis Epistolae.

Epistola Emi. Card. Fransoni
ad Emum. Card. Archiepiscopum Westmonasteriensem.

"Emo. e Rmo. Sig. Mio Ossmo.,

Quantunque ritenga che l' Emza. Vostra disponendo le materie da trattarsi nel Sinodo Provinciale non abbia trascurato il punto così interessante della Clericale educazione, non le sarà discaro che le raccomandi quest' oggetto in un modo speciale, mentre da esso segnatamente dipende il progresso della Religione. Nella circostanza, che tutti i Vescovi si troveranno riuniti, sarebbe molto opportuno considerare il metodo usato nei Collegi e Seminari per ben formare i giovani Ecclesiastici nella pietà e nella scienza, e determinare almen le basi dei miglioramenti da introdursi per ottenere più felici risultati. Non occorre ricordare all' Emza. Vostra le sapientissime prescrizioni Tridentine su tal materia, e le regole introdotte dai santi Prelati e raccomandate da una felice esperienza; apparterrà al discernimento ed illuminato zelo dell' Emza. Vostra e dei suoi Colleghi il fare quelle utili prescrizioni, che avuto riguardo allo stato degli Ecclesiastici stabilimenti in Inghilterra, ed alle altre circostanze, si crederanno eseguibili, ed opportune.

Intanto con profondo ossequio le bacio umilissimamente le mani.

Di Vostra Emza.,

Roma dalla Propaganda il 27 Giugno 1855.

Umo., Devmo Servitore vero,

G. F. Card. Fransoni, *Prefetto.*

Al. Barnabò, *Seg.*"

Ex his litteris patet, Synodum Provincialem sibi munus demandatum habere, ac onus sibi impositum, (I.) primo quidem statum praesentem horum Collegiorum investigandi, et tunc (II) bases quasdam ponendi quibus majora vel meliora firmiter superaddi valeant.

PARS I.

De statu praesente Collegiorum, et de methodo in eis adhibita pro Clero instituendo.

Hanc materiem aggredientes sponte nos occupat sensus quidam generosis mentibus ab ipsa natura insitus, amoris scilicet et grati animi, erga sacra nobisque veneranda loca, in quibus nos ferme omnes, post prima rudimenta fidei et doctrinae, institutionem nostram Ecclesiasticam pene totam accepimus. In eis non solum pueri litteras didicimus, sed vocationem Ecclesiasticam vel accepimus, vel confirmatam, aut etiam ad maturitatem, Deo adjuvante, perductam experti sumus. Ibi praeceptorum nostrorum praeclaris exemplis, eximia eruditione et monitis salutis efformati, sanam semper doctrinam et instituta pietatis pleno haurire pectore nobis datum est.

Neque inter nos desunt qui claustris ab ineunte adolescentia dati, aeque testari possunt quanto zelo, quantaque devotione religiosi viri studeant juvenes ad opus propagandae Religionis strenue praeparare.

Et quamvis indignos nos sentiamus honore tanto onere gravato nobis imposito, neque virtutibus nostro statui convenientibus nos comparatos audeamus existimare, tamen si quid in divino nostro ministerio obeundo Sanctae Sedis indulgentiam nobis conciliavit, si quid boni desiderii, et religionis studii in nobis benigne perspexit Supremi Pastoris oculata perspicacitas id revera omne nostris hisce Collegiis acceptum ultro referimus. Hi enim fontes doctrinae tam sacrae quam profanae, hi radices totius nostri qualiscumque profectus. Quamobrem, si nunc de clericali educatione anxii quodammodo, et quasi imo pectore anhelantes tractaturi sumus, et si eam in nobis reponat S. Sedes fiduciam, ut de tanta re nobis agendum praeceperit, et haec nostra solicitudo, et ista insignis benevolentia institutioni huic nostrae aeque est tribuenda. Accedit vero quod regimen internum istorum Collegiorum, studiorum curriculum, disciplina scholastica, parum aut nihil temporis lapsu fuerint immutata; unde de hisce omnibus ex propria experientia judicium ferre possumus. Et hoc in ipso limine liceat asserere, si quid mutationis temporis lapsu in ipsis occurrerit, illud in melius semper fuisse.

Sic, verbi gratia, omnia ante paucos annos vel a fundamentis constructa fuerunt, vel ita amplificata ut fere nova dici possint. Apud singula, Ecclesia satis ampla aedificata est, sacro suppellectile ita instructa, ut Ecclesiastica officia in ea digne ac decore peragantur.

Bibliothecae spatiosae, optimis libris refertae, maxime qui de theologicis disciplinis tractant, veluti SS. Patrum scripta, Concilia, et in S. Scripturam commentaria, in duobus saltem sunt comparatae.

Aedificiorum moles non solum immenso creverunt, sed sua pulchritudine et decenti ornatu oculos ipsorum acatholicorum feriunt, et ad admirationem trahunt. Multa etiam quae ad bonarum artium studium conferunt, apparatus ad scientiarum physicarum cultum, et quae mentem ad Deum, cogitationesque sanctas, inter terrenas occupationes, possunt facile revocare, ea omnia abunde sunt provisa.

Haec quidem omnia exteriora ac veluti materialia dumtaxat attingunt ; ad graviora ergo pergamus.

II. In ipso limine pronum est observare, in omnibus istis Collegiis simul crescere ac institui juvenes qui laicali statui, et qui clericali destinantur. Non quidem aequali proportione hoc in omnibus occurrit. Collegium S. Mariae majorem numerum laicorum quam clericorum in se nutrit: in S. Cuthberti domo isti illos longe superant: in Metropolitano pauci, istique ab illis separatim, pro saeculari vita educantur.

Graves quidem adhuc existunt rationes pro mixta hac educatione.

1. Paupertas Collegiorum, quae non sineret, saltem in aliquibus, ut sufficiens numerus alumnorum pro statu Ecclesiastico sustentetur, nisi subsidio saecularis institutionis adjuvetur. Hinc vere dici potest, hactenus inter collegiorum amplissima sustentacula, fuisse convictorum saecularium pensiones. Laesio igitur gravis infligeretur duobus saltem ex Collegiis, si statim hoc reditu privarentur.

2. Paucitas Collegiorum pro sublimioribus disciplinis laicis tradendis, Episcopis sane maximi momenti esse debet, ut juvenes, penes quos olim erit Ecclesiae jura protegere, et religioni omnimode succurrere, sint non solum ab Ecclesiasticis

viris, sed etiam sub ipsorum Episcoporum tutela, in sana doctrina instructi: multique sunt patresfamilias qui nihil hoc antiquius habent, quam ut filii etiam inter clericos educentur; ita ut virtutes his magis proprias acquirant, et etiam vocationem Ecclesiasticam a Deo nanciscantur.

3. Tandem haec ipsa spes motivum praebet pro hac educationis methodo.

III. Quamvis res ita se habeat, minime dicendum educationem adeo laicis accommodari, ut non sit apta Ecclesiasticis efformandis. Hoc enim satis constat, ex eo quod jam est a nobis praelibatum, ex hisce nempe Collegiis ad Dominicam vineam excolendam, non solum pauci Episcopali honore insigniti, sed operarii innumeri zelo et pietate insignes, quorum indefessis laboribus Fidei Catholicae progressus maxime post Dei miserantis praestitum incrementum, inter nos debetur.

Bases ergo totius educationis sunt ferme illae, quae in Collegiis pure Ecclesiasticis seu Seminariis generatim statuuntur. Studia enim, regulae, disciplina et pietatis exercitia ea, plus minus, in omnibus sunt, quae in perillustri illo Duaceno Collegio, quod omnia nostra velut Almam Matrem venerantur, quodque per tot saecula non tam sacerdotes quam Martyres Ecclesiae procreavit. Quorum quidem vestigia et nostrorum Collegiorum alumni prementes, non solum laboribus brevi se confici, sed et a lue grassante quovis tempore extingui, forti pectore passi sunt. Hinc vere possumus asseverare, in studiorum curriculo et ordine praescripto notabiles mutationes non fore necessarias, si aliquando laici amplius in iis non instituentur.

Etenim, 1. Humaniores litteras bene docentur alumni, qui studium linguarum antiquarum ut fundamenta totius institutionis necessario ponere debent. Nam Protestantes, contra quos est contendendum, in illis addiscendis totam fere operam et tempus terunt, ad textus originales Novi Testamenti et SS. Patrum provocant, magnique hanc eruditionem faciunt.

Ad quas vero adjungunt nostri recentiorum idiomatum cognitionem, gallici praesertim et italici, ad sacram eruditionem comparandam non parum conducentium.

2. Similiter physicarum scientiarum et matheseos saltem

rudimenta debent necessario attingere; cum ex hisce studiis tot errorum monstra adversus Fidei principia a neotericis in medium proferantur. In hisce disciplinis, necnon in sana philosophia morali, parum aut nihil differe poterit omnium institutio. Ita ut si quid in istis videtur aliquando desiderandum, non est certe ut aliquid inde detrahatur, sed ut satius aliquid ei addatur.

IV. De religiosa puerorum instructione, si ea est omnibus communis, et omnium captui accommodata, certum est diligentissimum studium in eo poni, ut coetus utriusque usibus sit sufficiens. Nam si pro uno erit hoc fundamentum tantummodo amplioris doctrinae in theologiae cursu solide desuper adjiciendae, erit pro laicis tota eruditionis armatura, qua muniti erroris et corruptionis saeculi hostiles conatus sustinere et superare valeant. In hoc veluti stadio virtutibus ac sanis principiis imbuuntur, quibus colluctationem adversus mundi illecebras et naturae ad malum proclivitatem aggrediantur. Neque hac spe fraudatos se dicere possunt Episcopi, cum inter laicos suarum Dioecesium, nobiles etiam juvenes non paucos in suis Collegiis educatos videant, Fidei firmitate, caritatis exercitio et coeterarum virtutum splendore clarissimos.

Quamobrem dici forsan potest, ampliorem ac solidiorem esse in Catechesi et in rudimentis Fidei ac Religionis instructionem puerorum statui Ecclesiastico destinatorum, eo ipso quod totam doctrinam hauriant quae laicis praebetur. Talis enim ista est, ut non solum primoribus labiis studia sacra videatur attingere, sed potius theologiae, et controversiarum speciatim, quoddam in se germen continere.

V. Denique ipsa exercitia spiritualia talia sunt, ut forte in Collegio mere laicali essent mitiganda. Sunt etenim ea prorsus cum nonnullis sed levibus discrepantiis, quae in antiquo illo Duaceno Collegio, jam a S. Sede approbata, servabantur. Quotidiana scilicet meditatio et ad S. Sacrificium assistentia; bina SSmi. Sacramenti post refectiones visitatio; quotidiana lectionis spiritualis observantia; preces nocturnae etiam duplicatae ante cubitum; recitatio Rosarii; observantia arctissima Festorum Ecclesiae; frequens Benedictio SSmi. Sacramenti; omnium officiorum Ecclesiasticorum exacta et cum cantu celebratio, non solum in diebus Festivis sed et in Majori Hebdomada

et aliis praescriptis temporibus; frequens omnium Communio, et inter Ecclesiasticos alumnos saepius etiam in hebdomada, cum praevio ad Sacrum Poenitentiae tribunal accessu; tandem exercitia spiritualia rigorose tradita et peracta; en quae omnibus laicis et clericis sunt communia, quibus demere quidem, non vero addere facile esset.

PARS II.

De iis quae suggerenda videntur pro majori Collegiorum Ecclesiasticorum profectu.

Facilius quidem est defectus prospicere et notare quam iisdem remedium apponere. Illud quidem omnium est, hoc paucorum. Sed si in praefatis videamur elogium quodammodo nostrorum Collegiorum contexuisse, potius quam vitia aliqua eis adhaerentia vel maculas saltem digito monstrasse, id certe non est nec mentis caecitati neque incuriae tribuendum. Quae enim hactenus dicta sunt solummodo insinuant vitia nulla existere quae eradicanda vel funditus evertenda videantur. Defectus ergo potius quibus supplendum, quam mala sananda Nobis occurrunt. De his ergo pauca dicamus.

I. Et primo quidem ubi praesertim laicorum multo superat Clericorum numerum, difficile est spiritum mundanum excludere, qui totam domum sensim penetret eique dominetur. Experientia nos docuit multorum vocationes quamvis ab initio satis firmas fuisse ex hoc consortio labefactatas ac demum omnino corruisse. Sed etiam in eos qui perseverant infunditur aliquando saecularium rerum nimia cupiditas, quae zelum Dei et animarum imminuunt et a studiis sacris ad leviora abducunt.

Unicum pro hoc defectu remedium certe est segregatio Clericorum a laicis; prout jam in Nostra Synodo Prov. I. (XXVI) plene ac consulto declaratum est. Et revera in eo capite tam accurate tota res videtur fuisse tractata, ut satius sit ad ea quae ibi decreta sunt referre, quam aliquid de novo declarare. Hoc solum adjungi potest, spem nobis nunc affulgere propius quam cum ea scribebamus videndi Seminaria in singulis Dioecesibus fundata. Tunc quidem unusquisque Episcopus invigilare

poterit educationi suorum, eisque proprium spiritum veluti insufflare. Sed interea de novo inculcamus ut ii modi adhibeantur quos ibi recensuimus pro institutione adolescentium qui dignitatem appetunt sacerdotalem.

Quamvis enim instructio solida, de rebus spiritualibus, ipsis insimul cum laicis tradatur, tamen ab ipsis teneris unguiculis eorum mentes adhuc immaturae candore lucentes, exquisitiore rerum divinarum sensu sunt imbuendae ac propemodum animandae; unde strictior animi motuum sensuumque custodia, intensior in studiis assiduitas, exactior disciplinae observantia, fervidior in Ecclesia pietas, primo aspectu ab aliis eos discernant qui meliorem partem sibi elegerunt. Igitur peculiaris quaedam instructio debet in singulis Collegiis provideri, pro iis qui statui Ecclesiastico sese addixerunt; talis ut fundamenta jaciat futuri provectus. Non omnino exacte potest hujus instructionis forma pro omnibus definiri, eo quod in singulis Collegiis, systema studiorum et personarum varietas melius uni quam alteri methodo aptari possunt. Utrum exempli gratia, confessariis ordinariis hoc laboriosum officium sit imponendum vel uni soli Directori Spirituali concredendum; utrum omnes simul vel pauci seorsum, utrum frequentius vel majoribus intervallis sint pueri et juvenes in hac spirituali palaestra exercendi, prudentiae et experientiae eorum penes quos est regimen Collegiorum relinquendum censemus.

II. Inopia Sacerdotum hoc effecit, concurrente etiam Collegiorum ipsorum paupertate, ut theologi qui studiis incumbere indivisa mente deberent, saepe ad officia administrativa vel disciplinaria obeunda sint vocati. Cumque cursus theologicus nunquam ultra tertium protrahatur annum, saepe illum non attingat, impossibile est, nisi pro iis qui sublimiori ingenio sunt dotati, completam et perfectam eruditionem theologicam acquirere. Episcopi raro tempus concedere possunt suo longiori disciplinarum curriculo, et Collegium ipsum redditus non habet sufficientes nec quidem sufficiens spatium ut professorum copiam sustentet. Neque veluti aliis in regionibus, in civitatibus sita sunt nostra Collegia, quo lectores alias in ecclesiis occupatos ad docendum tantummodo per aliquod quotidie tempus possint sibi assumere. Ruri sedem habent, et quaecumque fere ad illorum

plenam instructionem requiruntur, intra domesticos parietes contineri oportet. Mirum igitur non est si docentium corpus praecipue constet ex iis qui vel studia theologica eodem tempore prosequuntur, vel qui ea interrumpunt ut litteras doceant. Isti quidem multo minus quam illi amittunt, cum uni soli negotio quovis tempore se dedant. Superiorum ergo solertiae et zelo commendamus fundationem cathedrarum cum dotatione convenienti. Sed desiderandum ut nullus Clericus minus quam quatuor integros annos in theologia addiscenda insumat, eamque non interrupto cursu absolute percurrat.

III. In hoc vero laudanda sunt nostra Collegia, quod pro S. Theologia tradenda professores etiam in longinquis regionibus quaesierint et inventos benevole exceperint; sive Itali sive Germani fuerint. Hoc recens evenit, quo satis constat nihil eorum superioribus magis esse cordi quam in hisce studiis proficere. Sed adhuc forsan optandum esset ut numerus cathedrarum theologicarum augmentetur, et a viris doctis et etiam laureatis istae occupentur. Tunc enim non solum amplior et profundior esset cognitio sacrarum disciplinarum, sed etiam illis quae nunc traduntur, aliae perutiles adjungi possent.

IV. Quamvis, verbi gratia, studium S. Scripturae non negligatur, sed potius diligenter pro rerum conditione colatur, tamen vix sufficiens videtur ipsius traditio pro quaestionibus enucleandis quae his miserrimis temporibus quotidie insurgunt, vel ad opus praedicationis vel etiam ad asceticam et internam animi eruditionem. In Anglia enim vix dici potest immensum quantum creverit hostium religionis acerbitas adversus omne quod dicitur Deus aut quod colitur, praecipue vero Ejus sanctam legem. Talia vero sunt ista, ut vix sine solida eruditione possint confutari.

V. Ad hanc acquirendam multum certe juvaret linguae Hebraicae studium saltem elementarium; ita ut omnes delibando gustent quod nonnulli meliori ingenio dotati forsan impensius prosequentur; quod vero nemini utile non erit etiam leviter attigisse.

VI. Cum per Hierarchiam Ecclesiasticam feliciter in Anglia restitutam, administratio Dioeceseum juxta regulas juris sit gerenda, cumque graves quaestiones in Synodis tam provin-

cialibus quam dioecesanis occurrant tractandae quarum solutio a canonicis legibus pendeat et deliberationi ac consilio sacerdotum committatur, crescit in dies necessitas juris ecclesiastici studium inter nos aggrediendi. Institutiones saltem juris Canonici vel Devoti vel alterius probati auctoris omnes percurrere deberent, sicque se sanis principiis fundamentalibus instruere.

VII. Linguae Latinae in Theologia discenda et docenda usum magnopere commendamus, praesertim vero in scholasticis disceptationibus et publicis thesibus sustinendis. Nam ejus exercitium omnibus viris ecclesiasticis summi momenti est, maxime si ad dignitates vel munera ecclesiastica promoventur, ut documenta rite conficere et epistolas conscribere etiam eleganter latino sermone valeant. Sed insuper accuratior est semper dogmatis definitio, et securior sanorum verborum forma, si in illo sermone memoria teneantur, et in discutiendo proferantur, in quo tradita nobis ab Ecclesia et sapientissimis theologis fuerunt. Repagulum igitur ponendum censemus neglectui hujus Catholicae Ecclesiae linguae, quae vinculum Orthodoxi consensus et tuba universalis veritatis recte dici potest. Examinationes in Theologia quantum fieri potest latine habeantur.

VIII. "Fides quidem ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Quomodo autem audient sine praedicante?" (Rom. x. 15.) Est ergo hoc inter sublimiora sacerdotis officia esse Verbi Dei praeconem, non verborum copia facundum sed sanae doctrinae traditione fructuosum. Nec minoris facienda sunt alia munera pastoralia, veluti catecheseos explicatio, fidelium in via salutis directio, aliaque plura quae enumerare esset supervacaneum. Maxime certe prodesset futuris sacerdotibus aeque ac gregibus illis committendis, si theologiae pastoralis quam ajunt brevis saltem cursus, vel etiam cum asceseos studio conjunctus, studiis addi posset. Quod si hoc fieri nequeat, saltem posset alumnis inculcari, ut priusquam ad ministerii sui exercitium progrediantur, aliquam scientiam in hisce disciplinis adipisci strenue conentur. Similiter possent eorum mentes ad studia liturgica et historiam ecclesiasticam excolendam feliciter dirigi "ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus" (2 Tim. iv. 17.).

IX. Tandem ut finem huic sermoni aliquem ponamus; si pueros a primis annis in pietate ac virtutibus ecclesiasticis enutriri et erudiri voluimus, quanto magis provectiores et vegetiores, non amplius lacte sed cibo fortium pastos cupimus videre. Progrediantur nunc de virtute in virtutem, altiora petant, ad Deum innovatis conatibus propius accedant, ut haereditate quam appetiverunt digni inveniantur.

Nunc de modo promovendi in Ecclesia gloriam Dei atque animarum salutem, et propagandi erga Divinissimum Eucharistiae Sacramentum ardentem pietatem, erga Immaculatam Dei Genitricem Mariam tenerrimam devotionem, sunt magis magisque instruendi, ita ut omnium mentes charitate et zelo inflammentur. Quod si aliquoties Episcopus ipse poterit collationibus talibus de rebus praesidere, et suorum verborum vim et gratiam praestare, nihil melius, nihil aptius nostro judicio excogitari potest, ad clerum Spiritu Dei plenum in nostris hodiernis Collegiis educandum.

DECRETUM XV.

De Collegiorum Regimine.

Hactenus de disciplina interna trium Collegiorum loquuti sumus, et cum maximi momenti sit ut eorum regimini recte gerendo prospiciatur, atque ut jura, quaecumque ea fuerint, tam Episcoporum in quorum Dioecesibus Collegia reperiuntur, quam aliorum in iis interesse habentium aequa ratione componantur, sequens methodus propter adjuncta specialia trium Collegiorum, dummodo accesserit S. Sedis licentia, stabilitur, ita tamen ut haec methodus debeat vim habere per modum provisionis ad tempus factae, donec S. Sedes eam revocaverit et dummodo nullatenus impediat vel moretur erectionem Seminariorum in singulis Dioecesibus ad formam Concilii Tridentini quamprimum perficiendam.

1. Soli Ordinario Dioeceseos in qua Collegium situm est competit jurisdictio et cura spiritualis Collegii.

2. Jus et auctoritas ordinandi et moderandi statum materialem et temporalem, studia, regimen, et disciplinam Collegii

spectat ad Conventum Episcoporum in eo interesse habentium, scilicet ad Archiepiscopum Westmonasteriensem, et Episcopum Suthwarcensem pro Collegio S. Edmundi in Dioecesi Westmonasteriensi posito; ad Episcopos Hagulstadensem, Beverlacensem, Salfordiensem, Liverpolitanum, et Salopiensem pro Collegio S. Cuthberti in Dioecesi Hagulstadensi sito; ad Episcopos Birminghamiensem, Nottinghamiensem, et Northantoniensem pro Collegio S. Mariae in Oscott in Dioecesi Birminghamiensi sito. Decernimus administrationem bonorum temporalium fieri debere in solidum quoad bona mobilia et immobilia Collegiorum donec S. Sedes jura separata singulorum determinaverit. Ad id autem obtinendum Episcopi in aliquo ex tribus Collegiis interesse habentes nominent pro eodem Collegio unum vel tres idoneos viros qui accurate, et onerata ipsorum conscientia, statum, quorumcumque bonorum, reddituum et jurium quovis titulo eidem Collegio spectantium, et ubivis existentium, additis de singulorum origine, destinatione, et praesenti conditione opportunis notitiis, intra annum efficiant, et S. Sedi exhibeant.

3. Hic Conventus fieri debet semel quotannis, die ab Episcopis interesse habentibus, in primo ipsorum Conventu, qui intra annum a die approbationis hujus Synodi explendus est, in futurum constituenda.

4. Si quando major pars Episcoporum voluerit, Episcopus Ordinarius debet convocare Episcopos partem habentes ad tenendum extraordinarium Conventum.

5. Singulis conventibus praeerit Ordinarius loci; et in paritate suffragiorum ipsius votum sit duplex. Ubi duae tantum sint Dioeceses, si Episcopi in unam convenire sententiam nequeant, quaestio ad Apostolicam Sedem judicanda deferetur.

6. Quo vigilantia et vis quae ex unitate et praesentia superioris profluunt nunquam deficiant, auctoritas constanter exerceatur per Ordinarium loci, qui tenetur sequi regulas in respectivo Collegio constitutas, et decreta ab ipso una cum Episcopis interesse habentibus lata. Ordinarius tamen nullas mutationes et expensas notabiles atque extraordinarias facere poterit, absque consensu majoris partis Episcoporum praedictorum.

7. Ut gubernium Collegiorum stabile sit et firmum, nulla mutatio essentialis fiat quoad Collegii regimen et administra-

tionem, nisi per Decretum Conventus annui fuerit approbata, atque in Conventu superioris anni proposita.

8. Cum Rectoris officium sit gravissimum et cum viri pietate, sapientia et rerum experientia conspicui ad illud gerendum assumi debeant, Collegium uni Rectori seu Praesidenti committatur, quem Episcopi simul collecti per majorem partem suffragiorum designabunt.

9. Nominatio Vice-Rectoris fiat a Rectore cum approbatione majoris numeri Episcoporum per Ordinarium loci communicata.

10. Professores Theologiae et Philosophiae nominentur ab Ordinario cum consensu majoris partis Episcoporum: alii vero Superiores et Professores a Rectore de consensu Ordinarii.

11. Oeconomus eligatur ab Ordinario de consilio reliquorum Episcoporum et de consensu majoris partis eorumdem.

12. Nullus alumnus Ecclesiasticus potest in Collegium recipi quin fuerit munitus documento per quod Episcopus cujus Dioecesi debet inservire, se eum tanquam idoneum approbasse declaret.

13. Nisi casus sit vere urgens, expulsio alumni Ecclesiastici, etiam non tonsurati, ne fiat per Rectorem nisi de consensu Episcopi ipsius alumni.

DECRETUM XVI.

De Missionariis limitrophis.

Ex nova Dioeceseum circumscriptione, vel aliis ex causis, facile contingere potest ut Catholici nonnulli propinquiores sint Ecclesiae vel Missioni in Dioecesi vicina sitae quam ulli in propria adhuc existenti. Quo in casu possunt exoriri quaestiones tum circa obligationes vicinorum sacerdotum, tum circa dictorum fidelium jura ad illorum sacrum ministerium. Cum vero hujusmodi casus ad S. Sedem fuerit deductus, et Sanctitas Sua benigne eam remiserit ad hanc Synodum Provincialem, ut pro similibus etiam quaestionibus provideatur, censuerunt Patres sequentia decreta statuenda, variis rerum adjunctis quantum fieri potest accommodata.

I. Si Catholici contermini ita proximi fuerint Ecclesiae alterius Dioeceseos, ut ad illam confluant pro Officiis Divinis et Sacramentorum frequentatione, eique eleemosynas suas elargiantur, censendi sunt eidem veluti adscripti, consentiente suo Ordinario, qui Sacerdoti illius Missionis necessarias facultates impertietur. Iste tunc habebitur pro eorum Missionario, qui tenetur eos visitare et instruere, ac aegrotis assistere; ita ut de ipsorum salute conscientia sua oneretur.

Itaque

1. Episcopi confines aliquos definitos limites de communi consensu huic extra-dioecesanae animarum curae praescribent, intra quos dicti sacerdotis ministerium exerceri debet.

2. Catholici intra hos terminos degentes inscribentur in libro status animarum Ecclesiae cui sic addicentur. Eorum baptismata, matrimonia et decessus in libris respectivis ejusdem loci inscribentur, apposito nomine Dioeceseos, quo constet ipsos Dioeceseos vicinae subditos fuisse, si aliquando forte ab Ordinario fides ex eis extractae verificandae fuerint.

3. Sed indulta quadragesimalia et alia quae directe ab Ordinario dependent vel proveniunt, ipsi ab eo recipient et ea observabunt: quae omnia Sacerdos qui eorum curam habet ipsis communicare tenebitur. Et sic pariter moneri debent, ut collectis Dioecesanis pro suis viribus contribuant, nisi aliter inter se convenerint Episcopi.

II. Si vero longius commorentur ab utraque Ecclesia quam ut possint vel uni vel alteri rationabiliter ascribi, neque unam neque alteram frequentare commode possint, tunc Episcopi illi Sacerdoti eos attribuent communi consilio cui melius et facilius competat illoram cura, habita ratione;

1. Coeteris paribus, distantiae relativae loci ab utroque Missionario, juxta regulam in Synodo I. Westmonasteriensi constitutam. (Cap. xiii. 5).

2. Commodi pro itinere, veluti si ex una parte via ferrea, vel publicum quod ajunt vehiculum, ad locum de quo agitur vel ejus viciniem pertingat, cum sic quamvis longior sit distantia, facile erit brevius iter.

3. Valetudinis, aetatis et roboris uniuscujusque Sacerdotis:

cum junior, praesertim si pedibus incedendum, melius onus portare valebit.

Quidquid vero Episcopi quovis alio meliore modo inter se in tali casu convenerint habeatur pro rato: salus enim animarum in primis quaerenda, nec de modo, si licito, nimium sollicite est cogitandum.

DECRETUM XVII.

De Cathedratico solvendo.

Emus. Praefectus S. Congregationis de P. F. nomine EE. PP. illius S. Consilii, per litteras die 12 Feb. currentis anni, ad Illmum. et Rmum. D. Episcopum Liverpolitanum datas, voluit committere huic Synodo Provinciali dubia exorta in ipsius Dioecesi circa Cathedraticum quotannis Episcopo solvendum: quae quidem dubia a Sacerdote suo Dioecesano ad S. Sedem deducta sunt, ut quid in ista praesertim Dioecesi circa ea tenendum esset decerneretur. Porro ipsa S. Congregatio plurima ex istis dubiis, sapientissime ut solet, enucleavit et solvit.

Ad quintum vero dubium, gradum sistit S. Congregatio hisce verbis; "Dilata, et exquiratur votum Concilii Provincialis." Dubium hoc quintum sequentibus vocibus exprimitur: "Utrum conveniat S. Sedi determinare summam solvendam hoc titulo, in Anglia et speciatim in Dioecesi Liverpolitana?"

Duo ergo nobis hic remittuntur deliberanda de valore Cathedratici et judicio S. Sedis submittenda.

1. Quid in specie conveniat S. Sedi definire de Cathedratico Clero Liverpolitano conveniente?

2. Quid generatim pro Anglia statuendum?

Ad primum quaesitum, re accurate ponderata, respondendum censemus, summam unius librae sterlingae, habita ratione conditionis et bonae voluntatis illius aedificantissimi cleri, non esse nimiam vel onerosam: quod clarius patebit ex sequente responsione.

Ad secundum igitur quaesitum respondemus, priusquam aliquid decernamus, ante quatuor annos, Episcopos in Conventu suo extra-Synodali de hac re tota deliberasse, et unanimi fere voto, hanc summam unius librae, pro Cathedratico in toto Anglia determinasse. Ad normam hujus decisionis, plures Episcopi jam in suis Dioecesanis Synodis libram a clero exegerunt, videlicet, Emus. Metropolitanus, Episcopi Beverlacensis, Liverpolitanus, Birminghamiensis, Salfordiensis, et Nottinghamiensis. Nunc vero cum, jubente S. Congregatione, rem totam denuo exagitavimus, nonnulli ex Episcopis nostro consessui patefecerunt, quod propter paupertatem plurimi sui Cleri, impossibile esset hanc summam nisi a paucis ex eo expetere. Quapropter, cum clero benevole et amanter semper agendi cupidi, quae sequuntur decernimus.

I. Cum maxime expediat, ut uniformitas statuatur per omnes Angliae Dioeceses, in valore Cathedratici quotannis solvendi; cum vero in aliquibus Dioecesibus quibus magis benedixit Deus una libra non esset nimia, in aliis vero paupertate laborantibus ultra vires Cleri reputetur; cum denique minime sit aequitati consentaneum, ut pauperiores copiosioribus aequiparentur, sed contrarie esse debeat, decernimus aequalem debere in posterum esse solutionem Cathedratici in omnibus Dioecesibus et constare medietate librae sterlingae.

II. Cum vero hisce dubiis de valore Cathedratici annexum erat et alterum enodandum, quod S. Congregatio nobis pariter demandavit, scilicet de personis a quibus solvi debeat Cathedraticum: conditionem nostri Cleri, suaeque sustentationis rationem perpendentes, sequentes viros Ecclesiasticos decernimus ad illud solvendum teneri:

1. Singula Capitula ex communi massa.

2. Presbyteri titulo Missionis ordinati, qui stipendia ab aliqua Ecclesia vel Oratorio recipiunt.

3. Qui curam gerunt animarum.

4. Qui praesunt Ecclesiis vel Oratoriis publicis, nisi specialem exemptionem probare valeant.

DECRETUM XVIII.

De Commissione Investigationis.

In I. Nostro Concilio Provinciali juxta S. C. de Prop. Fide instructionem quaedam de Commissione Investigationis decrevimus. Quoniam vero aliqua dubia de modo exequendi quae sancita fuerint subinde exorta sint, re maturius perpensa, ita statuendum proposuimus.

Qui ad supradictam Commissionem in Synodo Dioecesana nominata fuerint ad proximam Synodum Dioecesanam officium retineant: quando iterum confirmentur vel alii nominentur. Si vero interim morte vel renuntiatione alicujus ex numero deputatorum Commissio imminuta fuerit, Episcopus alium Consiliarium nominabit, servata proportione inter Capitulum et Clerum, quae in Prima Synodo Provinciali commendata fuit.

DECRETUM XIX.

De Quarta Synodo habenda.

ELENCHUS

Decretorum Synodi Tertiae Provincialis Westmonasteriensis, habitae in Collegio S. Mariae de Oscott, cum numero Articulorum.

XII. *Prorogatio Sessionis tertiae.* Art. unicus.
XIII. *De Seminariis condendis.* Art. unicus.
XIV. *De Collegiis. Pars prima.* Art. quinque.
" " " *secunda.* Art. novem.
XV. *De Collegiorum Regimine.* Art. tredecim.
XVI. *De Missionariis limitrophis.* Art. duo.
XVII. *De Cathedratico solvendo.* Art. duo.
XVIII. *De Commissione Investigationis.* Art. unicus.
XIX. *De quarta Synodo habenda.* Art. unicus.

Omnia et singula in hac Synodo statuta, decreta et acta, qua decet obedientia et reverentia, auctoritati, correctioni et emendationi Sanctae Romanae Ecclesiae, omnium Ecclesiarum Matris et Magistrae, et Romani Pontificis, Christi Vicarii, judicio emendanda, corrigenda, mutanda subjicimus.

Ego Nicolaus Cardinalis Wiseman, Archiepiscopus Westmonasteriensis, definiens subscripsi.

✠ Ego Joannes, Episcopus Beverlacensis, definiens subscripsi.

✠ Ego Thomas Josephus, Ordinis S. Benedicti, Episcopus Menevensis et Newportensis, definiens subscripsi.

✠ Ego Gulielmus Bernardus, O.S.B., Episcopus Birminghamiensis, definiens subscripsi.

✠ Ego Gulielmus, Episcopus Hagulstadensis, definiens subscripsi.

✠ Ego Thomas, Episcopus Suthwarcensis, definiens subscripsi.

✠ Ego Gulielmus, Episcopus Salfordiensis, definiens subscripsi.

✠ Ego Jacobus, Episcopus Salopiensis, definiens subscripsi.

✠ Ego Richardus, Episcopus Nottinghamiensis, definiens subscripsi.

✠ Ego Alexander, Episcopus Liverpolitanus, definiens subscripsi.

✠ Ego Gulielmus, Episcopus Plymuthensis, definiens subscripsi.

✠ Ego GULIELMUS, Episcopus Cliftoniensis, definiens subscripsi.

✠ Ego FRANCISCUS, Episcopus Northantoniensis, definiens subscripsi.

✠ Ego GEORGIUS, Archiepiscopus Trapezuntinus, Coadjutor Emi. Cardinalis Westmonasteriensis Archiepiscopi, subscripsi.

RODOLPHUS BAGNALL, Canonicus Birminghamiensis.
JOANNES MORRIS, Canonicus Northantoniensis.
THOMAS TASKER ROSKELL, S. T. D.
EDUARDUS WINDEYER, Canonicus Plymuthensis.
} Secretarii.

Haec omnia et singula in tribus Sessionibus acta, decreta et subscripta sunt. Ita testor ego Notarius rogatus in Collegio S. Mariae de Oscott, die 24 Julii, 1859,

GEORGIUS BOWYER, Equ., S. M. O. Jerus.

JACOBUS LAIRD PATTERSON,
EDMUNDUS STONOR,
} Testes.

APPENDIX.

PARS I.

I.

DE EPISCOPO COADJUTORE.

Epistola Emi. D. Cardinalis Praefecti S. C. de Prop. Fide, Data 30 Junii, 1839, Ad Emum. Archiepiscopum Westmonasteriensem.

Le comunico quanto recentemente ha avuto luogo in proposito de' diritti che possono competere nei Sinodi ai Coadjutori con futura successione presso la Propaganda. Nel Gennaro del corrente anno in occasione che esaminavansi gli Atti e Decreti del 3. Sinodo Provinciale di Tuam fu discusso se i Vescovi Coadjutori avessero o no diritto di sedere nei Sinodi con voto deliberativo. Il consultore che aveva emesso il suo Voto sul Synodo Tuamense citava per l' affermativa una decisione della S. C. dei Riti che trovasi nel Gardelli Tom. I. p. 24. ediz. 3. Ma gli Emi. Padri giudicarono invece che non facesse essa al proposito. Imperocchè dalle parole del Decreto *Coadjutores cum futura successione in Synodo Provinciali sedeant juxta tempus eorum promotionis*, si rileva bensì che i Coadjutori hanno luogo nei Sinodi secondo l' ordine di loro promozione, ma non sembra punto potersi dedurre il loro diritto al voto deliberativo, tanto più che seguirebbene in tal caso che ad una medisima Chiesa competerebbero due voti. Ma v' è anche di più. Imperocchè avendo il Sinodo Provinciale di Quebec ammesso nei Vescovi Coadjutori della Provincia il diritto di sedere nel Concilio con voce decisiva, nella Generale Adunanza di Maggio del 1852 fu proposto il dubbio "se dovesse farsi alcuna osservazione sugli Atti del Concilio Quebecense," e gli Emi. Padri risposero *Affirmative et ad mentem.* "Mens est, che si scriva una lettera nella quale si faccia conoscere che non conviene dare ai Coadjutori voto decisivo, e che per ogni maggior cautela, si é implorata dal S. Padre la sanazione degli Atti."

II.

DE ALTERNATIVA CANONICATUUM COLLATIONE. DE FESTO S. ELEUTHERII, MARTYRIS. DE FESTO SACRATISSIMI CORDIS.

Beatissime Pater,

Cardinalis Archiepiscopus Westmonasteriensis et Episcopi Suffraganei Angliae humillime petunt:

1. Ut S. V. benigne velit Indultum ad quinquennium Oratoribus concedere, vi cujus valeant Canonicatus vacantes duobus mensibus S. Pontifici reservatis in suis respective Dioecesibus conferre, dummodo non fuerint S. Pontifici ex alio titulo quam regulae mensium reservati vel affecti, et dummodo enunciati Episcopi vere resideant.

2. Ut S. V. benigne dignetur indulgere ut Festum S. Eleutherii, Pontificis et Martyris ob coincidentiam die 26 Maii cum S. Augustini, Anglorum Apostoli Festo, die proximo non impedito juxta Rubricas designando, sub ritu duplici cum Officio et Missa prout in Alma Urbe recitantur, per totam Angliam celebrari valeat.

3. Denique, ut S. V. ex benignitate Apostolica Festum SSmi. Cordis Jesu ad ritum duplicis secundae Classis pro omnibus in Anglia Divinum Officium recitantibus elevare dignetur.

Quas gratias, etc.

Ex Audientia Sanctissimi habita die 22 Aprilis, 1860.

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina providentia PP. IX. referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, auditis resolutionibus EE. PP. Cardinalium ejusdem S. Congregationis diei 15 Aprilis, 1860, benigne annuit pro gratia in omnibus juxta petita.

Dat. Romae ex Aed. dic. S. Congregationis die et anno praedictis.

Gratis sine ulla solutione quocumque titulo.

L. ✠ S. Cajet. Archiepiscopus Thebar., *a Secretis.*

III.

DE SUFFRAGIO PRO SACERDOTIBUS DEFUNCTIS.

Beatissimo Padre,

Il Cardinale Arcivescovo di Westminster e gli altri Padri del Sinodo supplicano che la Santità Vostra si degni concedere e sanzionare le disposizioni seguenti, le quali sono stimate giuste (purchè la Santa Sede voglia approvarle) dai Sacerdoti del benemerito Clero Secolare, i quali hanno considerato la questione.

Non costando di certo se, e quale, forza abbia questa pia usanza di celebrare una messa per tutti e singoli i Sacerdoti del Regno, e non potendo allegarsi in favore della medesima alcun atto di approvazione Superiore, si supplica che V. S. a quiete delle coscienze voglia annullarla qualora essa sia in vigore, assolvendo ognuno che in buona o dubbia fede non l' abbia osservato, sostituendosi invece l'uso seguente, il quale si consideri restare in vigore finchè non sia cambiato in altro Sinodo Provinciale.

L' Inghilterra si tenga per divisa in due parti, delle quali la Meridionale comprenda le contee delle diocesi di Westminster, Southwark, Newport, Clifton, Plymouth, Birmingham, Northampton, e Nottingham, nelle quali ora si trovano 363 Sacerdoti Secolari incirca ; e la Settentrionale, la quale contenga le contee delle altre diocesi ect : nelle quali trovansi circa 367 Sacerdoti secolari. L' uso d' applicare la messa sia in avvenire ristretto ai Vescovi (anche Regolari) ed ai Sacerdoti secolari compresi nella divisione alla quale il defonto avrà appartenuto, colla condizione però che un catalogo esatto sia tenuto dai sacerdoti in ciascuna diocesi, e che nessuno abbia il diritto di percepire il suffragio della messa, il quale non siasi per se o per procura, iscritto in detto catalogo, come obbligandosi a celebrare durante il corso della vita una messa per ciascun degli altri Vescovi o Sacerdoti inseriti nei catalogi della respettiva parte Meridionale o Settentrionale.

I sacerdoti che per qualunque causa si trasferissero permanentemente dall' una all' altra di queste divisioni, trasferiranno altresì il loro nome da un catalogo all' altro, e godranno dei

suffragi di quella divisione soltanto alla quale saranno stati ascritti al tempo della loro morte. Quelli poi che cessano di appartenere alla giurisdizione dei Vescovi dell' Inghilterra o che muojono in sospensione perdono il diritto al suffragio. I sacerdoti dei Collegi Inglesi all' estero, e quelli che fossero annessi alla Corte Pontificia potranno godere dei suffragi coll' ascriversi nel Catalogo delle respettive diocesi. Chiunque si ascrive nel catalogo cede ogni diritto vero o dubbio al vantaggio della previa usanza, che in forza dell' Apostolica sanzione, la quale umilmente si implora, verrà abrogata.

Supplicano inoltre i Vescovi che la messa d' applicarsi in forza di questa convenzione sia per grazia della Santità Vostra Privilegiata.

Ex Audientia Sanctissimi habita die 22 Aprilis, 1860.

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina providentia PP. IX. referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, auditis resolutionibus EE. PP. Cardinalium ejusdem S. Congregationis diei 15 Aprilis, 1860, benigne annuit pro gratia in omnibus juxta petita.

Dat. Romae ex Aed. dic. S. Congregationis die et anno praedictis.

Gratis sine ulla solutione quocumque titulo.

L. ✠ S. Cajet. Archiepiscopus Thebar., *a Secretis*.

IV.

DE USU LARIDI IN DIEBUS ABSTINENTIAE.

Beatissimo Padre,

1°. Nella formola 2ª che si suole accordare ai Vescovi di Inghilterra si concede la potestà *dispensandi, quando expedire videbitur super esu carnium, ovorum et lacticiniorum tempore jejuniorum et quadragesimae.* Quindi i Vescovi considerando, che l' Olio come non prodotto in Inghilterra non si può adoprare come condimento, hanno invece del medesimo, ed

in forza di questa facoltà permesso l' uso dello strutto, e del così detto grasso squagliato, che tiene luogo in Inghilterra dello strutto. Vedendone permesso l'uso nella quaresima, li fedeli hanno cominciato da più anni, ed in buona fede a farne uso ancora nei giorni dell' astinenza dalla carne fuori di quaresima.

I Padri però del Terzo Sinodo Provinciale umilmente supplicano, che Vostra Santità si degni, compassionando la miseria dei poveri, e considerando l' affetto col quale sogliono osservare la legge dell' astinenza, e la loro buona fede, sanzionare l' uso già principiato, e confermare l' Indulto temporaneo dei Vescovi muniti della formola di modo che sia lecito in avvenire il condimento delle suddette sostanze cioè dello strutto, e del grasso squagliato tanto nella quaresima, che negli altri giorni di digiuno, e di astinenza nel decorso dell' anno.

2°. Per il medesimo motivo della mancanza cioè dell' Olio, ed atteso che in molti luoghi il pesce è scarso, e che altri cibi quaresimali come frutti, insalate ec. non possono procurarsi del popolo durante la quaresima, ed atteso che l' abbondanza dei cibi permessi nella quaresima, rende più facile l' osservanza del digiuno, supplicano inoltre, che V. S. si degni concedere, che nella refezione, che presso i fideli di coscienza retta si permette alla sera, si possa introdurre l' uso del latte, e del butirro, li quali sono già permessi nella Scozia, nel Belgio, ed altri luoghi settentrionali, non che del formaggio, che forma una delle risorse principali dei poveri. Che ec.

FER. IV. DIE 9 MAII, 1860.

Sanctissimus D.N.D. PIUS divina providentia Papa IX. in solita Audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, audita relatione suprascripti supplicis libelli una cum Emorum. ac Emorum. DD. S.R.E. Cardinalium in tota Republica Christiana contra haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum suffragiis, quoad primum ex postulatis in suprascripto supplici libello contentis benigne annuit pro gratia juxta preces, excepta tamen Fer. vi. majoris hebdomadae, et quousque perduraverint facul-

tates Episcopis Oratoribus concessae sub formula 2ª. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Quoad secundum postulatum, Sanctissimus Pater rescribendum mandavit *Non expedire.*

L. ✠ S. ANGELUS ARGENTI, S. Romanae et Unlis. Inqis. Notarius.

V.

MONUMENTA.

DE CULTU MARTYRUM ANGLICANORUM.

1. Liber vetustus in Archivo Soc. Jesu; cui titulus—*Vero ragguali della religiosa Vita e del glorioso Martirio del P. Rodolpho Acquaviva della Compagnia di Giesù*—p. 103.

"Né manco si richiede ad un vero Martirio per la Fede negli uccisori la espressa intenzione d'ucciderli per tal causa: li quali all' incontro fanno professione continua d' inimici di quella, e di quanti la predicano. Come non impedì, che fosse tenuto per *Martirio vero quello del P. Campiano* della Compagnia di Gesù, e *Compagni Alumni di Sua Santità*, che patirono dalla Regina d' Inghilterra li anni passati; con tutto che essa non diceva castigarli perchè erano Catholici, anzi protestava non ammazzarli per la Fede, per paura che aveva di qualche motivo, che si potesse sollevar dai Christiani nascosti di quella Isola nel suo Regno; e con tutto che la voce del castigo sonava per Rebelli alla Corona; nondimeno dico per questo *non lasció il Papa Gregorio XIII. e tutta la Corte Romana di tenerli per fedelissimi Martiri; e come a tali Sua Santità fece pinger la Istoria del lor Martirio per tutte le mura della chiesa del Collegio degl' Inglesi ch' Egli fondó in Roma.*"

2. Marcus Antonius Ciappius in Vita Gregorii Papae XIII. quam Gregorio XIV. dedicavit, ac Romae edidit anno 1591, cap. 12, pag. 19. "L'anno quinto del suo Pontificato istituì il Collegio Inglese nella chiesa della Trinità vicino alle carceri di Corte Savella, avendovi fatto fare delle case vicine commode

abitazioni per li Collegianti, e *fatto dipingere la chiesa con l' Historia de' Santi Martiri dell' istessa nazione.*"

3. P. Philippus Alegambe in libro cui titulus—Mortes illustres eorum de Soc. Jesu, qui in odium Fidei necati sunt —edito Romae anno 1657, agens de P. Edmundo Campiano cap. 24, pag. 100. "*Accedit ad cumulum auctoritatis Gregorii XIII. Pontificis Maximi consensus: quem fecisse potestatem aras sacrandi Martyrum Anglicanorum nostri aevi Reliquiis haud secus quam si in Sanctorum canonem essent adscripti,* testis est Arnoldus Rayssius Hierogazophilacio Belgico ad pag. 174, laudans episcopum Turiasonensem auctorem."

5. Arnoldus Rayssius, Duacensis Canonicus, in libro, cui titulus: Hierogazophylacium Belgicum, sive Thesaurus Sacrarum Reliquiarum Belgii—edito Duaci anno 1628, agens de P. Edmundo Campiano, et Sociis, p. 174. "*Certum est Gregorium XIII. tantum illis Martyribus detulisse, ut declaraverit eorum reliquias, in consecrandis altaribus, adhiberi posse loco reliquiarum Sanctorum canonizatorum:* cujus declarationis mentio fit ab Episcopo Terrasone in historia Martyrum Anglicanorum hujus aetatis, quam hispanicè edidit."

5. Fr. Didacus de Yepes Ord. S. Hieronymi, Confessarius Philippi II. Regis Hispaniarum, et Episcopus Tirasonensis; cui titulus: Historia particular de la persecucion de Inglaterra, y de los Martirios mas insignes &c.—edito Matritii anno 15 1599, l. 2, c. 5. "Queriendo la Reina y su consejo oscurecer su gloria con los nuevos y falsos nombres de traiciones y traidores, Dios los honro, inspirando a su Vicario *Gregorio XIII., que declarase en el año de ochenta y dos, que los Catolicos pudiesen usar de sus Reliquias en los Altares a donde hubiesse falta de las de los Santos antiguos.* Y sienten su fuerza los endemoniados, saliendo de ellos los demonios, y dando gloria a Dios, como se dirà en su lugar. Y no pudiendo los hereges hacer estas grandezas, *alegranse los justos en el Señor* (que son los hijos fieles de la Iglesia Catolica) *que alaban y reverencian estos Santos Martires:* cumpliendose en ellos la palabra del Señor, que les ha prometido victoria y honra en recompensa de los agravios, que han sufrido por su causa, habiendo sido abatidos y humillados por sus enemigos."

6. Caesar Cardinalis Baronius in Scriptione de Martyrologio Rom. c. 8. "*Nec est praeterea quod quis miretur, si in eodem ipso, de quo agimus, Martyrologio clarissimos illos Martyres videat praetermissos, quos nostro saeculo ob tuendam propagandamque Catholicam Fidem poenas atrocissimas, si qui alii olim Martyres, in Anglia potissimum atque in Galliis ab haereticis passos, et in coelum (ut par est credere) inter alios Martyres aequali scimus triumphi gloria cooptatos;* nec insuper illos inveniat recensitos, qui velut tonitrui filii in similitudinem fulguris coruscantis novo Orbi Evangelico lumine illuxerunt, ac Fidei causa Martyrium subiere. Non enim (ut apparet) fuit in praesens Romanae Ecclesiae institutum novum conscribere Martyrologium, sed vetus (ut diximus) ex veteribus exemplaribus restituere."

7. Idem in Not. ad diem 29 Decembris agens de S. Thoma Cantuar., Episc. et Mart. "*Videre meruit saeculum nostrum hac ex parte felicissimum quamplurimos Thomas, sanctissimos Sacerdotes, aliosque nobilissimos viros Anglicanos ampliori (liceat dicere) Martyrio Coronatos,* duplicisque tituli coronis auctos; cum non solum, ut Thomas, pro Ecclesiastica libertate, sed pro fide Catholica tuenda, restituenda, ac conservanda nobilissimo Martyrio occubuerint; ut inter alios, quos nuper Sancta Societas Iesu velut agnos innoxios in sacris septis sanctis eruditionibus ad Martyrium acceptissimas Deo hostias saginavit: quos Romanum, quos Rhemense sacra Collegia, quae dixerim celsas turres a facie Aquilonis, et fortissima propugnacula Fidei, emiserunt ad triumphos, provexerunt ad coronas. Macte animo, macte virtute, Anglicanorum noblissime ac gloriosissime coetus, qui tam illustri militiae nomen dedisti, ac sacramento sanguinem spopondisti. Aemulor sane vos Dei aemulatione, cum vos Martyrii candidatos ac nobilissimae purpurae Martyres designatos aspicio. Compellor et dicere: Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia."

8. Fr. Ludovicus Granatensis Ord. Praed., in Libro cui titulus: La quinta parte della Introduzione al Simbolo della Fede—Italice edito Venetiis anno 1590, cap. 18, pag. 70. " L' Istoria del Martirio di questo Padre (Edmundo Campiano)

e de' suoi compagni è molto degna d' essere saputa. Perochè *di loro possiamo dire a gran ragione, due volte essere stati Martiri,* l' una per la Fede, l' altra per la Carità: cioè l' una per non consentire agli eretici, e l' altra per non iscoprire li catolici, quantunque fossero loro per questa cagione dati assai tormenti (come nel processo vedrassi) essendo leali nell' uno a Dio, e nell' altro a suoi prossimi e fratelli." Et pag. 74. "Resta ora, che il Christiano Lettore consideri con occhi di fede, con quale allegrezza i santi Angeli accompagnarono queste fortunate Anime (leali in questo al loro Dio, per la cui Fede morirono, e leali a' loro prossimi) posciachè essendo si crudelmente tribolati, non li scopersero giamai: Martiri nell' uno, e Martiri nell' altro. Or *che festa debbe esser fatta questo giorno in cielo per l'entrata di questi Cavallieri con doppia corona.*"

9. P. Petrus Ribadeneyra Soc. Jesu in Appendice, seu Libro IV. quem addidit tribus Nicolai Sanderi de Origine ac progressu Schismatis Anglicani, edito Coloniae Agrippinae anno 1610, cap. 29, pag. 161, titul. margin. "*Imago Patris Soc. Iesu Londini ab haereticis Martyrio affecti colitur ab Indis.*" "*Vidi ego Beati Patris Edmundi Campiani* e Societate Jesu quem vos Londini adeo barbare de medio sustulistis in India subtilissime effictam: scio eundum eodem tempore, quo vos illum excarnificabatis, ut *Jesu Christi Martyrem fuisse honoratum;* vos autem velut Dei Ecclesiaeque suae hostes et tyrannos maledictos."

10. P. Andreas Eudemonitanus in Libro, cui titulus: Responsio ad Epistolam Isaaci Casauboni—edito Coloniae Agrippinae anno 1613, cap. 6, pag. 129. "Edmundum Campianum potuisse vitae etiam ipsum suae abneganda Pontificis in Principes potestate consulere, satis aperte significat etiam Lancilottus Andreas in Tortura sua. Quam vestram confessionem accipio; vel quod *gloriosum est Sancto Dei Martyri vitam pro defensione Ecclesiae, vestro etiam testimonio, abjicere voluisse;* vel quod, &c."

11. Paulus Bombinus in Libro cui titulus—Vita et Martyrium Edmundi Campiani Martyris Angli e Societate Jesu—edito Mantuae anno 1620, cap. 58, pag. 303. *Romae etiam in Anglorum templo inter caeteros egregie pro Fide Christiana*

ad cruorem usque certantes in Anglia Martyres ferendo pugnas Edmundus pluribus tabulis publice spectatur. Neque usquam de ejus rebus fortiter in Christi causa toleratis Commentarii Historiaeve prodiere (prodiere autem pluribus linguis plus duodecim) quin *Martyris* titulum praetulerint."

Insuper ipse Historiam claudit his verbis: "Laus Deo, Beataeque Virgini Matri Mariae, et *Beatissimo nostrorum Martyrum Anglorum principi Edmundo Campiano.*

Una sit merces operi, o *Beate*
Martyrum princeps miei Campiane
Pectus intactum. Titulis id unum
Insere nostris."

12. D. Bernardinus de Mendoza, Regis Hispaniarum apud Angliae Reginam Orator, in Litteris ad D. Annam sororem suam datis 4 Decembris, 1581. "Poiché mi trovo in paese, onde non mi sta bene inviare a mio nome quello, che s' appartiene a'i Martiri; l' avrá in una di Serrano. Prego V. S. di mandarla a copiare, e inviare a' Padri della Compagnia di Giesù in mio nome acciochè la promulghino in tutte le loro case. E vì aggiunga che quanti si trovan qui, ed io in particolare, posso far fede, *che atteso il modo con che il Campiano ha patito, egli è da contarsi fra i maggiori Martiri della chiesa di Dio.*"

13. P. Robertus Personius Soc. Jesu in Litteris ad P. Claudium Aquavivam, Praepositum generalem, 28 Dec., 1581. "Grandissima è la diligenza con che *nell' Inghilterra si cercano le reliquie del P. Campiano;* e danaro in copia si offerisce agli eretici per comprarle. Ma piu avventurosamente uno a cui senza spendervi altro che del suo ingegno, pur venne fatto di rubarne una costola; e portolla dove in casa di un cattolico molti vi nì erano adunati: e tanta fu la consolazione e 'l giubilo per cosa si inaspettata e si cara che molti ne lagrimavano; e fra essi un Barone di pura allegrezza e commozione di spiriti tramortì."

14. P. Joannes Gerardius Soc. Jesu in Relatione sua manu scripta. "Tornandomi una volta dal Tribunale, andai a vedere un imprigionato nella pessima carcere del Bridwel, perochè intesi ch' egli era infermo; e trovarlo qual' è ben giusto, che ancor altri il sappia. Questi era stato servidore del *Beato P. Campiano* preso e ritenuto gran tempo meco nel medesimo carcere del

Cavalier Marziale; e vel trovai messo in ferri per null' altro che aver lodato il P. Campiano."

15. Germanus anonymus ante annum 1620, cuidam P. Campiani Tragaediae hunc titulum praefixit—Ambrosiana Tragedia auctore *Beato Edmundo Campiano* Graeco, Latino, Poeta, Oratore, Philosopho, Theologo, Virgine et *Martyre*."

16. Litterae Collegii Graecensis anno 1606. "Graecii Styrorum vir erat primae nobilitatis P. Edmundi olim Pragae discipulus qui cum omnia digna laude de Praeceptore suo memorabat, tum vero *peculiari etiam veneratione illum prosequebatur, et inter praecipuos Patronos quotidie precibus colebat.* Accidit ut conjugem pariendi tempus fefellerit, &c. Maritus et de conjugis et de prolis periculo sollicitus, *O Beate*, inquit, *P. Edmunde Campiane*, succurre uxori meae laboranti. Vix edixerat, et statim uxor facillimo enixu masculum peperit. Maritus et filio et conjuge salva laetus, ut beneficio gratus esset, Edmundi nomen infanti imposuit."

17. Gilbertus Genebrardus Ord. S. Bened. in Libro cui titulus—Chronographia—edito Parisiis anno 1585 ad ann. 1581. "*Edmundus Campianus et alii Sancti et docti Martyrio afficiuntur Londini.*"

18. Aubertus Miraeus in Libro, cui titulus—Chronicon—ad ann. 1581. "*Edmundus Campianus* Londinensis Societatis Jesu Sacerdos, *Martyr nostri saeculi clarissimus*, pro orthodoxa Religione, Romanique Pontificis suprema auctoritate Londini Kalendis Decembris immanissime mactatur."

19. Pater Matthias Tanner Soc. Jesu in Libro cui titulus—Societas Jesu usque ad sanguinis profusionem militans, &c. edito Pragae, anno 1673, pag. 13. "*Plurimi eum ut Martyrem venerati sunt et venerantur; quos inter Serenissimi etiam Orbis Christiani Principes.* Sane Sereniss. Leopoldus Episc. Passaviensis et Argentinensis, et Sereniss. Carolus Episc. Wratislaviensis, uterque Archidux Austriae et Augustiss. Caesaris Ferdinandi II. filius, cum vetus Societatis Jesu Collegium Pragae ad S. Clementem inviserent, primario *in Cubiculum deduci se expetierunt, quod aliquot annorum Pragae habitatione Edmundus Campianus consecrasset.* In quod non minore reverentia, quam Sacrarium quoddam et Templum,

capite nudato uterque ingressi et in genua provoluti sunt, *dignum ea veneratione pavimentum dicentes, quod nobilis adeo Christi Martyris* (*ita illis loqui ex privata devotione libebat*) *pes calcavisset.* Amplius etiam idem pavimentum veneratus est ex prima Angliae nobilitate Henricus Ortonus cum Ducis Lotharingiae Oratore idem aliquando Cubiculum invisens; ubi toto corpore in illud provolutus, devotissimis saepius osculis solum libavit: beatum praedicans quod tam venerandis plantis tritum fuisset."

20. P. Franciscus Suarez in Libro cui titulus—Defensio Fidei Catholicae et Apostolicae adversus Anglicanae Sectae errores—edito Conimbricae, anno 1613, Lib. 6, cap. 11. "An qui propter Romanam religionem et obedientiam in Anglia morte mulctati sunt *inter veros Martyres sint annumerandi?* Dicimus ergo non solum sub Henrico VIII., sed etiam sub Elizabetha et Jacobo plures in Anglicana persecutione mortem pro Christo suscepisse, qui *inter veros Christi Martyres magna gloria et constanti veritate computantur.* Ita sentiunt de his Sanctis Viris omnes Catholici Scriptores qui de Anglicanis rebus his temporibus scripserunt. Nam Polidorus Virgilius, &c. Idem de illis et de aliis sub Elizabetha interfectis affirmat et variis exemplis ac rationibus ostendit Sanderus in lib. 1 & 3 de Schism. Anglic., &c. Ex ann. 1851 et sequentibus *P. Edmundi Campiani e Societate Jesu et aliorum multorum Martyria praeclarissima refert.* Atque eodem modo de his Martyribus senserunt Genebrardus in Chron. anno 1534 referens Paulum Jovinum, Georgium Lilium in Chron. et Sleidam lib. 9. Item Surius in sua Historia. Bozius de Signis Eccl. part 1, l. 11, c. 1, &c. Didacus Yepes Episcopus Tarazonensis in Anglic. Historia, Andreas Filopater, &c. Illustrissimus Baronius in Martyrolog. die 29 Decemb., &c. Petrus Opmeerus in novissimo Opere Chronograph. ann. 1585, et Laurentius Rayerlinck in tom. 2, ejusdem chronograph. ann. 1606, &c. *Nihil est ergo quod Catholici de istorum Sanctorum Martyrio dubitent.* Nam juxta regulam Augustini, cum sint certi, eos in unitate Ecclesiae pro eadem unitate et obedientia mortuos esse, *dubitare non possunt, quin sint tamquam Martyres coronati*, et interfectores eorum tanquam Persecutores Martyrum esse judicandos. Nemo

igitur (ut Cyprianus dixit) infamet Martyrum dignitatem; nemo eorum glorias destruat et coronas, &c."

21. A nobili familia Cholmeley asservatur adhuc Reliquiarium, in quo sunt dispositae duodecim Sanctorum ac Beatorum reliquiae, quibus appositi sunt sequentes tituli—*Ex ligno S. Crucis, S. Quirinae, S. Bernardi Ab., S. Victoris, B. Garneti, B. Aloisii, B. Stanislai, B. P. Xaverii, S. Flori M., B. Walpoli, B. Campiani M., B. P. Ignatii.* Quum vero in hoc reliquiario SS. Ignatius et Franc. Xaverius adhuc titulo Beatorum nuncupantur, constat efformatum esse ante annum 1621, quo scilicet anno iidem Beati a Gregorio XIV. Canonizati sunt.

DE RELEVANTIA HORUM MONUMENTORUM

Ex his monumentis, quae attulimus, constat, primos Christi Martyres, qui sub Henrico VIII. et Elizabetha in odium Fidei necati sunt in Anglia, non solum a piis fidelibus et illustribus viris in summa veneratione fuisse, sed ex Indultis Gregorii XIII. cultum ecclesiasticum habuisse. Primum Indultum est, ut eorum imagines ac martyria pingerentur ejusdem Pontificis jussu in Ecclesia Collegii Anglicani de Urbe. Secundum Indultum, quod maximum est ac praecipuum, est facultas anno 1582 tributa adhibendi horum Martyrum reliquias in consecrandis Altaribus, loco Martyrum canonizatorum. Ad hoc autem, ut a S. Sede obtineatur confirmatio hujus cultus, necesse est, ut rite probentur praedicta Indulta. Primum de pictis imaginibus probari non potest nisi per historicos: secundum autem duplici via; vel in medium afferendo Responsum Gregorii XIII., vel si hoc inveniri nequeat, investigando diligenter an in vetustioribus altaribus, quae adhuc extent in Anglia, revera reperiantur reliquiae Thomae Mori, Cardinalis Roffensis, Campiani et aliorum qui ante annum 1582 Martyrium fecerunt.

Hoc autem si probe fiat, non video cur facili ratione restitui non possit cultus publicus et ecclesiasticus illustrioribus viris qui in odium fidei passi sunt.

EPISTOLA R. P. D. SECRETARII S. CONG. SAC. RITUUM AD EMINENTISSIMUM ARCHIEPISCOPUM.

Eminentissimo e Reverendissimo Principe,

Nell' atto che mi reco a dovere di accusare a Vra. Eminenza Reverendissima il ricevimento dello scritto da Lei inviatomi e compilato da un Teologo di sua fiducia nello scopo di appianare alcune difficoltà che potrebbero per avventura offrirsi alla S. Congregazione dei Riti riguardo all' officio dei SS. Martiri Inglesi implorato dal 3° Sinodo Provinciale di Westminster, lasciar non posso di assicurare la stessa Eminenza Vra. che mi renderò sollecito di sottoporre quanto prima codesto medesimo scritto al savio giudizio degli Eminentissimi Padri componenti il S. Consesso.

Frattanto profittando di questo favorevole incontro mi do lo onore d' inclinarmi al bacio della S. Porpora con sensi del più profondo ossequio,

Di Vostra Eminenza Reverendissima,

Roma, dalla Segreteria dei SS. Riti, li 13 Giugno 1860.

Umilissimo, Devmo., Ossqmo. Servo,

A. CAPALTI.

Eminentissimo e Reverendissimo Sig. Card. Wiseman, Arcivescovo di Westminster,

Roma.

APPENDIX.

PARS II.

I.

DE HABITU CHORALI CAPITULORUM.

PIUS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Sacerdotalia indumenta plurimum conferre ad sacrorum rituum majestatem compertum est; quamobrem Praedecessores Nostri Romani Pontifices ecclesiasticis viris, qui in Cathedralibus Templis Sacra peragunt officia, consueverunt elargiri peculiaria honoris ornamenta, ut iis aucti, majore cum gravitate ac splendore sacros ritus explerent, ex quibus excitari vehementer solet fidelium pietas, et religio. Itaque quum Venerabilis Frater hodiernus Archiepiscopus Westmonasteriensis preces Nobis admovendas curaverit, ut, tum Capitulo Metropolitanae Ecclesiae, tum Capitulis suffraganeis, certa quaedam indumenta in sacris obeundis functionibus concedamus, facile adducti sumus, ut hujusmodi precibus obsecundemus, illa etiam de causa quod de eorundem Capitulorum pietate, et ecclesiasticae disciplinae singulari observantia, illustria accepimus testimonia. Quapropter omnes et singulos, quibus hae Literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, ac absolutos fore censentes, Auctoritate Nostra Apostolica, tenore praesentium, concedimus et indulgemus, ut Canonici Metropolitani Capituli Westmonasteriensis talarem vestem, non tamen sericam, violacei coloris, Canonici autem Capitulorum Suffraganeorum talarem item

vestem, nec tamen sericam, nigri coloris, panno rubro extremis oris adsutam, cum globulis pariter rubris, in sacris functionibus induere, utque tam Metropolitanum, quam suffraganea Capitula amiculum manicatum vulgo Rochettum cum fimbrio vulgo Merletto duodecim pollices mensurae Anglicae per altitudinem minime excedente gestare, necnon palliolum, seu Mozzettam, non tamen sericam, violacei coloris adhibere possint, quae extremis oris pellem album praeferat mustelae Alpinae vulgo Armellino, et panno etiam laneo violacei coloris subsuta esse queat cum globulis coloris rubri. Volumus autem, ut editum decretum die 14 Mensis Maii, An. 1853, accurate observetur de Canonicali indumento in respectivis Ecclesiis adhibendo, itemque custodiantur Ecclesiasticae praescriptiones circa tempus, ac loca, quibus vestium Canonicalium ornamenta adhiberi, ac gestari queant. Hoc concedimus, atque indulgemus, non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri super Divisione Materiarum, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum ex Arce Gandulphi sub annulo Piscatoris die 14 Maii, 1858, Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

V. Card. Macchi.

L. ✠ S.

II.

BREVE SUPER ELECTIONE PROTECTORIS ET DEPUTATIONE RECTORIS COLLEGII ANGLORUM ULYSSIPONEN.

PIUS PP. IX.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Vices in terris gerentes Illius, qui ab ipsis Ecclesiae suae exordiis jussit Apostolos per mundum universum ire, et praedicare Evangelium omni creaturae, nihil magis cordi habemus quam ut haec eadem Evangelii praedicatio omni ratione juvetur, et ad eam rite ac recte homines instituantur. In eum finem

Romani Pontifices Praedecessores Nostri Collegio pro Anglicanis missionibus in Civitate Ulyssiponensi constituto pro sua in Ecclesiam universam sollicitudine juxta temporum adjuncta providere non omiserunt. Jam vero Episcopali Hierarchia nuper per Angliam restituta, Archiepiscopus Westmonasteriensis et Episcopi Regni ejusdem nonnulla proposuerunt quibus bono illius Anglici Collegii regimini melius provideretur. Quibus omnibus mature perpensis, Nos, ut bono praedicti Collegii Missionum, ac votis memoratorum Antistitum fiat satis, de consilio VV. FF. NN. S.R.E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, Auctoritate Nostra tenore praesentium Litterarum Nuntium Apostolicum apud Aulam Lusitanam pro tempore existentem Collegii de quo supra, pro Anglicanis Missionibus Ulyssipone existentis, Protectorem constituimus, quod munus ab cessatione officii Praesulis Inquisitoris, cui olim fuerat tributum, vacabat. Volumus praeterea, atque decernimus, ut deputatio Rectoris ejusdem Collegii fiat per Congregationem Fidei Propagandae praepositam, post propositionem Episcoporum Angliae. Haec constituimus, volumus atque decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, necnon Constitutionibus et Sanctionibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 24 Januarii, 1854, Pontificatus Nostri anno octavo.

Pro Domino Cardinali LAMBRUSCHINI,

JO. B. BRANCALEONI CASTELLANI, *Substitutus.*

III.

DE VIA CRUCIS, CONFRATERNITATIBUS ET SCAPULARIBUS.

Beatissime Pater,

Nicolaus Cardinalis Wiseman, Archiepiscopus Westmonasteriensis, et Episcopi Angliae ad pedes S. V. prostrati supplicant ut S. V. dignetur renovare facultatem Oratoribus ad quinquennium concessam die 7 Maii, 1857, erigendi Stationes Viae Crucis sive per se sive per delegatos, necnon et erigendi confraternitates

approbatas, et delegandi sacerdotes qui benedictionem et distributionem scapularium et insignium earumdem Confraternitatum exequi valeant. Eminentissimus Archiepiscopus et Episcopi Oratores humiliter petunt ut renovetur dicta facultas sine clausula, *dummodo non extent religiosi quibus privilegium competat, &c.*

Quare, &c.

Ex Audientia Sanctissimi habita die 27 Martii, 1862.

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina providentia Papa IX., referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Cardinali Praefecto, benigne annuit pro gratia in forma et terminis transactae concessionis, dempta tamen clausula, *dummodo non extent Religiosi, quibus privilegium competat.*

Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide die et anno ut supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

Al. C. Barnabò, *Praef.*

L. ✠ S.

IV.

INDULGENTIA PRO MISSIONIS JURAMENTO.

Ex Audientia Sanctissimi habita die 7 Maii, 1775.

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina providentia PP. VI. pro eximio, quo flagrat Catholicae Religionis latius propagandae studio, animadvertens bono, ac incremento Apostolicarum Missionum plurimum posse conducere, si ii, qui in Collegiis, sive Seminariis utriusque Cleri, Evangelii praecones mox futuri, educati sunt, vel qui titulo Missionis ad Ecclesiasticos Ordines fuere promoti, animo identidem recolant jusjurandum, quo se obstrinxerunt, co-operandi Deo in salutem Animarum: eos vehementer hortatur, ut in annos singulos in anniversaria die praestiti juramenti illud repetere curent; serio meditantes divinam erga se bonitatem, quae eos constituit Verbi Ministros ad annuntianda mirabilia virtutis, ac potentiae suae: quam immarcescibilis gloriae corona eis in coelis parata sit, si officium suum sancte riteque impleverint: quamque e contra

districtum maneat judicium, si negligentia vel socordia sua, quod absit, quemquam perire contigerit.

Id autem ut promptius et alacrius praestent, Sanctitas Sua unicuique illorum Plenariam Indulgentiam, Animabus quoque in Purgatorio detentis applicabilem, et perpetuis valituram temporibus peramanter impertitur, non modo cum praedictum juramentum primo emiserint, verum etiam cum illud statuta jam die renovaverint; dummodo in utroque casu conscientiam suam Poenitentiae Sacramento expiare non omittant, ac Eucharisticam Communionem suscipiant, vel Missae celebrent Sacrificium.

Datum Romae ex Aedibus Sac. Cong. de Prop. Fide die 7 Maii, Ann. 1775.

STEPHANUS BORGIA, *Secretarius.*

V.

RESCRIPTA AD MISSALE ET BREVIARIUM SPECTANTIA.

(Vide Conc. Prov. II.)

DECRETUM PRO CELEBRATIONE NONNULLORUM FESTORUM SS. BRITANNIAE.

Ut SS. Virorum qui dum a Domino in terris peregrinarentur, Britanniam sanguine pro Xto. effuso vel eximiarum splendore virtutum longe lateque illustrarunt, indelibilis usque memoria vigeret, Reverendissimi Deborensis, Philomeliensis, Amoriensis et Ramatensis Episcopi, Anglicani Regni in praesens Vicarii Apost., apud S. Sedem plurimum institerunt, supplicantes ut pristinam et ob temporum conditionem intermissam consuetudinem restituere dignaretur, celebrandi scil. in toto eo Regno certis statutisque diebus officium et Missam de nonnullis ex ipsis qui ibi clariori sanctitatis fama floruerunt.

Cum autem ad Xti. fidelium pietatem excitandam et ad Sanctorum patrocinium demerendum conducere id posse videatur SS. D. N. CLEMENS PP. XIV. pro paterna illa charitate qua Anglicanum gentem S. R. E. Communioni adhaerentem complectitur, postquam ex mei infrascripti S. C. de P. F. Secret. relatione in Aud. diei 30 Mart. currentis anni deprehendit Sanctos

de quibus officium et Missa postulatur esse in Romano Martyrologio descriptos (excepto tantum uno, scil. S. Davide, Menevensi Episcopo de quo tamen Officium et Missam celebrant sub die 1 Martii Monachi Congregationis Anglo-Benedictinae) et fere omnes in pervetusto Sarisburiensis Ecclesiae Calendario et Missali, quod olim commune erat pluribus Anglicanae provinciae Ecclesiis, contineri, praefatorum Vicariorum precibus benigne annuens omnibus et singulis ex Clero Saeculari in dicto Regno existentibus vel extituris qui ad Divinum Officium recitandum quocumque modo tenentur, praecipit et mandat, his vero qui sunt ex Clero Regulari permittit, ut infrascriptis diebus illud sub ritu adnotando de Sanctis qui sequuntur persolvant, similiter et Missam de eisdem Sanctis celebrent desumptam de respectivo Communi prout sequitur;

19 Januarii S. Wolstani, Episcopi Vigorniensis, dup., de comm. Conf. Pont.

1 Martii S. David, Episcopi Menevensis, dup., de eodem comm.

2 Martii S. Ceaddae, Episcopi Lichfeldensis, dupl., ut supra.

8 Martii S Felicis, Episcopi Dumnocensis, dupl., ut supra.

20 Martii S. Cuthberti, Episcopi Lindisfarnensis, dupl., ut supra.

8 Aprilis S. Richardi, Episcopi Cicestrensis, dup., ut supra.

19 Maii S. Dunstani, Archiepiscopi Cantuariensis, dupl., ut supra.

25 Mai S. Aldhelmi, Episcopi Sciréburnensis, dupl., ut supra.

8 Junii S. Gulielmi, Episcopi Eboracensis, dup., ut supra.

22 Junii S. Albani, Britanniae Proto-Martyris, dupl., maj. de comm. unius Mart.

7 Julii Translationis S. Thomae Cantuariensis, dup., maj. de comm. unius Mart.

15 Julii Translationis S. Swithuni, Episcopi Vinton, dup., de comm. Conf. Pont.

17 Julii Translationis Reliquiarum S. Osmundi, Episcopi Sarisbur., dup., ut supra.

31 Augusti S. Aidani, Episcopi Lindisfarnensis, dup., ut supra.
3 Oct. S. Thomae, Episcopi Herefordensis, dupl., ut supra.
10 Oct. S. Paulini.
12 Oct. S. Wilfridi, Archiepiscopi Eboracensis, dup., ut supra.
25 Oct. Translationis S. Joannis de Beverlaco, Archiepiscopi Eboracensis, dupl., ut supra.
3 Novembris S. Winefridae, V. et Mart., dup., de comm. Virg. et Mart.
14 Novembris Translationis Reliquiarum S. Erconwaldi, Episcopi Londinensis, dupl., de comm. Conf. Pont.
16 Novembris S. Edmundi, Archiepiscopi Cantuariensis, dup., ut supra.
17 Novembris S. Hugonis, Episcopi Lincolniensis, dup. ut supra.
5 Decembris S. Birini, Episcopi Dorcestriensis, dup., ut supra.

Insuper Eadem Sanctitas Sua declarat in concurrentia alterius Officii servari debere Rubricas generales, et si agatur de concurrentia officii ejusdem Ritus praeferri Officia Sanctorum Regni. Dat. Romae ex Aed. S. C. de P. F., die 21 Martii, 1774.

STEPHANUS BORGIA, *Secret.*

L. ✠ S.

REDUCTIO FESTORUM ET VIGILIARUM.

DEC. SAC. CONG. DE. PROP. FIDE.

EX AUD. SS. HABITA 9 MARTII, 1777.

SS. D.N. PIUS D.P. PP. VI., me infrascr. S. C. de Prop. Fide Secret. referente, attentis peculiaribus circumstantiis Catholicorum in Angliae Regno degentium, eos benigne dispensavit a praecepto audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus per dies festos cujuslibet anni, exceptis tamen Dominicis et feria II post Pascha Resurrectionis ac Pentecostis, necnon solemnioribus reliquis festis, scil. Natalis Domine, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis, Corporis Christi, Annun-

tiationis et Assumptionis B. M. V., SS. Apostolorum Petri et Pauli, Commemorat. Omnium SS. et demum ubi colitur patroni etiam loci: vigilias autem festis ut supra dispensatis annexas SS. mandavit transferri in IV et VI Feriam uniuscujusque hebdomadae Adventus, in quibus jejunium idem servandum erit, quod in Quadragesima et Quatuor Temporibus anni servari debet, licet Anglis in more sit feriis VI jejunia vigiliasque celebrare. Quoad vero Ecclesiastica Officia SS. declaravit ea sic ut antea retineri oportere, tam in Missae celebratione, quam in Horis Canonicis recitandis. Insuper sicut interdum evenit, ut die quo Festum agitur SS. Apostol. Petri et Pauli contingat in eodem regno collectio foenorum, et messis triticea aliquando incidat in Festum Assumptionis B. V., ita Sanctissimus hinc quoque prospiciens, Vicariis AA. locorum respectivis plenam largitur facultatem dispensandi in simili casu a praecepto abstinendi ab operibus servilibus, in duobus praefatis, audito tamen prius S. Missae Sacrificio, ubi illud commode fieri poterit. Dat. Romae ex Aed. S C. de Prop. Fid. die et anno quibus supra.

STEPHANUS BORGIA, *Secretarius.*

L. ✠ S.

SUPPRESSIO JEJUNII FERIAE VI.

EX AUD. SS. HABITA DIE 8 JULII, 1781.

Relatis per me infrasct. S. C. de P. F. Secret. precibus Vicariorum Apostolicorum Angliae humillime supplicantium pro dispensatione a consuetudine inter Catholicos ejusdem Regni jamdiu vigente jejunandi in qualibet Feria VI. per annum, excepto tempore Paschali, necnon abstinendi a carnibus tribus diebus Rogationum, et die festo S. Marci, Evangelistae, SS. D. N. PIUS D.P. PP. VI. praecipuas ob causus et circumstantias Catholicos omnes in eodem Angliae Regno degentes benigne ac perpetuo dispensavit a praefata jejunii observentia in qualibet Feria VI. per annum, salvo tamen jejunio ab Ecclesiae praescripto Feriis VI. Quadragesimae et IV. Temporum, et firmo semper remanente praecepto jejunii in singulis Feriis IV. et VI. uniuscujusque hebdomadae Adventus quod loco variarum vigiliarum Catholicis Anglis injunctum fuit ex Apostolico Indulto die 9

Martii, 1777. Quoad vero abstinentiam a carnibus per tres dies Rogationum ante Festum Ascensionis Domini et die Festo S. Marci Evangelistae, voluit S. S. ut pia haec et ab antiquis temporibus firmata consuetudo inviolata etiam in posterum conservetur, ceteris quibuscumque in contrarium non obstantibus. Dat. Romae ex Aed. S. C. die anno quibus supra.

L. ✠ S.

STEPHANUS BORGIA, *Secretarius.*

DISPENATIO ABSTINENTIAE SABBATI, S. MARCI ET ROGATIONUM.

DEC. SAC. CONG. DE PROP. FIDE, DIE 17 MAII, 1830.

Cum RR. PP. DD. Vicarii Apostolici. Regni Angliae pluribus adductis gravibus rationibus vehementer petierint pro universo illo Regno dispensationem ab observantia abstinentiae ab esu carnium die Sabbato in quo jejunii praeceptum non obliget, itemque dispensationem ab eadem abstinentiae observantia quae in memorato Regno viget die S. Marci Evangelistae, et diebus Rogationum ; S. Congregatio Generalis de Propag. Fide habita die 17 Maii, anno 1830, referente Emo. ac Rmo. Dno. Benedicto S. Rom. Ecclesiae Cardinali Barberini censuit ac decrevit, Supplicandum Sanctissimo Dno. Nro. attentis ac durantibus circumstantiis pro gratia juxta petita.

Hanc autem S. Congregationis sententiam Sanctissimo Dno nostro PIO PP. VIII. relatam per R. P. D. Castrucium Castracane S. Congregationis Secretarium in Audientia die 23 Maii, anno 1830, Sanctitas Sua benigne in omnibus probavit et RR. PP. DD. Vicariis Apostolicis communicandum jussit.

Datum Romae apud S. Cong. de Prop. Fide die 29 Maii, 1830.

D. M. CARD. CAPELLARI, *Praefectus.*
C. CASTRACANE, *Secretarius.*

. REDUCTIO FESTORUM.

DEC. SAC. CONG. DE PROP. FIDE, DIE 17 MAII, 1830.

Cum in Sacra Congregatione Generali de Propaganda Fide habita die 17 Maii, 1830, perpensae fuerint preces RR. PP. DD. Vicariorum Apostolicorum Angliae, quibus petebant nonnullorum

dierum festorum in eo Regno adhuc vigentium diminutionem, referente Emo. ac Rmo. Dno. Benedicto Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Barberini, eadem Sacra Congregatio, rebus omnibus mature consideratis, censuit ac decrevit, Supplicandum Sanctissimo Dno. Nro. pro suppressione, durantibus circumstatiis, festi di praecepto hactenus ibi servati in utraque Feria Secunda Paschatis, ac Pentecostes; itemque pro translatione Festi Annunciationis Beatae Mariae Virginis, et Sancti Cuthberti in Comitatu Dunelmensi Districtus Septentrionalis, ad diem Dominicam proxime sequentem.

Hanc autem Sacrae Congregationis sententiam Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. Octavo relatam per R. P. D. Castrucium Castracane Sacrae Congregationis Secretarium in Audientia diei 23 Maii, anni 1830, Sanctitas Sua benigne in omnibus probavit, et Vicariis Apostolicis communicandam jussit.

Datum Romae ex Aed. dictae Sac. Cong. die 29 Maii, 1830.

D. M. Card. Cappellari, *Praefectus.*
C. Castracane, *Secretarius.*

TRANSLATIO FESTORUM MOBILIUM.

Ad promovendam magis in Anglia devotionem erga Amantissimum humani generis Redemptorem Christum Jesum, et Sanctissimam Ejus Matrem Beatissimam Virginem Mariam, Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Nicolaus Wiseman, Archiepiscopus Westmonasteriensis, a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX. supplicibus votis postulavit, ut privilegium concedere dignaretur Clero Angliae transferendi ad primas dies sequentes liberas Mobilia Festa tum Mysteriorum, et Instrumentorum Dominicae Passionis assignata certis Feriis a Dominica Septuagesima ei deinceps in Quadragesima, tum Festa ejusdam Deiparae determinatis intra annum Dominicis affixa. Sanctitas Sua, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, ejusdem votis clementer deferens indulsit, ut enunciata Festa Mobilia Dominicae Passionis, ac Beatae Mariae Virginis amandari valeant ad primas dies sequentes liberas, quoties juxta Decreta designatae Feriae vel Dominicae impeditae occurrerint; attamen quoad Officia Mysteriorum, et Instrumen-

torum Dominicae Passionis voluit ut ultra Quadragesimam non transferantur; servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 10 Junii, 1858.

L. ✠ S.

C. Episcopus Albanen. CARD. PATRIZI, *Praef.*
H. CAPALTI, *Secretarius.*

DE COMMEMORATIONE S. GEORGII.

Beatissime Pater,

Summi Pontifices, tam in Urbe in qua existit vetusta atque longo saeculorum cultu celeberrima Basilica inclyti Martyris S. Georgii, quam in Anglia cujus Patronus atque invictus Protector ab antiquissimis temporibus fuit, et de quo statuit Benedictus XIV. per Decretum SRC. sub die 8 Jan., 1749, ut *in Suffragiis Sanctorum fiat* in Anglia *tantum commemoratio S. Georgii* Angliae Patroni, et Sanctitas Vestra sancivit ut non obstante cessatione festivae obligationis Missa pro populo applicaretur die S. Georgii, honorem eidem Martyri debitum plurimum commendarunt, summoque studio promoverunt.

Volentes Cardinalis Archiepiscopus Westmonasteriensis et Episcopi Angliae eumdem Martyrem venerari, sub cujus tutela Anglia teterrimis temporibus fideles atque etiam gloriosos Martyres Ecclesiae dedit, et perpendentes in maximo dubio versari Sacerdotes de nomine Sancti in Suffragiis atque in oratione *A cunctis* inserendi, atque paucissimas Ecclesias consecratas atque in his beneficia nondum fuisse erecta; atque considerantes quod si debeat, ut in nonnullis SRC. decretis innuitur, commemorari cultum Sanctorum antiquitus in Anglia honoratorum qui nondum a S. Sede recogniti fuerunt neque in Martyrologio Romana nominati, et cogitantes nullos Patronos electos fuisse ad formam decreti Urbani VIII:

Humillime supplicant ut S. V. benigne dignetur declarare, donec S. Sedes declaraverit propter mutata Angliae adjuncta decreta ordinaria esse observanda, quod in Sanctorum Suffragiis atque in oratione *A cunctis* commemoratio S. Georgii tantum fiat, omissa commemmoratione aliorum Sanctorum praeterquam

in casu Ordinum Regularium quoad commemorationem sui Fundatoris, et salvis privilegiis particularibus a S. Sede concessis.

Quare, &c.

EX AUDIENTIA SSMI. HABITA DIE 24 MAII, 1863.

SSmus. Dnus. Noster PIUS divina provid. PP. IX., referente me infrascripto S. Cong. de Prop. Fide Secretarium, benigne annuit pro gratia juxta preces.

Dat. Romae. ex Aed. dic. S. Congregationis die et anno praedictis.

Gratis sine ulla solutione quocumque titulo.

H. CAPALTI, *Secretarius*.

L. ✠ S.

VI.

DE INDULGENTIIS IN FESTIS D.N.J.C. ET B.V.M.

Beatissime Pater,

Per Rescriptum S.C. de Propda. Fide diei 14 Maii, 1853, Sanctitas Vestra benigne dignata est concedere omnibus Dioecesibus Angliae Indulgentiam Plenariam sub solitis conditionibus in omnibus festis D.N.J.C. et Immaculatae Ipsius Matris; per Decretum vero S.C. Indulg. diei 18 Sept., 1862, declaravit S.V. per verba *in omnibus festis D.N.J.C.* intelligi debere festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis et Corporis Christi, per verba autem *in omnibus festis B. M. V.*, festa Conceptionis Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis:

Sed quum in omnibus Calendariis Angliae editis non solum festa praedicta sed etiam, per errorem, et alia secundaria festa D.N. et Bmae. V. utpote hoc privilegio decorata per varios annos sint publicata, atque persaepe a suggestu ad fideles in diebus Dominicis a Sacerdotibus sint promulgata:

Nicolaus Cardinalis Archiepiscopus Westmonasteriensis, pro se, suisque Suffraganeis, enixe supplicat, ad evitandum scandalum et ne minuatur Sacramentorum frequentia ratione Indulgentiarum hactenus publicatarum introducta, ut S.V. benigne

dignetur concedere ut singuli fideles in Anglia degentes lucrari valeant Indulgentiam Plenariam animabus in Purgatorio detentis applicabilem, dummodo rite confessi et S. Synaxi refecti coram aliquo altari pias ad Deum preces fuderint juxta mentem S.V., a primis vesperis asque ad occasum solis dierum festorum sequentium scil. SS. Nominis JESU, Desponsationis B.M.V., Orationis D.N.J.C., Passionis, Spineae Coronae, Lanceae et Clavorum, Sindonis, SS. V. Plagarum, Pret. Sanguinis in utroque festo, VII. Dolorum B.M.V., in utroque festo, Auxilii Christianorum, SS. Cordis D.N.J.C., Visitationis, B.M.V. de Monte Carmelo et ad Nives, Transfigurationis D.N.J.C., SS. Nominis Mariae, B.M.V. de Mercede, Solemn. Rosarii B.M.V., Maternitatis, Puritatis et Patrocinii B.M.V., SS. Redemptoris, Praesentationis et Expectationis Partus B.M.V.

Quare, &c.

EX AUDIENTIA SSMI. HABITA DIE 8 FEBRUARII, 1863.

SSmus. Dnus. Noster PIUS divina provid. PP. IX. referente me infrascripto S. Cong. de Propaganda Fide Secretario, benigne annuit pro gratia juxta preces.

Dat. Romae ex Aed. dic. S. Congregationis die et anno praedictis.

Gratis sine ulla solutione quocumque titulo.

H. CAPALTI, *Secretarius.*

L. ✠ S.

DECRETA

CONCILII PROVINCIALIS

WESTMONASTERIENSIS

QUARTI.

A.D. MDCCCLXXIII.

APPROBATIO.

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE.

Cum decem et trium jam annorum spatium effluxisset, ex quo Synodus Provincialis ob graves multiplicesque causas ab Angliae Antistitibus celebrata non fuerat, tandem praeterito anno, praeside R. P. D. Henrico Eduardo Manning Archiepiscopo Westmonasteriensi, celebrari potuit. Haec Synodus, quae a restituta in Anglia ecclesiastica Hierarchia quarta numeratur, in Ecclesia Collegii S. Edmundi habita fuit, tribusque sessionibus feliciter absoluta. Cum autem laudatus Praesul ejusdem Acta et Decreta ad S. Congregationem de Propaganda Fide, ut consueto examini subjicerentur, transmittenda curaverit, ea in generalibus comitiis diei 6 currentis mensis, praeposita relatione per Eminentissimum et Reverendissimum Dominum Constantinum S. R. E. Cardinalem Patrizi, ad trutinam revocata fuerunt. Porro S. Consilium, paucis quibusdam ad peculiaris instructionis, quae insimul traditur, formam redactis, memoratam Synodum censuit esse adprobandam, et ab omnibus ad quos spectat accurate servandam.

Quam S. Congregationis sententiam SSmo. Domino Nostro Pio PP. IX. per infrascriptum Secretarium relatam, in audientia diei 12 mensis hujus, Sanctitas Sua in omnibus sancivit, eaque de causa praesens Decretum jussit expediri.

Datum Romae ex Aedibus dictae S. C. de P. F., die 24 Julii, 1874.

Alexander Card. Franchi, *Praef.*

Joannes Simeoni, *Secretarius.*

L. ✠ S.

CONCILII DECRETA.

DECRETUM I.

De aperienda Synodo.

DECRETUM II.

De Methodo Vitae in Synodo servanda.

DECRETUM III.

De Officialibus Synodi.

DECRETUM IV.

De non Discedendo.

DECRETUM V.

De non Praejudicando.

DECRETUM VI.

De Judicibus in Causis Personalibus constituendis.

DECRETUM VII.

De Episcopis.

1. Bonus pastor cognoscit oves suas et suae cognoscunt eum; "ante eas vadit, et oves illum sequuntur," et "animam suam dat pro ovibus suis."[1] Sacrosancta igitur Tridentina Synodus collapsam Ecclesiae disciplinam instaurare, cleri fideliumque mores reformare volens, ab episcopatu sumpsit exordium, pastores Ecclesiae verbis gravissimis admonens integritatem praesidentium salutem esse subditorum.[2] Meminerint proinde

[1] Joan. x. 4, 11.
[2] *Conc. Trid.* Sess. VI. De Reformatione, cap. 1.

omnes qui a Spiritu Sancto ad Ecclesiam Dei regendam electi et positi sunt, sese non ad propriam gloriam, vel commodum, vel elationem, ad sacerdotii fastigium evectos esse, sed ut clero in omni sanctitate, castitate, pietate praesint et praeeant, omnium pastoralis et sacerdotalis spiritus perfectionum vivam in seipsis exhibentes imaginem.

2. In specula a Domino constituuntur, non tantum ut oves suas undequaque dispersas conspicere possint, sed etiam ut ipsi tamquam virtutis exemplar a suo grege conspiciantur. Plenitudinem igitur regalis sacerdotii Episcopi sortiuntur ad aedificandam et perficiendam Ecclesiam Dei. Ipsis solis commissum est supremum munus eligendi, informandi, ordinandi levitas et sacerdotes, per quos viva et compacta Ecclesiae constructio intime cohaerens in aetatis Christi mensuram crescit et perficitur. Ideo vere formidanda est episcopatus dignitas. Episcopus enim non tantum perfectus esse debet, sed etiam in statu perfectionis jam adeptae constituitur, ut ab ipso tamquam ex fonte abundanti omnis et sacerdotalis et pastoralis vitae perfectio in universum clerum derivetur. "Religionis status perfectionem non praesupponit, sed ad perfectionem inducit; pontificatus autem dignitas perfectionem praesupponit."[1] Quapropter Episcopus prae caeteris perfectus esse tenetur, id est, ardentissima charitate Dei et proximi, humilitate et obedientia praeditus; tum etiam filiali obsequio Sanctae et Apostolicae Sedi indivulse unitus; et, quod praecipuum perfectionis indicium est, pro fratribus animam ponere semper paratus. Denique tamquam viva imago Domini nostri Jesu Christi, qui divinum est vitae mixtae ideoque omnimodae perfectionis exemplum, debet Episcopus vitae activae et contemplativae simul conjunctae perfectiones omnes in seipso exhibere.

3. Sacras igitur et Apostolicas de Episcoporum dignitate et officiis ordinationes, necnon Conciliorum Oecumenicorum, praesertim sacrosanctae Tridentinae Synodi, de boni pastoris munere adimplendo, de disciplina ecclesiastica instauranda, de clero in omni scientia et pietate informando praescriptiones,

[1] S. Thomas, *Opusc.* De Perfectione Vitae Spiritualis, c. xix.

integro animi obsequio et veneratione, Synodo nostra teste, amplectimur; easdemque adamussim ipsi servabimus, et ab aliis ut serventur quantum in nobis est satagemus.

4. Faxit Dominus, Pastor et Episcopus animarum nostrarum, ut, Spiritu Sancto infirmitatibus nostris vires ministrante, omnes muneris nostri partes firmiter et fideliter ad vitae exitum adimpleamus, et, adveniente Domino, villicationis nobis commissae rationem cum gaudio reddere valeamus.

DECRETUM VIII.

De Capitulis.

In prima Westmonasteriensi Synodo de erectione, obligationibus et privilegiis Capitulorum Cathedralium jam satis actum et statutum est; attamen experientia edocti aliqua adjicienda vel adnotanda censemus.

1. Maxime laudandus est singularis ille zelus quo obligationes suas capitulares implevisse luculenter constat, eo praesertim quod nemo ignorat quot quantisque difficultatibus obnoxia sint eorum munera: inter quas praecipue recensendus est defectus praebendarum, quo fit ut, quum apud Ecclesias Cathedrales canonici degere non possint, laboribus missionum, collegiorum, aliorumque ecclesiasticorum officiorum addicti, per dioecesim undique inveniantur dispersi, et propter hasce et ejusmodi rationes ab onere residentiae et chori auctoritate Pontificia magna ex parte eximantur.

Meminerint tamen eos qui honores et officia sibi assumunt, eo ipso etiam onera assumere; et canonicos juxta statuta capitularia teneri singulis mensibus die ab Episcopo statuto choro interesse et sessioni capitulari assistere, nisi obtinuerint ab Episcopo, juxta facultatem a S. Sede concessam,[1] absentiae veniam.

Quod si propter graves aliquas rationes Capitulo die designato adesse non possint, secretarium Capituli de causis absentiae

[1] *Rescrip. S. Cong. de Prop. Fide*, die 21 Januarii, 1855.

litteris certiorem facere tenentur. Quas quidem litteras ipse secretarius coram praeposito et canonicis recitabit, et ab Episcopo in visitatione examinandas reservabit. Sciat praepositus officii sui esse invigilare ut statuta capitularia observentur, nullamque nisi legitimam admittat excusationem; quo in munere a caeteris Capituli membris est adjuvandus. Si quis autem canonicus Capitulo sine excusatione assistere negligat, noverit se culpa carere non posse.

2. Inter Statuta Capitularia Primi Concilii Westmonasteriensis, capite nono, de canonicorum muneribus et officiis, decretum est "copias resolutionum capitularium Episcopo requirenti, utpote cui incumbit invigilare et recognoscere ne quidquam per capitulares decernatur contra juris dispositionem vel in praejudicium Ecclesiae, a canonicis denegari non posse." Ad praecavendas autem quaestiones quae ex citata clausula possent exoriri, adjiciendum judicamus canonicos etiam libros capitulares Episcopo intra civitatem constituto, quotiescumque ex rationabili causa id requirat, exhibere teneri.[1]

3. Benigna Sanctae Sedis concessione, Episcopo defuncto, Capituli est trium ecclesiasticorum virorum nomina per suffragia secreta eligere, et ad tramites ejusdem Concilii, Decreto duodecimo, antea citati, judicio Summi Pontificis ad sedem vacantem commendare. Meminerint ergo capitulares quanta et quam magni momenti ad felicitatem et salutem dioecesis sit hujusmodi praerogativa; siquidem ex eorum prudentia et probitate pendet unitas cleri, dioecesis prosperitas, pax gregis. Qualis enim Episcopus, talis et ecclesia. Quapropter in nominibus seligendis, ne se contineant capitulares intra limites Capituli, aut dioecesis propriae, sed maxime idoneos viros vel extra dioecesim exquirant, qui non sufficientibus tantum sint instructi dotibus, sed insuper tum humanarum tum divinarum rerum peritia emineant.

Quo id facilius a canonicis praestetur, elenchum qualitatum quae in Episcopo inveniri debent ad calcem hujus Synodi[2]

[1] Vide Append. V., p. 301.
[2] Vide Append. VI., p. 302.

adjiciendum censemus.[2] In transmittendis nominibus a Capitulo designatis, curent canonici ut ad Metropolitanum, vel ad Episcopum ejus vices gerentem, adjuncta etiam, quantum fieri poterit, quae personas commendatas respiciunt scriptis transmittant.

DECRETUM IX.

De Seminariis.

1. Dum in mundo versabatur Dominus noster ad salvandum genus humanum, maximam in eo curam impendisse visus est, ut ex populo Ipse quosdam seligeret viros qui secum cooperarentur. Quos autem de mundo ad se vocaverat, eos labiis suis diligenter instruebat, in medio eorum vivebat, cum ipsis manducans et bibens, semperque eos in via crucis praecedens, et quae agenda erant coram eis primus Ipse perficiens.

Verbo itaque et exemplo eos docuit, qui Ecclesiam suo nomine recturi erant, ut cum eadem familiaritate ac sancto exemplo inter discipulos suos viverent, monitum illud adimplentes: *Qui major est inter vos, fiat sicut minor; et qui praecessor est, sicut ministrator.*[1]

2. Haec autem Salvatoris vestigia novimus Ecclesiam illis saeculis religiose secutam fuisse, quibus, ut satis constat, magna perfectione splendebat, magnaque libertate fruebatur.

In Ecclesia Romana, a tempore Constantini usque ad saeculum XIII., in Schola Lateranensi sub oculis Pontificis clerus instituebatur. Labentibus saeculis, in Conciliis per diversas Europae regiones celebratis sancitum fuit ut clerus formaretur sub episcopali praesentia aut in episcopio.

A primordiis igitur Ecclesiae, sacerdotali vocationi congruum omnino reputatum est, ut clerici a laicis sejuncti instituerentur. Qui enim vocantur ad altiora officia, altiori quoque disciplina formari debent.

3. Talis autem distinctio, ubi fieri poterat, per priora duodecim saecula, in scholis tam episcopalibus quam monasticis,

[1] Luc. xxii. 26.

diligenter servata fuit. Quum vero scholae episcopales, fundatis per Europam universitatibus, magna ex parte extinctae fuissent, Ecclesia curam semper adhibuit, ut illa distinctio prorsus integra servaretur; ideoque in ipsis universitatibus domus et collegia destinata fuerunt in quibus studiosi clerici sejunctim ab aliis viverent, ut hac ratione, aliqua saltem ex parte, impedirentur mala quae ex mundana conversatione levitis timebantur.

Ingruentibus autem malis, quae in universitatibus ex alumnorum multitudine et nimia licentia clerici studiosi experti sunt, a diversis diversa remedia excogitata fuere.

4. Tandem Cardinalis noster Polus, Archiepiscopus Cantuariensis, constitutionem edidit pro reformatione Angliae,[1] in qua hodiernum Seminariorum systema exposuit; quod tribus post annis in Concilio Tridentino cum eximiis praeconiis admissum fuit. Vocabulum autem *Seminarium*, quo designantur hodie per totum orbem Catholicum scholae episcopales ad cleri instructionem instauratae, laudatus Cardinalis in citata constitutione pro Anglia omnium primus adhibuit.

In Tridentino decreto non solum praescriptum est ut erigantur Seminaria dioecesana, sed in eo etiam cautum est ut in iisdem Seminariis illi soli recipiantur quorum "indoles et voluntas spem afferat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros."[2]

5. Porro post Concilium Tridentinum, synodorum provincialium acta, necnon summorum Pontificum exempla et litterae encyclicae quovis saeculo datae, atque stipulationes concordatuum, quos Sancta Sedes recentioribus hisce temporibus cum diversis nationibus inivit, aperte declarant Seminarium dioecesanum juxta Ecclesiae mentem ab Episcopo unice dependere, et ad integritatem dioeceseos rite constitutae pertinere.

Quod si in variis locis juniores pueri, tam clerici quam laici, simul instruantur, idque propter tum temporum tum regionum adjuncta admissum fuerit, Ecclesia tamen urgere nunquam destitit ut ad Ordines Sacros aspirantes, qui jam provectiorem

[1] Decretum xi. Pro Reformatione Angliae.

[2] *Conc. Trid.* Sess. xxiii. De Reform. cap. 18.

attigerunt aetatem, et praesertim qui philosophicis et theologicis disciplinis operam navant, a consortio vitae communis laicorum sejungerentur.

Episcopi in Anglia hisce Ecclesiae votis et praescriptionibus perfecte consentientes, in tertio Concilio Provinciali Westmonasteriensi[1] praeclarum Decretum *De Seminariis Condendis* ediderunt.

6. Quapropter haec Quarta Synodus, exemplum Domini nostri prae oculis habens, necnon Ecclesiae praxim et temporum necessitates, haec decernit ac statuit:

1°. Episcopi in suis dioecesibus, aut per seipsos aut per examinatores ad hoc designatos, omnem adhibeant curam et prudentiam in candidatis ad sacerdotium seligendis. Porro Episcopi diligenter adlaborent, aliosque excitent, ut provisiones, bursae nuncupatae, ad ecclesiasticorum educationem fundentur et multiplicentur. Suas etiam partes adimpleant sacerdotes; ideoque, in sua quisque missione, bonae indolis pueros diligenter exquirant, eosque litteris imbutos doctrina et moribus ita instituant, quo magis idonei fiant qui ab examinatoribus dioecesanis approbati ad studia ecclesiastica admittantur. Concilium Tridentinum[2] "pauperum autem filios praecipue eligi vult, nec tamen ditiorum excludit, modo suo sumptu alantur, et studium prae se ferant Deo et Ecclesiae inserviendi." Paupertas, quam ipse Jesus sacravit, nemini impedimento esse debet, qui moribus et ingenio praestet.

2°. Episcopi, in sua quisque dioecesi, nihil intentatum relinquant, ut erigatur Seminarium dioecesanum, in quo clerici a laicorum consortio separati philosophicis et theologicis disciplinis imbuantur. Ubi autem aliquae dioeceses tanta paupertate laborant ut singulae singula Seminaria erigere non possint, a Tridentino provisum est ut plurium dioecesium Episcopi communi consilio commune Seminarium constituant.

7. Valde optandum est ut, quemadmodum Christus in medio Apostolorum conversabatur, ita et Seminarii rector, cum

[1] Decr. xiii.

[2] *Conc. Trid.* Sess. xxiii. De Reform. cap. 18.

illis quibus discipulorum institutio demandatur, inter seminaristas vitam communem ducat, eosque verbo et exemplo instruat, corrigat, et consoletur. Quam maxime conferet ad bonum spirituale alumnorum, si praefectus spiritualis in Seminario ab Episcopo constituatur.

Semper in memoria retineant superiores proprium et praecipuum Seminarii finem esse ut alumni discant soli Deo vivere in Christo. Itaque spiritus Jesu intime animam clerici penetret et vivificet, ut vere possit dicere id quod Paulus de se praedicabat: *Mihi vivere Christus est:*[1] et alibi, *Vivo, jam non ego; vivit vero in me Christus.*[2] Haec sit ejus spes, haec meditatio, hoc primarium exercitium, vitam vivere Christi interius, quae tamen exterius scientia, gravitate, animarum zelo et pietate manifestetur.

8. Saepius considerent quantopere sit periculosum simul et dedecorum, illum Christi gratiam aliis ministrare qui gratia Christi praeditus prae aliis non agnoscatur.

Erga Jesum, sacerdotum Dominum et Magistrum, in Sanctissimae Eucharistiae sacramento, in medio discipulorum suorum amantissime semper permanentem, tenerrimos et ardentissimos pietatis affectus excolant et foveant seminaristae. Meminerint in illo amoris mysterio repositum futurae eorum militiae viaticum, ipsius vitae spiritualis alimentum, in arduis fortitudinem, in angustiis solatium, in suprema mortis hora tutamen. Quare jam ab ipso principio omnia ad Jesum in Sacramento Altaris adorandum, tamquam animarum Pastorem, referant; et ab Eodem, tamquam totius sanctificationis fonte, omnia suppliciter petant. Et quoniam iis qui mundo sunt corde promisit Dominus Jesus visionem Dei, excolant omnes, qui in primo ad sacerdotium stadio constituti sunt, corporis et animae puritatem ab omni impudicitiae umbra immunem; et, ut ad eam munditiem citius et securius perveniant, omni filiali amore et tenerrima devotione Immaculatam Matrem nostram, Virginum Reginam, Dei Genitricem Mariam, perpetuo colant et imitentur. Devotionem

[1] Philipp. i. 21.
[2] Gal. ii. 20.

pariter erga Virginum custodem, Sanctum Joseph, castitatis praecipuum exemplar, jugiter nutriant.

9. Praeter alias virtutes sacerdoti proprias, haec Synodus nonnullas indigitandas censet, quae, utpote lethalibus hujus aevi malis specialia antidota et remedia, a superioribus Seminariorum majori studio inculcari debent.

Luxus igitur hujus saeculi, sumptus in victu et vestitu et suppellectili nimis profusi, mollis vita, moresque delicati, nimius otii ac quietis amor, quae omnia vires animumque semper minuunt, per virilem simplicitatem, per amorem crucis, et per sanctam in laboribus assiduitatem mortificentur et expellantur. Ad labores, non ad otium, servus Domini nostri in Evangelio vocatur. Discat igitur praecipue gaudere in aerumnis, in paupertate, in contemptu, in vita humili et evangelica. Nunquam obliviscatur Jesu praecepti: *Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus.*[1] *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.*[2]

10. Summopere juvenum interest, ut a teneris annis, ac in studiis laboribusque, et methodum et ordinem quam exactissime observent. In memoria semper retineant exemplum Ven. Bedae nostratis, qui, uti historia narrat, "nunquam torpebat otio, nunquam a studio cessabat, semper legit, semper scripsit, semper docuit, semper oravit, sciens quod amator scientiae salutaris vitia carnis facile superaret."[3]

Nisi otium tamquam pestem fugiant, seseque viriliter exerceant, persuasum sibi habeant se postea vineam Domini neglecturos esse, et inertia sua ac socordia animabus multis fore ruinae.

11. Seminarista a tenera aetate edoceatur quod cupiditas sit radix omnium malorum, profundioremque concipiat amorem paupertatis, quam tamquam dotem pro se suisque Apostolis elegit Dominus noster, qui, ut ait Apostolus, *propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.*[4]

[1] Matt. x. 38.
[2] Matt. xvi. 24.
[3] Brev. Rom.
[4] 2 Cor. viii. 9.

A primo igitur in Seminarium ingressu clericus paupertatem tamquam consilium evangelicum diligere ac revereri discat; et, quamquam ad paupertatem ex voto exercendam non sit vocatus, sibi tamen persuasum habeat pauperes spiritu omnes fieri debere, et in eo cum Christo Sanctisque similitudinem constare. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.*[1]

Eximium illud cleri saecularis exemplar, S. Carolus Borromaeus, divitias quas possidebat neque in seipsum insumebat, neque reponebat in sudario; sed, in arcta paupertate degens, pauperes et Ecclesiam opum suarum veros reputabat possessores. Sacerdotes vero suos alloquens, "Nostis," aiebat, "quanta sit paupertatis perfectio. Quantum illa animarum piscatoribus praebeat adjumenti. Quam eam in primis illis piscatoribus Apostolis districte requisierit Dominus, quos neque zonam, neque peram, neque sacculum habere permittebat."[2]

12. Tandem haec Synodus eos quibus clericorum educatio in Seminariis ecclesiasticis commissa est monendos esse censet, ut sedulo considerent perturbationes humanae societatis, et ubique gentium erumpentes seditiones, ex intemperata independentiae et effrenatae libertatis cupidine, atque ex spiritu criticismi seu censurandi libidine, tamquam ex venenata radice pullulare.

Pestifer iste spiritus nunc liberrime inter omnia hominum genera insinuatur et propagatur; praesertim per libros, libercelos, et ephemerides, in quibus sacra quaecumque aeque ac profana promiscue confusa carpuntur et vellicantur, et uniuscujusque privato judicio more haeretico examinanda et decidenda subjiciuntur: quo nihil spiritui ecclesiastico magis adversatur, nihilque magis contrarium est monitis Domini nostri, qui verbo et vita nos docuit mites et humiles corde esse, et exemplo etiam usque ad mortem obedientes.

Quamobrem necesse est, ut juvenum animis, dum in Seminariis versantur, insinuetur quam maxima reverentia atque obsequium erga officium et personam uniuscujusque qui auctori-

[1] Matt. v. 3.
[2] Hom. cxx. S. Car. Bor.

tatem gerit, et praesertim proprii Episcopi, qui est cleri pastor ac pater: de ipso non nisi filiali veneratione loquantur, ejusque praeceptis non solum, verum etiam votis et consiliis, obtemperent libenter et sine murmuratione. Discant mature venerationis ac dependentiae sensa, quae omnibus exhibenda sunt, tam superioribus Seminarii quam rectoribus missionum, necnon sacerdotibus senioribus, quibus mox cooperatores mittendi erunt. Itaque omnino evitetur spiritus secreto censurandi, necnon offensi animi susurrus, utpote paci et sanctitati summe contrarii. Quicumque vero talia audierit, verbo suo aut saltem exemplo eadem reprimat.

13. Quum instructio in praesentiarum latius quam antea nunc diffundatur, congruum erit ut sacerdotum educatio longius producatur, et majori diligentia excolatur. Optandum igitur foret ut cursus theologicus quatuor annos ad minus comprehenderet. Disciplinis theologicis summa cum diligentia incumbendum est, in omnibus praecipue quae dogmata, mores, curam pastoralem, vitamque spiritualem et interiorem, et Sacram Liturgiam respiciunt. Tradantur insuper alumnis juris communis et canonici principia, decreta et instructiones Conciliorum Provincialium Westmonasteriensium, necnon hermeneutica sacra, et historia ecclesiastica. Praeterea, quia clerici educantur ut animabus sint duces et magistri, speciali diligentia a professoribus tractari debent falsae hodiernae opiniones, praesertim philosophicae, quae in scriptis omnigenis propagantur, et in communi hominum commercio quotidie ventilantur.

In seminaristis instituendis non alia admittantur auctorum compendia et volumina, nisi quaé antea fuerint ab Ordinario approbata.[1] E numero alumnorum qui ingenio et studio praestant, nonnulli pro arbitrio Episcopi seligi possunt, qui, curriculo praescripto feliciter emenso, Romae vel alibi cursum theologiae ampliorem perficiant.

14. Quum verbi Dei praedicatio sit unum ex praecipuis sacerdotis muneribus, indeque magna ex parte salus animarum et sanctificatio dependeant, necesse est ut juvenes sanctum prae-

[1] *Conc. Prov. Ultraj.* pag. 313.

dicationis exercitium jam in Seminario edoceantur. Attente legant S. Augustini libros *de Catechizandis Rudibus*, et *de Doctrina Christiana*, et instructiones S. Caroli, ut animus ipsis addatur ad acquirendum majorem pietatem necnon spiritum orationis et doctrinae profectum, considerantes qualis Evangelii praeco esse debeat, ut felicem sui laboris exitum sperare possit. Evangelii praeco semper memor sit praeceptorum S. Caroli: "Elocutionis genus exquisitum ne affectet, fucum omnem fugiat . . . . . inflata oratione ne utatur, sed gravi. . . . . Consideret se piscatorem hominum esse: ideo nervos omnes intendere debet, atque ideo expiscari, ut sagenam evangelicam impleat, nempe animas pereuntium Christo Domino lucrifaciat."

Ut studiosi in praedicationis exercitio instituantur ac proficiant, Pius Papa IX., in Apostolicis Litteris *Cum Romani Pontificis*, pro Seminario Pio sequentia ordinavit: "Pro Divini verbi praeconio exercendo statuimus, ut plures eligantur juvenes idonei theologiae discipuli, qui inter Missarum solemnia ex suggestu explanent sacra evangelia." Eligatur idoneus ecclesiasticus vir "qui proprii Seminarii alumnos opportunis praeceptis et exemplis ad hujusmodi exercitium sacrasque conciones privatim erudiat et instruat."

Quo certius acquirant facultatem aliorum intelligentias explorandi, et fidei mysteria ad captum plurimorum clarius proponendi, quae praecipue praedicatoris sunt partes, sedulo in catechizandis rudibus exerceantur seminaristae. Catechismum, si fieri potest, in scholis a Seminario haud longe dissitis tradant, impletoque munere ad Seminarium quamprimum redeant.

15. Sacerdotis est conscientias dirigere, animasque ad perfectionem manuducere: quapropter Synodus desiderat ut in Seminariis aliquod temporis spatium impendatur studio theologiae asceticae, convenientesque de hac scientia instructiones dentur, ut pii fideles pro directione spirituali cum fiducia ad animarum pastores accedant.

16. Quum suo tempore in rebus missionum et scholarum administrandis operam daturi sint alumni, methodum registrales libros conscribendi, redditus et expensas juxta praescripta Concil.

Provinc. Westmon. computandi, in Seminario mature addiscant. Item sese studiose exerceant ut epistolas officiales, de rebus sive ecclesiasticis sive civilibus, urbane et cum debita reverentia erga personas in auctoritate constitutas conficere possint.

17. Quod vero attinet ad externam et interiorem Seminarii dioecesani disciplinam, duo sunt notanda. Alterum est, ut disciplina sit sufficienter gravis: non solum ut ordo, sine quo vita communis existere nequit, servetur; sed etiam ut penitus explorentur candidatorum docilitas, obedientia, abnegatio sui, pietas, et ad vitam ecclesiasticam dispositio, nullusque ad sacros ordines promoveatur qui his in rebus veri profectus indicia non dederit. Alterum, quum ii qui in vinea Domini laborant juxta Apostolum omnia omnibus fieri debeant, caute invigilandum erit, ut seminaristae edoceantur ita in hoc saeculo conversari, ut sacerdotalem modestiam et simplicitatem cum morum urbanitate semper conjungant: *nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum.*[1] Semper in mente omnium versetur Tridentini Concilii praeceptum: "Sic decet omnino clericos, in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum prae se ferant; levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem."[2]

18. Insuper prae oculis semper habendum regulam externam profectui in virtutibus parum prodesse, nisi libenter et hilari animo a discipulis accipiatur et observetur, ut non sint servientes oculis, sed placentes Deo ex corde puro. Praeclarum est praeceptum a S. Carolo in institutione Seminarii expositum, videlicet: "cum praesertim acquisitio virtutum in uniuscujusque assiduitate et industria, potiusquam in rectorum aut praeceptorum diligentia, sit posita, ita ut, nisi quis laborem adhibeat, non multum aut nihil illi aliorum vigilantia sit profutura."[3]

Nullus autem seminaristarum falso sibi persuadeat, vitae regulam non esse necessariam, cum e contra sacerdos saecularis,

[1] 2 Cor. vi. 3.
[2] Sess. xxii. De Reform. cap. 1.
[3] Pars. 3, cap. i.

dictus quia in saeculo laborat, regula vitae prae aliis indigeat: experientia vero in Seminario sese coercendi et ad normam regulae vivendi edoctus, facile intelliget quam utile sit ut, etiam dum in missionibus versatur, in continua sui custodia vivat, vitamque suam juxta regulam muneribus et officiis suis adaptatam componat. "Qui regulae vivit, Deo vivit."[1]

19. Tandem quum seminaristae vocati sint ut, relictis commodis et solatiis vitae saecularis, totos Deo et animarum saluti sese devoveant, mundi consortium fugient, et ne tempore quidem vacationum sine Episcopi licentia parentes visitabunt.

20. Praemittantur in Seminario ordinandorum proclamationes.

21. Postremo, cum Episcopus, juxta doctrinam Benedicti XIV., teneatur cognoscere suos ad sacerdotium candidatos, ipsiusque conscientia quoad eorum ordinationem onerata sit, ideo ipsius erit eos frequenter sicut Pastor et Pater visitare, ut cognoscat suos, et ut a suis probe cognoscatur: et insuper curabit exigetque ut de indole, moribus, ac progressu tam in scientia quam in virtute, et de perseverantia in vocatione singulorum seminaristarum, a rectore quovis singulis saltem annis distinctam relationem accipiat.

Benedictus XIV. omnes Ecclesiae Catholicae Episcopos de regimine Seminariorum sequentibus verbis peramanter monuit: "Eadem vero Collegia singulari vestra solicitudine foveantur necesse est: videlicet, ea saepe invisendo; singulorum adolescentium vitam, indolem, et in studiis profectum explorando; magistros idoneos, virosque ecclesiastico spiritu praeditos, ad eorum culturam destinando; litterarias ipsorum exercitationes sive ecclesiasticas functiones quandoque praesentia vestra decorando; aliqua demum beneficia iis qui virtutum suarum specimen clarius praestiterint, majoremque laudem retulerint, conferendo. Hujusmodi enim irrigationem arbusculis hisce, dum adolescunt, ministrasse non vos poeniteat; sed vestra opera laetissimum deinde vobis referet fructum in uberi bonorum operariorum copia. Consueverunt quippe Episcopi saepius dolere

[1] S. Greg. Mag.

messem quidem esse multam, operarios autem paucos; at fortasse eis quoque dolendum esset, non eam quam debuissent industriam ipsos adhibuisse ut operarii ad messem pares aptique formarentur: boni namque et strenui operarii non nascuntur, sed fiunt; ut autem fiant, ad Episcoporum solertiam industriamque maxime pertinet."[1]

DECRETUM X.

De Obligationibus eorum quibus demandatur Animarum Cura.

1. Sacrosanctum et Oecumenicum Vaticanum Concilium, de Romani Pontificis primatu definiens, hisce verbis de Episcoporum etiam pastorali munere luminose edocet nos: "Uni Petro contulit Jesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris jurisdictionem in totum suum ovile, dicens, *Pasce agnos meos, pasce oves meas*."[2] "Episcopi," prosequitur S. Synodus, "qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores, assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt,"[3] pro ovibus sibi commissis divino Pastori rationem districtam reddituri.

2. Omnes igitur ecclesiarum seu missionum rectores, et omnes qui iis in auxilium adhibiti sunt, peramanter in Domino monemus, ut probe agnoscant et sedulo meditentur se multiplici et conscientiae et cordis ligamine ad animarum saluti invigilandum esse obstrictos. Et cum jam decretum sit, I. *Conc. Westmon.* Decreto xiii. 6, "si duo vel plures sint sacerdotes in eadem missione, unum tanquam primum designandum, qui gerat curam animarum et administrationem ecclesiae seu congregationis," nunc insuper, quo melius ordo servetur, decernimus caeteros omnes curam quam habent animarum non nisi cum dependentia a primo illo exercere.

[1] *Litt. Encycl.* 3 Decemb., A.D. 1740.
[2] *Conc. Vat.*, Constit. Dogmat. Prima, de Ecclesia Christi, cap. 1.
[3] Ibid. cap. 3.

3. Peraequum omnino est ut qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivant; et sane missionarius sacerdos non alia de causa oblationes fidelium percipit quam quia missionarius est; ideoque tenentur ii qui de Evangelio vivunt opportune et importune fidelium animis Evangelium insinuare et inculcare. Si in munere tanti momenti adimplendo socordes fuerint, ex ore Judicis audient ea quae per Prophetam pastoribus populi sui olim comminebatur: "Vae pastoribus Israel qui pascebant semetipsos. Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis; gregem autem meum non pascebatis."[1]

4. Insuper, si unicuique mandavit Deus de proximo suo, ac consequenter omnes Christi fideles ex charitate tenentur proximorum salutem curare, quanto magis tenetur sacerdos, qui vi ordinationis suae legatione Christi fungitur, mysteria Dei dispensat, Sacramenta aeternae salutis administrat, et in Jesu Christi mysticum corpus jurisdictionem habet. Meminerint ergo rationem a se reddendam pastori suo in terris, et strictissimam Summo Pastori ad formidandum ejus judicii tribunal, si negligentia sua vel una ovis perierit. Vae servo inutili, qui talentum sibi a Christo commissum fodiens in terram abscondit. Dominum humillime adprecamur ut missionarii nostri, ad exemplum S. Pauli, parati sint pro salute animarum seipsos impendere ipsique superimpendi.[2]

5. Obedientia pariter obligantur sacerdotes missionarii ad indefesse laborandum pro salute animarum quae eorum curae subjiciuntur. Ad mentem revocent solemnem illam horam qua ineffabili sacerdotali dignitate insigniti, ante Episcopum genuflexi, obedientiam et reverentiam Ordinario suo promiserunt. Cum ergo ab Episcopo, cujus praeceptis sese libenti animo subjecerunt, electi ac missi sunt, ut suum munus pastorale erga oves sibi concreditas adimpleant, profecto constat eos obedientiae praecepto graviter obligari ad tantum officium rite perficiendum.

6. Insuper Apostolicae Sedis benignitate tribus fere abhinc saeculis dispositum est ut in Anglia missionarii sacerdotes, omni

[1] Ezech. xxxiv. 2, 3.
[2] 2 Cor. xii. 15.

prorsus sustentatione sacrilega manu privati, titulo *missionis* ad ordines sacros elevari possent, adjecto stabilitatis juramento vere apostolico, in bonum Universalis Ecclesiae, (quod Alexander VII. in brevi *Cum circa juramenti vinculum*, diei 20 Julii 1660, opportunis declarationibus explicavit,) ut ad oves Anglorum gentis perditas exquirendas et salvandas in quantum in eis est sese in perpetuum obstringerent. Ex arctissimo illo vinculo, crudelissima persecutione per tot annos saeviente, orta et roborata est mira illa usque ad martyrium constantia et patientia, quae cleri nostri corona est et gloria. Quamobrem Sancta Sedes, quae Angliae Episcopis facultatem impertiri adhuc solet ordinandi suos subditos memorato titulo, nostros hortatur missionarios, concessa etiam Indulgentia Plenaria, ut singulis annis praestitum juramentum anniversario die renovare meminerint: "serio meditantes Divinam erga se bonitatem quae eos constituit Verbi ministros ad annuntianda mirabilia virtutis ac potentiae suae; quam immarcescibilis gloriae corona eis in coelis parata sit, si officium suum sancte impleverint; quamque e contra districtum maneat judicium si negligentia vel socordia sua, quod absit, quemquam perire contigerit."[1]

7. Denique ex hisce omnibus simul sumptis, ex aequitate scilicet, ex charitate sacerdotali, ex obedientiae protestatione, ex juramenti sanctitate, exoritur illa reciproca obligatio inter sacerdotem propriumque Episcopum, qua ad eorum respectiva munera fideliter adimplenda, communi labore et mutua cooperatione confoederati, feliciter inter se adstringuntur.

8. Sciant ergo omnes quibus cura animarum demandata est, ad omnes animas tum Catholicorum tum acatholicorum in toto districtu cui sunt addicti se esse missos. Omnibus enim debitores sumus, neque novimus cui per nos salutarem suam gratiam Dominus voluerit revelare. "Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor."[2] Ideoque

[1] Instruct. *S. Cong. de Prop. Fide*, de Titulo Ordinationis, n. xv. Die 27 Aprilis, 1871.

[2] Joan. x. 16.

non satis est verbum vitae, et ad pietatem incitamenta, eis tantum qui ad nos ultro accedant offerre; sed oves praesertim perditas, et eos qui a pietate deficientes in vitiorum barathrum lapsi et demersi sunt, nec vocem pastoris audire volunt, exquirere et in quantum possumus ad Deum reducere tenemur. Accedit alia ad nostrates apostolica missio. Plures enim inveniuntur in Anglia, qui Catholicis genitoribus orti, fide saltem et nomine Catholici, sed in acatholicorum orphanotrophiis vel in scholis sub lege publica constitutis instructi, educatione Catholica omnino privati, omnem Dei cultum penitus reliquerunt. Istae revera sunt oves de quibus Salvator loquitur cum dicit, "Venit Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat."[1] Denique ante missionariorum oculos undique protenditur Anglia nostra, sacra olim, Deo dilecta, sanctorum ferax sicut Paradisus Domini; hodie quidem misere mutata, adhuc tamen pulchra, et propter Sanctorum memorias cara nimis. Ergo messis quidem multa; albescunt segetes: immittamus falcem; manipulos colligamus indefessa patientia, spe firma, inexplebili charitate.

9. Singulis quadrienniis, juxta constitutionem Sixti V., *Romanus Pontifex*, § 4, Angliae Episcopi limina Apostolorum visitare tenentur, et relationem quam maxime adcuratam gregis sibi commissi summo Pontifici exhibere. Quod ut recte fiat, necesse omnino est ut rectores ecclesiarum et missionarii suas etiam partes conferant, et statum animarum sibi commissarum accurate praescriptum Episcopo exhibeant. Conficiatur ergo, in quantum fieri potest, a singulis ecclesiarium rectoribus, adjuvantibus missionariis qui eis adjuncti sunt, populi census accuratus, in quo inscribantur numerus et familiarum et singulorum eorumdem membrorum, tum parvulorum, tum adultorum, nomina, additis etiam omnibus adjunctis quae ad fidem, ad mores, ad pietatem, et praesertim ad parvulorum educationem spectant. Et quoniam labentibus, non annis tantum, sed aliquando mensibus, in populi nostri conditionem permutationes plurimae solent incidere, hujusmodi census et animarum status diligenter inspiciatur et corrigatur.

[1] Luc. xix. 10.

10. In unaquaque missione conficiatur archivium, seu capsa, vel locus sufficienter capax et munitus, in quo asservari possunt omnes libri, aliaque documenta ad missionem pertinentia. Ad tramites I. Conc. Westm., quam adcuratissime conscribantur et conserventur libri baptizatorum, distinctione facta baptismorum sub conditione collatorum, confirmatorum pariter et defunctorum, et eorum qui matrimonium contraxerunt, addito etiam, si fieri potest, libro sepultorum. Archivistae munus ex officio tenet rector ecclesiae, licet exercitium muneris aliis committere possit, ipse tamen pro conscriptione librorum et pro custodia omnium in archivio repositorum rationem redditurus. In archivio diligenter reponantur et asserventur omnia Synodorum et Provincialium et Dioecesanarum Decreta, litterarum etiam Episcopi pastoralium series, omniumque ejusmodi instructionum formulae ab Ordinario promulgatae.

11. Meminerint ecclesiarum cleri saecularis rectores soli Episcopo competere jus onera Missarum, sive sint temporalia sive perpetua, ecclesiis imponendi; et onera jam imposita nec mutari nec minui posse inconsulta Sancta Sede.[1]

12. In Primo Concilio Westmon. jam cautum est ne rerum saecularium administrationem suscipiant sacerdotes. Experientia vero edocti sapientissimam prohibitionem arbitramur renovandam. Insuper omnibus praecipimus ut pecuniarum custodiam accipere constanter recusent; neque aliorum et praesertim pauperum nummos penes se retineant, vel etiam deponi permittant: ne vel peccatorum funibus circumplexi, vel propria ipsorum incuria et negligentia decepti, deposita sic perire sinant, ut sint trahendi ante tribunalia judicum saecularium; vel, quod pejus esset, aut laesae fidei, aut avaritiae, aut etiam injustitiae suspicione, nomen sacerdotale maculent.

DECRETUM XI.

De Ordine servando in Domibus Sacerdotum.

1. Presbyteria sint ubique vera pacis et charitatis, sobrietatis et modestiae domicilia; in omnibus fideli populo insigne

[1] De obligationibus Missarum, vide APPEND. VII. p. 303.

exemplar, "ut is qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis."[1] "Simplex" ibi "splendeat munditles; neque in supellectili, neve in ornatu, aliquid luxui vel mundanis affectibus inserviens deprehendatur. Imagines ludicras et insulsas, aliasve sacerdoti non convenientes, prae oculis ne habeant: sed sit in unoquoque cubiculo imago Domini crucifixi, vel Sanctissimae Dei Genitricis Sanctorumve effigies, vel tabulae vitam Salvatoris vel sacram historiam illustrantes."[2]

2. Regularitas in omnibus fideliter observetur. Ad horam fixam Missam celebret sacerdos; et, quamvis ad audiendas confessiones semper paratus esse debet, praesertim diebus et horis ordine statutis in tribunali vel saltem in ecclesia promptus inveniatur, ne ex defectu ordinis et methodi proveniant et scandalum et animarum detrimenta. Custodite ordinem et ordo vos custodiet.

3. Foeminae in domo sacerdotis ne resideant sine consensu Ordinarii. Magistrae etiam scholarum earumque discipulae coadjutrices, quippe quae et intelligentia et indole excultiores sint, ideoque calumniatorum linguis magis obnoxiae, omnino prohibeantur ne in presbyterio una cum clero usquam resideant, nisi ob aliquam rationem Episcopo cognitam et ab eo in scriptis approbatam. "Famulae autem quae presbyteris serviunt sint provectioris aetatis, modestia, prudentia vitaeque illibatae experimento probatae, ut canonum sanctiones serventur."[3] Ideoque summopere caveant sacerdotes a quibusdam foeminis, quae dominando, pauperes Christi despiciendo, discordias susurribus seminando, vere fiunt missionis pestes. Insuper clero prohibemus ne scholarum magistras, vel earum discipulas coadjutrices, vel foeminas domui inservientes secum ad mensam considere sinant.

4. "Nullus sacerdos in domo conducta aut privata resideat absque praevio Episcopi consensu."[4]

[1] Tit. ii. 8.
[2] 1 *Conc. Westmon.* Decr. xxiv. 3.
[3] 1 *Conc. West.* Decr. xxiv. 4.
[4] *Synod. Thurles.*, de Vita et Honestate Clericorum, n. 16, p. 33.

5. "Qui praeest ecclesiae, sive simplex sit missionarius, sive titulo rectoris missionarii condecoretur, Dei villicus est habendus, cui concredita est pars Dominicae vineae excolenda. Sit ergo utilis et fidelis, in omnibus laborans, memor eamdem esse rectori navis et navigio deferendis salutis vel periculi rationem."[1] Ubi vero duo vel plures sunt in missione sacerdotes, unus tantum independenter ab omnibus, Ordinario excepto, munus sibi mandatum exerceat, caeteri omnes dependenter ab ipso. Coadjutores ab Episcopo quidem facultates accipiunt; sed, ad servandum ordinem, eis praecipimus ut hisce facultatibus nonnisi sub moderamine rectoris ecclesiae utantur: proindeque habeantur in formula facultatum haec aut similia verba, "cum dependentia a rectore ecclesiae cui addictus fueris."

6. Rectori enim concreduntur ecclesiae et populus, scholae et presbyterium, bona universa missionis, ipse denique clerus ei inserviens; et proinde ab eo solo et exclusive ratio de his omnibus Episcopo reddenda est. Porro lege vel consuetudine, omnes rectores et coadjutores idem inhabitare solent presbyterium; presbyterium autem domus est rectoris, dum rectoris munere fungatur et facultatibus dioeceseos gaudeat, cui soli competit jus illam administrandi et regendi; nec jus solum, sed et obligatio: "si quis autem domui suae praeesse nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit?"[2] Sciat tamen cujus spiritus ipse sit, et quemadmodum invicem inter sacerdotes constanter eminere debeant mutua charitas ac cordis reverentia: ipse ergo sit senior inter coadjutores, non sicut dominans in cleris, sed ut eorum pater seu potius frater primogenitus. Hi enim informari debent et erudiri ut veri ministri Boni Pastoris, qui digni sint et ipsi suo tempore et capaces missiones regendi. Porro, ex eo quod cura animarum principaliter demandata sit rectoribus missionum, nolint existimare coadjutores se a tanto onere esse immunes: ipsorum enim est cum dependentia a rectore eum adjuvare, praedicando scilicet, confessiones audiendo,

[1] 1 *Conc. West.* Decr. xxv.
[2] 1 Tim. iii. 5.

pueros catechismum docendo, infirmos visitando atque eis sacramenta administrando, aliaque missionarii munera adimplendo.

7. Mensa communis in presbyteriis tessera est et pignus fraternae charitatis, quam imminuit absentia; immo, si saepius occurrat, penitus dissolvit. Raro igitur divagentur ad alienas mensas, multo minus frequentent: "habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti" simus.[1]

8. Utinam domi regulariter potius quam foris fieret inter sacerdotes communis recreatio. "Quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum."[2] Communi enim interesse recreationi charitatem firmat et roborat, et praebet indies occasiones eam et verbis et actibus exercendi.

9. "Abstineant sacerdotes a spectaculis viro ecclesiastico indignis, a venatione clamorosa quae equo et canibus fit, a publicis choreis, ab illicitis ludis, et a comessationibus quae usque ad intempestam noctem protrahuntur."[3] "Prohibemus," insuper "districte ne ecclesiastici sacris ordinibus initiati scenicis spectaculis in publicis theatris," vel in locis theatri publici usui ad tempus inservientibus, "intersint, imponentes transgressoribus poenam suspensionis ipso facto incurrendam, hactenus ubique in Anglia vigentem, cum reservatione respectivo Ordinario."[4]

10. Prae oculis habentes illud Apostoli aureum sacerdotalis vitae axioma, "omnia mihi licent, sed non omnia expediunt,"[5] et illud, "omnia mihi licent, sed non omnia aedificant,"[6] in bonum proximorum, et ad majores gratias adquirendas, sacerdotes omnia intendant. Ne facile nimis aut frequenter ad loca publici concursus et recreationis, licet honesta sint, se conferant, ne tempus inutiliter terentes in suspicionem animi minus sacerdotalis cadant. Ad presbyterium, seclusis necessitatis vel charitatis officiis, sub nocte maturius redeant. Ab illicitis enim abstinere parum est, nisi, meliora aemulantes, licitis etiam parce et ad aedificationem uti sciamus. Dilectissimum ergo clerum per-

[1] 1 Tim. vi. 8.
[2] Psalm. cxxxii. 1.
[3] 1 *Conc. West.* Decr. xxiv. 1.
[4] 1 *Conc. West.* Decr. xxiv. 2.
[5] 1 Cor. vi. 12.
[6] 1 Cor. x. 23.

amanter in Domino hortamur ut, praedictas inhibitiones non tantum secundum litteram, sed etiam secundum spiritum pie interpretantes, easdem sancte observent.

11. Spiritus durus et morosus sacerdotem in medio populi laborantem dedecet; modesta hilaritas, modo sit tempestiva, non improbanda, sed laudanda est. Illos proinde laudamus missionarios qui sanctorum exempla secuti juventutem suae curae commissam per honestas recreationes a lubricis spectaculis retrahere nituntur. Qua in re curent semper animos recreare, non relaxare; nec, dum aliis placere student, sibi noceant. Quod imprimis observandum est ubi de mulierum sodalitatibus agitur, quarum recreationibus per alias, in quantum fieri potest, quam per se sacerdos praesit, ne obtrectantium linguis ansam praebeat. Comprimant vero sacerdotes abusum nonnullis in locis invalescentem adhibendi choreas ad pecunias pro scholis aut aliis piis operibus colligendas.

Quod ad publicas recreationes, *excursiones* dictas, spectat, perplurima mala inde promanantia dolentes audivimus; quapropter eas potius comprimendas quam promovendas censemus: attamen, ne de rebus in se licitis durius agere videamur, animarum pastores hortamur ut ab excursionibus promovendis abstineant, absque licentia a Vicario Generali concessa.

12. "Ecclesiasticorum virorum vestes tales esse debent, quae a laicis eos omnino discernant, et tamen cum ministris heterodoxis non confundant. Sint ergo nigri vel subnigri coloris; neque sub itineris praetextu ad ignominiam saecularis habitus, a quo erepti fuerunt, clerici revertantur. Formam illam commendamus, quae paucis abhinc annis a clero saeculari adhiberi coepit. Domi vero habitum talarem, vel, si magis placet, eum qui *zimarra* appellatur, cum bireto, induere eos maxime decet.

"Sed cum peculiare insigne cleri Catholici per totum fere orbem sit collare, quod Romanum vulgo dicitur, cumque jam inter nos etiam a protestantibus pro tali dignoscatur, quin contumeliam aut injuriam provocet, volumus ut ab omnibus sacerdotibus sacrum ministerium exercentibus feratur; nisi forsan ad tempus arbitrio Episcoporum, attento rerum statu,

aliter statuatur. Et pro augendo cultus divini decore, necnon pro majori in sacris officiis uniformitate, praecipimus ut sacerdotes saeculares, et regulares qui proprium ordinis habitum non gerunt, quotiescumque publice Missam celebrant, verbum Dei praedicant, vel aliter, vestibus sacris induti, officia in ecclesia peragunt, vel iis assistunt, eodem collari induti conspiciantur, ita ut camisia circa collum nullatenus appareat." [1]

13. Hisce Decretis haec Quarta Synodus quaedam addenda expedire in Domino judicat. Praecipimus ergo ut quilibet sacerdos collare Romanum non solum quum ministerium sacrum exercet, sed semper ferat, ut tamquam sacerdos ab omnibus dignoscatur. Decernimus insuper omnino servandum esse a viris ecclesiasticis morem Romae usitatum, non nutriendi capillos nec in genis nec in mento.[2]

14. Et si quis sacerdos vestimenta clericalia ita immutata habeat, nisi in casu rarissimo ab Ordinario probando, ut non amplius ceu clero hujus provinciae adscriptus ab omnibus agnosci possit, et ut vel in suspicionem fidelibus cadat vel eis notorie scandalum praebeat, neque ad Missam celebrandam neque in sanctuario ad divinis officiis assistendum admittatur.

15. A patribus nostris in Concilio Londinensi, anno 1248, congregatis, clericalem habitum deserere judicatum est gravem et perversum nimis esse abusum, in quo Deus irrideri dicitur, obscuratur decus Ecclesiae, clericalis ordinis celsitudo deprimitur, Christus a suis militibus ferentibus insignia aliena deseritur, decus honestatis Ecclesiae maculatur; dum clericum a laico respiciens oculis non discernit, fitque omnibus vere fidelibus in scandalum et in despectum.[3]

16. Episcopus Chalcedonensis, secundus post eversam in hisce regnis Hierarchiam Angliae et Scotiae Ordinarius, antecessores nostros, martyrum socios, ipsosque pro fide vere confessores, ita hortatus est:

[1] 1 *Conc. West.* Decr. xxiv. 5 *et* 6.
[2] Vide Append. IX. p. 306.
[3] Labbe, *Concil.* tom. xiv. p. 408.

"In victu contenti sint missionarii eis quae apponuntur: nec speciale quid postulent, nisi valetudo id exigat.

"In vestitu nihil gerant quod vel vanitatem vel sumptum nimium sapiat: et abstineant a cachinnis, et omni gestu corporis, qui dissolutionem redolent, certissime scientes, quod (ut ait Ecclesiasticus) amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiat de eo.

"Fugiant otium, veluti certissimam radicem malarum tentationum: ac propterea ad minimum habeant apud se Scripturam Sacram quam perpetuo meditentur.

"Ne altercentur cum quibusvis sacerdotibus, praesertim antiquioribus se: quibus omnem reverentiam ac honorem debitum exhibeant, ut suo exemplo doceant laicos quomodo se gerere debeant erga sacerdotes.

"Caveant a consuetudine objiciendi, seu opponendi se dictis aliorum, qua in scholis exercitii gratia usi sunt: quia in familiari convictu inter homines valde odiosa est.

"De consacerdotibus ac fratribus suis, nec facile aliquid inhonestum credant: nec omnino palam referant; vel palam referentibus aurem praebeant."[1]

DECRETUM XII.

De Vita Sacerdotali.

1. "Qui sancti non sunt, sancta tractare non debent"[2] Omnes Christi fideles, teste Apostolo, vocati sunt sancti;[3] sacerdotes vero ad sanctitatis perfectionem debent ascendere. "Qui enim loci sui necessitate summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare."[4] Formidanda omnino est admonitio: "Non debet temere ducem se aliis divini luminis praestare, is qui non omni statu suo et habitu

[1] *Monita quaedam utilia pro Sacerdotibus, Seminaristis, Missionariis Angliae.* Auctore Richardo Smithaeo, Epo. Chalcedonensi, Angliae et Scotiae Ordinario. Londini, 1695.

[3] 1 Cor. i. 2. [2] *Conc. Carthag.*

[4] S. Gregor. *Cura Pastorum*, p. 2, c. 3.

simillimus Deo evaserit."[1] "Illi autem qui divinis ministeriis applicantur, adipiscuntur regiam dignitatem et perfecti in virtute esse debent."[2] Ita etiam ab Ecclesia Catholica in solemni ritu et in ipso sacerdotii conferendi actu edocemur. Sicut enim Moysi praecepit Deus "ut septuaginta viros de universo Israel in adjutorium suum eligeret, quibus Spiritus Sancti dona divideret," ita Dominus Jesus secundi ordinis elegit presbyteros in adjutorium Apostolorum, Episcoporum videlicet Catholicorum, ut Ecclesiam suam "verbo simul et facto doceret ministros Ecclesiae suae fide et opere debere esse perfectos, seu geminae dilectionis, Dei scilicet et proximi, virtute fundatos."[3] Electi enim sunt a Deo, ut coelesti sapientia, probis moribus, et diuturna justitiae observantia commendati, "per Spiritum septiformem decalogum legis custodientes, probi et maturi in scientia" sint "et in opere," et ut in moribus "castae et sanctae vitae integritatem" servent, et eluceat in eis totius forma justitiae.[4]

2. Meminerint ergo sacerdotes in eis sanctitatem praesupponi. "Enimvero quod ad sacros ordines suscipiendos minime sufficiat simplex gratia sanctificans, sed ultra requiratur interior perfectio, constat ex consensu communi SS. Patrum et Doctorum, qui uno ore illam efflagitant."[5] Nullus autem omnino sanctitatis gradus sacerdotali perfectioni congruus ab Ecclesia Dei, et a Deo sacerdotii Auctore judicabitur, nisi qui quamdam Summi Sacerdotis Domini nostri Jesu Christi prae se ferat similitudinem. Vitae enim Jesu inter solitudines paupertatisque angustias laborantis, et hominum contradictiones patientis, viva imago in conspectu mundi constituitur sacerdos.

3. Quamobrem sacerdotii dignitas ex duplici praesertim ratione desumenda est. Sacerdotes enim sunt dilecti Jesu socii, Ipsiusque missionis a Patre datae partem accipientes.

[1] *De Eccl. Hierarch.* c. 5.
[2] S. Thom. lib. iv. Sent. *Suppl. ad P. B. Quaest.* xi. §. 1.
[3] *Pont. Rom.* De Ord. Presbyt. [4] *Idem.*
[5] S. Alphon. lib. vi. n. 87.

"Sicut misit me Pater, et ego mitto vos."[1] Sacerdotii etiam Christi consortes sunt, necnon duplicis in Corpus ejus naturale et mysticum jurisdictionis participes. Per sacrum enim ordinem deputantur "ad dignissima ministeria quibus Ipsi Christo servitur in Sacramento Altaris: ad quod requiritur major sanctitas interior quam requirat etiam religionis status."[2] Porro amici sunt quos familiari amore affatus est: "Jam non dicam vos servos, sed amicos meos; quia omnia cognovistis quae operatus sum in medio vestri."[3] Et quoniam in dispensatione gratiae Redemptoris ita dispositum est, ut famuli Dei Spiritus Sancti auxilia juxta dignitatis celsitudinem, vel arduam muneris excellentiam, sortiantur, nemini certe abundantiores gratiae donantur quam amicis et consortibus sacerdotii et missionis Jesu Salvatoris.

4. Quanta debet igitur in nobis accendi Dei et animarum charitas, quanto igne inflammari corda nostra! "Flamma Pastoris lux gregis." In sacerdote enim vivere et regnare debet sacrosanctum Cor Jesu, amoris et fervoris principium et fons. Zeli ardoribus erga animas accensi, mandatum Dei latum nimis in omnimoda plenitudine et sanctitate populis sibi commissis genuina expositione tradere conabuntur missionarii nostri. Caveant ne, tenebras pro luce ponentes, satis esse ducant si a culpis lethalibus Christi fideles cohibeantur.

5. Quoniam Spiritus Sancti divisiones multiplices sunt et inscrutabiles, et ad varios perfectionis gradus, alii prae aliis, vocantur fideles, non satis est sacerdotem inter "lepram et lepram" scite distinguere posse, quin etiam discernere sciat inter spiritum et spiritum, ne pro Spiritu Dei spiritui humano vel etiam diabolico aurem praebens, in errorem ductus, alios secum in errorem ducat. Ad summam etenim sanctitatis perfectionem aliquando vocantur, non tantum excultioris intelligentiae fideles, sed rudes etiam et simplices ex populo. Debet

[1] S. Joan. xx. 21.
[2] S. Thom. *Summa Theol.* 2da 2dae, q. 148, ad. 8.
[3] *Pont. Rom.*

ergo animarum moderator ascensiones cordis ad Deum, necnon orationis profectus, scientia saltem, etiam si non propria experientia, ita agnoscere et callere, ut incipientes in via purgativa corroborare valeat, proficientes in via illuminativa dirigere, perfectiores in via unitiva ad altiora manuducere. In omni etenim grege sunt qui, ad vitam consiliorum a Deo vocati, a labiis sacerdotis vitae spiritualis scientiam exquirant. Satagamus igitur ne, in vita Dei abscondita, pastoribus praeire inveniantur oves.

Mirum sane Apostoli effatum: "Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare."[1] Ideo in Tridentino habemus, praecipuum Episcoporum munus verbum Dei hominibus annunciare:[2] et quod in Episcopis praecipuum, in omnibus certe maximi momenti habendum. At sicuti simplex et virilis Evangelii annunciatio salus est audientium, ita vana et inflata declamatio fidelibus est scandalo, praedicatori autem est exitio. Regni coelestis mysteria non tamquam rhetorica exercitia vel litterariae artis lucubrationes sunt tractanda. Spiritus Sancti testimonium persuasibilibus humanae sapientiae verbis non eget: immo sublimitatem sermonis nostri divinae veritatis simplicitas fastidit et respuit, ut fides nostra "non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei."[3] Diligenter ergo adlaborent omnes animarum duces ut in mysteriis fidei tractandis, et in fidelibus ad pietatem exhortandis, nihil admittant quod non sit simplicitate et gravitate plenum.

6. Ardua sane sacerdotis vita; attamen innumeris ad perfectionem acquirendam mediis et auxiliis circumdata est et stipata. Provida enim Mater nostra Ecclesia, divinae laudis officium clero imponens, quietis spatium in medio charitatis laborum, suis ministris vindicat et tuetur. Septies in die ad Regem Sanctorum Curiamque Coelestem nos jubet corde et mente ascendere: et, si ex communione Corporis et Sanguinis Jesu semel accepta homines sancti fieri possint, nihil omnino

[1] 1 Cor. i. 17.
[2] *Conc. Trid.*, Sess. xxiv. De Reform. cap. 4.
[3] 1 Cor. ii. 5.

deesse poterit sociis, sacerdotibus, et amicis Jesu, qui quotidiana Sacrosanctae Missae oblatione et Sanctissimi Jesu Corporis et Sanguinis participatione reficiuntur, quin sancti fiant et sint. Ad hoc omnia in vita sacerdotis contribuunt: quotidiana rerum divinarum meditatio; intimus in Sanctissimo Sacramento famulatus; studia sacra vix interrupta; ministeria caritatis, quae dum vires exhauriunt mentem reficiunt: habitus etiam religionis et dignitatis, quae est regni cujusdam et perfectionis signum, tonsurati acceperunt.

7. Insuper a Domino, infirmitatum nostrarum miseratore, eximia nobis in Anglia pro regno veritatis militantibus ad perfectionem sacerdotalem adquirendam conceduntur auxilia. Sacerdotio quo insigniuntur missionarii concredita est cura animarum, et ideo omnimoda quae statui pastorali adnexa sunt dona spiritualia: porro pastores sunt praesertim pauperum, Jesu amicorum, "qui non habent retribuere nobis;" [1] ipsique etiam pauperes, et pauperum eleemosynis nutriti et contenti. Accedit etiam quotidiana et ferme perpetua in aliorum oneribus allevandis, in infirmis solandis, in moribundis sublevandis die noctuque, propriae voluntatis abnegatio. Denique restat insignis juramenti missionarii et gratia et privilegium quo, in limine apostolatus suscepti, ad instar oblationis Jesu in Cruce factae, semetipsos vivum et beneplacens sacrificium Deo Patri de die in diem libere se offerunt.

8. Quare si, quod Deus avertat, aliquando contigerit, ut a multiplici istius status gratia aliquis defecerit, sciat ea quae in aliis levia forent in sacerdotibus gravia existimari debere. Plerumque quod in laicis culpa non est, hoc crimen est in Sacro Ordine constitutis.

Sacerdotes quibus per Ordinarii sententiam sacerdotii exercitium interdictum fuerit, nullum jus habent ad sustentationem ab eo petendam, cum ipsi se sua culpa operam missionibus navandi incapaces reddiderunt.[2] Attamen antequam sententia hujusmodi privationis proferatur, admoneatur accusatus; et

[1] *Conc. Trid.*

[2] *Conc. Plen. Baltim.* II., p. 57.

nisi resipiscat, idem in ejus causa servetur modus procedendi quem Sacra Congregatio de Propaganda Fide, Decreto die 4 Augusti, 1853, ad Episcopos Angliae transmisso, priusquam finaliter rejiciatur rector missionarius, servandum esse praescripsit.[1]

DECRETUM XIII.

De Cantoribus et Cantu Ecclesiastico.

Ecclesia, sicut caetera quae in Dei honorem offerri solent et quibus hominis affectus provocetur in Deum, ita etiam cantum assumit, tum ut Deus dignius magnificetur, tum ut per oblectamenta aurium infirmior animus magis alliciatur ad devotionem; in quantum enim homo per divinam laudem affectu ascendit in Deum, in tantum per hoc retrahitur ab his quae sunt contra Deum.[2] Musica proinde vocalis recepta est in Ecclesia statim a principio, siquidem tempore Apostolorum et per aliquot subsequentia saecula universus fidelium coetus simul cum clero psallere, et sacerdoti solemniter celebranti cum cantu assistere et respondere solebat.[3] Quia vero, ob imperitiam populi una cum clero canentis, ecclesiasticae harmoniae concentus turbabatur, Patres Concilii Laodiceni,[4] cap. xviii., statuerunt, "non oportere praeter canonicos cantores, qui suggestum ascendunt et de codice canunt, alium quemlibet in ecclesia psallere." Rursum Concilium Antissiodorense,[5] cap. ix., decrevit "non licere in ecclesia choros saecularium vel puellarum cantica exercere." Subsequenti saeculo Zacharias PP., in epistola ad Pipinum missa, declaravit, "nefas esse foeminas sacris altaribus ministrare, vel aliquid ex his quae virorum sunt officiis deputata praesumere." Laudat idem Pontifex quoddam S. Gelasii decretum: deinde abusum in Gallia renascentem detestatur atque redarguit. "Nihilominus," ait, "impatienter audivimus tantum sacrarum subiisse despectum, ut foeminae sacris altaribus ministrare ferantur, et cuncta quae nonnisi virorum famulatui deputata sunt sexum cui non competit exhibere." [6]

[1] 1 *Conc. West.* pp. 60-63.
[2] S. Thom. 2da 2dae, Q. 91.
[3] *Bona, Rer. Liturg.* cap. xxv. n. 19.
[4] A.D. 320.
[5] A.D. 578.
[6] Labbe, *Conc.* viii. col. 244; P. Rodotà, *Comm. in Ep. Bened.* XIV. 19 Feb. 1749.

Coepit proinde cantus ecclesiasticus a solis clericis saltem in ordine lectoratus constitutis exerceri,[1] potissimum post ejusdem cantus reformationem seu correctionem a S. Gregorio Papa factam. Clericos igitur a teneris annis in psalmodia erudiendos ubique curabant antistites, et ipsi Romani Pontifices non pauci, ut narrat historia, in officio cantoratus juvenilem aetatem transegerunt. Demissionem animi sanctissimi Pontificis Gregorii Magni admiratur Thomassinus his verbis: "Gregorius ipse, quo Romanos etiam inter Pontifices nemo tam alte se in theologicorum dogmatum penetralia, aeternorumque contemplationem demersit, ita secum statuebat, haud evilescere summae in terris sanctissimaeque dignitatis majestatem, regnumque ipsum sacerdotii, si pueris cantum ecclesiasticum edocendis ipsemet incumberet."[2]

Cantus hic Gregorianus quem, teste Joanne Diacono, S. Augustinus, Angliae apostolus et primus Cantuariensis Archiepiscopus, in nostram insulam induxit, ibidem maxime florebat. Nec dubitandum est Gregorii Magni discipulos, divini verbi in Anglia praecones, quos ad Romanam fidem converterant, eosdem in cantu Romano erudiendos curasse.

Saeculo septimo beatus Benedictus cognomento Biscopus, Romae, in Britanniam reversurus, ab Agathone Papa obtinuit ut archicantor Basilicae Sancti Petri, nomine Joannes, socius sibi adjungeretur, quatenus in monasterio suo cursum canendi annuum, sicut ad Sanctum Petrum Romae agebatur, edoceret.[3]

Olim passim legimus caeteras nationes, missis Romam nuntiis, cantuum libros a Romanis Pontificibus impetrasse, et nonnullos Anglos tanta veneratione prosequutos esse Romanum canendi usum ut Romam ad eumdem addiscendum sese receperint. Teste Beda: "Wilfridus, monachus Anglus, adhuc florente aetate, ad Urbem properavit ut purioribus pietatis legibus, fidei, ritus et cantus imbueretur."[4]

Satis igitur compertum est cantum hunc Romanum, ad nos usque a S. Gregorio derivatum, esse proprie et excellenter

[1] Cap. "Non liceat," *Dist.* 92.
[2] *Eccl. Disc.* P. 1. l. 2, cap. 31, n. 9.
[3] Ven. Beda, *Hist. Angl.* lib. iv. cap. 18.
[4] Ven. Beda. lib. v. capp. 20, 21.

ecclesiasticum. Merito proinde scripsit Guido Aretinus: "Ille maxime auctoritati Ecclesiae contradicit, qui propter alios cantus divinum Beati Gregorii penitus praetermittit,"[1] "Cantus iste ille est," dicit Benedictus, loco citato,[2] "qui fidelium animos ad devotionem et pietatem excitat: deinde ille est qui, si recte decenterque peragatur, in Dei ecclesiis a piis hominibus libentius auditur; et alteri, qui cantus harmonicus seu musicus dicitur, merito praefertur."

Porro ejusmodi ecclesiasticum cantandi officium exercebant clerici haud procul ab altari. Quapropter statutum fuit ut in omnibus functionibus cantores habitu sive veste clericali essent induti. Qui enim cantandi officio funguntur clericorum munus adimplent, atque adeo ad modum clericorum sese gerere debent. Unde patet quam longissime distat a traditione et usu Ecclesiae consuetudo chorum statuendi supra portam Ecclesiae principalem.

Et, in Constitutione *Apostolicum Ministerium*, Benedictus XIV. admonet ut in Seminariis et Collegiis ex quibus missionarii cleri saecularis in Angliam mittentur, nulla diligentia et cura praetermittatur, ut alumni ad sacras missiones destinati sint Cantu Gregoriano, quantum fieri poterit, imbuti.

1. Sequentes igitur traditionem Ecclesiae, et S. Concilii Tridentini sanctiones, necnon Decretum Primi Concilii Westmonasteriensis xxvi. 5°, districte mandamus ut in Seminariis et Collegiis ecclesiasticis accurate tradatur Cantus Gregorianus, tum theoretice tum practice: ut clerici omnes, sive apud altare, sive in presbyterio, sive in choro cantorum constituti, omnia quae vel a singulis, vel a schola cantorum, vel a cunctis cantari debent, juxta tonos in "Caeremoniali Episcoporum," in "Graduali," "Antiphonario," "Directorio Chori" et caeteris libris ritualibus, rite cantare sciant.

2. Curent Episcopi, eisque conjuncti magnopere laborent Ecclesiarum rectores, ut praestantissimi cantus hujusmodi usus, quantum fieri poterit, restituatur. Quamobrem Ecclesiae praesertim cathedrales, et per Provinciam majores, in hujusmodi

[1] D. Avena, *Reg. Mus.* cap. 74. [2] *Encyc.* 19 Feb. 1749.

cantu Gregoriano exequendo praecellant. "Pueri etiam," juxta Decretum I. Conc. Westm. xviii. 20°, "musicen in scholis edoceantur, ut foeminarum, maxime pretio conductarum, in choro concentus ab ecclesiis excludantur. Sicque paulatim erit (quod maxime optamus) totum fidelium coetum unanimi vocis et cordis consensu psallentem audire."

3. Quoad determinatam hujus cantus ecclesiastici formam, renovamus Primi Concilii Westmonasteriensis Decretum (xxvi. 5°, et xxvii. 1°): "Ut uniformitas introducatur, volumus ut ubique, sed maxime in collegiis, ubicumque in Missa et in Officiis adhibetur Cantus Planus, seu Gregorianus, Cantus Romanus solus adhibeatur;" ita tamen ut non inhibeantur ritus et cantus, si qui sint, in celebratione Missae pro ordine religioso ecclesiae addicto legitime approbati, vel calendarii proprii observantia.

Cum vero hucusque vix aut ne vix quidem genuinum Romani Cantus exemplar obtineri potuerit, nunc benignitate SS. D. N. PII Papae IX. unicuique praesto est. Quapropter, obsecundantes votis Sanctitatis Suae, illam nominatim Romani Cantus editionem quae modo Ratisbonae editur tamquam normam adoptamus, ut sensim sine sensu in nostris dioecesibus exoptata uniformitas in cantu obtineri valeat. Ita demum fiet id quod Summus Pontifex se maxime in votis habere testatur, "ut cum in caeteris quae ad sacram Liturgiam pertinent, tum etiam in cantu, una, cunctis in locis ac dioecesibus, eademque ratio servetur qua Romana utitur Ecclesia." [1]

4. Usum cantus harmonici, seu figurati, utpote diu in Ecclesia introducti et ab illa non improbati, nostri non est reprobare. Absit tamen ut musica vigorem Christiani animi in mollitiem caducam possit convertere, quod musicae genus ipsi gentiles vitabant. "Sonus vel melodia," ut dicit S. Nicetius, "consentiens sanctae religioni psallatur; non quae tragicas difficultates exclamet, sed quae veram Christianitatem in vobis demonstret; non quae aliquid theatrale redoleat, sed compunc-

[1] Vide, in Append. X., p. 308, Brevia Apostolica, de Assoc. S. Caeciliae, et de editione librorum Cantus Gregoriani Ratisbonensi.

tionem peccatorum faciat."[1] "Nullus," dicit Benedictus XIV., "certe est, qui inter cantum sacrum et scenicas modulationes discrimen aliquod non desideret."[2] Porro in ecclesia, sicut cantus et cantores, sic organa ab Ecclesiae usu et legibus pendent positivis: necnon ab ecclesiae rectoris dispositione, minime vero a quorumlibet arbitrio.

Volumus, igitur, et mandamus:

1°. Ut, quantum fieri potest, observentur "Caeremonialis Episcoporum," ubique terrarum obligantis, leges de organorum usu atque silentio.

2°. Ut cantus harmonicus gravis sit et simplex; ut verba sint intelligibilia; frequentes ne fiant repetitiones verborum; ne quid in Sacra Liturgia addatur, omittatur vel mutetur; nec "ita protrahatur cantus, ut Missae cursus, nisi ubi rubricae sinunt, interrumpatur."[3] Similiter, quantum fieri potest, concordet musica cum temporibus anni et qualitate Festorum.

5. Meminerint sacerdotes splendori et sanctitati Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti quam maxime officere, et Dei Omnipotentis cultum graviter dedecere, consuetudinem aliquibus in locis adhuc vigentem, Catholicos scilicet et acatholicos ad divina officia alliciendi per ephemerides et per libellos publice affixos, in quibus nomina cantorum et musicorum publicantur, et musices genus et ea quae cantanda sunt describuntur. Si vero hujusmodi invitationes libellique habeantur, celebrantis et praedicatoris nomina, concionis thesis, et collectae, si qua sit facienda, scopus, et ea quae divinum cultum respiciant, tantum notificentur.

Volumus, insuper, ut rectores ecclesiarum neque sibi neque aliis permittant, ut descriptiones quae theatrum sapiunt, et animadversiones criticae de arte, deque elegantiis canentium, sicuti a spectaculorum fautoribus usurpatur, per ephemerides divulgentur.

S. Nicetius, apud Ben. XIV., *Encycl.* cit.

[2] Bened. XIV. ubi supra.

[3] 1 *Conc. West.* Decr. xviii. 20.

DECRETUM XIV.

De Visitatione Episcopali.

"Cum ad pastoralis officii rationem visitationis cura ita pertineat ut, ex Sacrorum Canonum jure et Conciliorum decretis, praetermitti neque possit neque debeat,"[1] merito in Concilio Primo Westmonasteriensi[2] sancitum est ut Episcopi statutis temporibus visitationem episcopalem facere non negligant. Qua in visitatione diligenter imprimis inquirant utram omnia quae in Synodis nostris Provincialibus, tum quoad vitam et honestatem cleri, sacramentorum administrationem, et gregis institutionem, tum quoad materialem ecclesiarum statum et bonorum ecclesiasticorum administrationem, decreta sunt, adamussim serventur. In prima Synodo Westmonasteriensi[3] statutum est ecclesias omnes missionarias et publicas, sive a saecularibus sive a regularibus deserviuntur, subjectas esse visitationi Episcopi. Id tamen quod ad Regularium ecclesias attinet intelligendum est juxta Sacros Canones, et praesertim Constitutionem Benedicti XIV., *Firmandis*.[4] Quo autem facilius feliciusque pastoralis haec visitatio efficiatur, et quo omnia in eadem peragenda mutua charitate et communi pro Ecclesia Dei zelo securius perficiantur, normam ex antecedentibus nostris Conciliis, necnon ex Sanctae Sedis praescriptionibus, desumendam et in hac Synodo statuendam censemus.

1. Secunda Synodus Westmonasteriensis statuit:[5] "In omni missione pecuniae quae a fidelibus contribuuntur, modis infra recensendis, habendae sunt pro bonis ecclesiae, non pro muneribus data sacerdoti." Modi vero colligendi pecunias ab eadem Synodo ibidem infra recensiti (n. 10) tales sunt:

1°. "Sedium seu locorum assignatio certis personis seu familiis a quibus compensatio determinata datur ecclesiae.

2°. "Collectae ad Offertorium in ecclesia factae.

[1] *Conc. Prov. Mediol.* Pars. III. Edict. de Visit.
[2] Decretum xxix.
[3] Decretum xxvii. De Regularibus.
[4] Vide Append. XI., *Nota* 1, p. 312, et Constit. Firmandis, p. 366.
[5] Decretum viii. n. 9.

3°. "Pro consuetudine generaliter in Anglia vigente, solutio nummi *(door money)* determinati juxta qualitatem loci occupandi, ab iis qui locum assignatum non habent, nolunt vero locum liberum, ut aiunt, occupare.

4°. "Conciones ab aliquo insigniore verbi Dei praecone, post quas generatim pro ecclesia, vel pro aliqua ejus parte seu attributione, colliguntur assistentium eleemosynae, qui saepe ex aliis congregationibus occurrunt stipemque conferunt.

5°. "Collectae quae vel de domo in domum fiunt per viros ad hoc deputatos, aut per societates et confraternitates legitime institutas; vel exiguntur per decurias aut centurias, prout fieri solet a laudabili Societate Propagationis Fidei nuncupata; vel quae a ditioribus, statutis temporibus aut singulis annis, solvuntur."

Porro in responso Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, a Summo Pontifice approbato, et tum ad Episcopos Angliae, tum ad Superiores Ordinum Religiosorum qui in Anglia missiones habent transmisso, declaratum fuit:

1°. Missionarios regulares non esse obligatos ad reddendam Episcopis rationem bonorum quae ad ipsos regulares qua tales pertinent.

2°. Episcopos jus habere ut, eodem modo quo a parochis cleri saecularis rationem exigere possunt, ita a missionariis religiosis petere queant rationem bonorum quae data sunt missionibus aut missionariis regularibus intuitu missionum quibus adscripti sunt.

Ad casus dubios quod attinet, Sacra Congregatio statuit Episcopos et superiores regulares communi consensu eos solvere debere; quum vero diversae opiniones conciliari nequeunt, controversiam ad Sanctam Sedem referendam esse.[1]

2. In omnibus ecclesiis quae a missionariis sive saecularibus sive regularibus deserviuntur, taxa quae solvitur pro sedium seu locorum assignatione debet ab Episcopo approbari; et in omnibus aliis ecclesiis publicis taxa debet esse conformis cum regulis in dioecesi statutis. Insuper ad Episcopum spectat

[1] Vide APPEND. XI. p. 312; et APPEND. XII. p. 313, de bonis Regular.

determinare quantum spatii in ecclesia liberum sit pauperibus relinquendum.

3. Scholae missionum, salvis legitimis regularium privilegiis,[1] visitationi episcopali subjiciuntur, tum quoad fabricam et redditus, tum quoad disciplinas et moderamen, tum quoad relationes cum gubernio civili. Fabrica autem ipsa, quoties ad missionem non pertinet, a visitatione eximenda est.

DECRETUM XV.

De Causis Matrimonialibus ad Forum Externum pertinentibus.

Quoniam non obstantibus iis quae, sive generatim in jure sive speciatim in Conciliis nostris Provincialibus et Synodis Dioecesanis, de Matrimonio statuta sunt, incommoda nonnunquam, et interdum etiam gravia scandala exoriri possunt, ex inscientia vel temeritate eorum qui causas matrimoniales tractant, haec pauca declaranda censemus ac fidelissime observanda decernimus.

1. Quaestiones de validitate matrimoniorum *causae* nuncupantur; quae ad forum externum unice pertinent, ab ordinario juridice determinandae. Ad Ordinarium igitur recurrendum est, quando agitur de matrimoniis vagorum et exterorum; de novo matrimonio contrahendo, ubi adsit dubium de validitate matrimonii jam contracti; de dubiis quibuscumque circa mortem conjugis, vel circa liberum statum eorum qui matrimonium contrahere velint: ad Ordinarium enim pertinet determinare utrum ii qui vagi dicuntur revera vagi sint, eisque licentiam dare ut matrimonium contrahant; ipsius est determinare utrum exteri qui huc venerunt, sive per domicilium, sive per *quasi-domicilium*, eo sensu quo a jure intelligitur, sive saltem per delegationem ab Ordinario contrahentium, sub ipsius jurisdictione satis constituantur; in aliis tandem dubiis, si quae sint post diligentem inquisitionem, solius Ordinarii est, instituto etiam, si opus fuerit, juridico processu, ea perpendere et judicium pronuntiare.

[1] Vide APPEND. XI., *Nota* 2, p. 312.

2. Ad matrimonia autem *jam contracta* quod attinet, sacerdotes omnes qui curam animarum gerunt, gravissime monemus ac in Domino jubemus ut, quamquam illis certissime constet matrimonium aliquod invalidum fuisse, omnibus quorum interest aperte declarent se nullam auctoritatem habere judicium in hujusmodi re ferendi: sed, antequam ad novum matrimonium procedere praesumant, ad Ordinarium recurrant ejusque juridicam sententiam expectent.

3. Quandocumque in causa matrimoniali juridicus instituendus sit processus de valore vel nullitate matrimonii, ad normam juris instituatur, adhibito *matrimonii defensore:* quod ut fieri possit, defensor matrimoniorum in singulis Synodis Dioecesanis nominabitur, salvo jure Episcopi illum immutandi.

4. In casibus, vel in causis, matrimonialibus tractandis exactissimos et quam maxime diligentes sacerdotes se exhibeant, de factis et circumstantiis inquirendo, probationes et documenta necessaria colligendo, atque matrimonium contracturos ad gratiam hujus sacramenti percipiendam disponendo. Quando vero ante matrimonii celebrationem ad Ordinarium quacumque ex causa recurrendum sit, nonnisi omnibus in quantum fieri potuerit jam paratis, res ad ipsum deducatur. Ordinarii enim est in re jam diligenter parata et integre exposita judicium ferre; licentiam aut dispensationem concedere: minime vero, sive per se sive per suos officiales, vel litteras scribendo vel sponsos interrogando, inquisitionem de factis instituere, probationes exquirere, documenta obtinere.[1]

DECRETUM XVI.

De Mendicantibus.

1. Cum neminem lateat quam grave sit et dedecus et scandalum moniales et sorores, Deo oblatas, inordinate, et contra instituti sui sanctiones, extra monasteria vagari; ad mensas saecularium assidere; et in eorumdem, seclusa extrema necessitate, domibus pernoctare; districte praedictarum superioribus

[1] De Matrimoniis Mixtis, vide APPENDIX XIII., p. 315; et de Matrimoniis coram ministris haeret., vide APPEND. XIV., p. 318.

praecipimus, ne sub ullo quocumque praetextu subditas suas ad colligendas eleemosynas, nisi praevia ab Episcopo accepta in scriptis licentia, exire sinant.

Per hoc Decretum minime volumus vel minuere vel coarctari cujuslibet instituti privilegia a Sancto Sede concessa: iisdem tamen moderate et cum sancto Dei timore utantur.

2. Insuper quoad Fratres Ordinum Mendicantium, qui juxta privilegia a Sancta Sede concessa ad colligendas in sustentationem conventus eleemosynas exire solent, omnes eorumdem Superiores monendos arbitramur, privilegium quo gaudent intra dioecesim ubi conventum habent, nullatenus extra dioeceseos limites, nisi ab Ordinariis locorum praevia in scriptis accepta mendicandi licentia, sese extendere.

Caveant etiam Superiores ut ad id munus, plurimis ut est periculis obnoxium, exequendum, non nisi virtute et modestia provectiores seligant: eis etiam districte praecipientes ne fidelibus nimia importunitate sese molestos reddant.

Fratribus omnino vetitum est vel collare Romanum vel habitum sacerdotale induere.

3. Clerum Provinciae Westmonasteriensis in Domino hortamur ut de hujusce Decreti transgressoribus, si qui sint, ad Ordinarios informationes quantocius transmittere curent.

DECRETUM XVII.

De Laicorum Informatione.

1. Renatorum informatio, seu educatio, nihil est nisi hominis manuductio ad Deum. Informatio enim Christiana non solum intelligentiam illustrat, sed etiam voluntatem ad Deum dirigit atque adducit.

2. Pro educatis ergo non sunt habendi, qui, intelligentia tenus solummodo eruditi, corde et mente procul a Deo, fidei dogmatum ignorantia, et, quod plerumque inde sequitur, indole et morum deformitate, exulantur. Quapropter merito confixa et rejecta est [1] insidiosa ista propositio, quod humaniores litterae,

[1] Pii IX. *Litt. ad Archiep. Monac.*, Dec. 21, 1863.

necnon cujuslibet generis scientiae, ab omni religionis traditione prorsus sejunctae excoli debeant. Pariter rejicienda est serpens hodierna opinio, quod a Christiani populi scholis Christianae fidei dogmata possint arceri. Hisce praedictis autem erroribus omnino adjungendi sunt errores a Pontifice Pio IX. jampridem condemnati: "Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus Christianae alicujus Reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili; et ita quidem attribui ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum." "Immo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur." [1]

3. Ad curam etenim animarum, a Domino nostro Jesu Christo Ecclesiae suae soli collatam, omnium in baptismo renatorum, cujuslibet conditionis, vel divitum vel pauperum, spectat educatio. Haec supremae jurisdictionis praerogativa, innumeris Pontificum declarationibus inviolabiliter propugnata, usque adhuc viget, omnesque Christi fideles a scholis acatholicis revocat continetque.

In Primo igitur Westmonasteriensi Concilio Patres, de hac suprema re prudentissime decernentes, omnes in Anglia fideles, tam divites quam pauperes, districte hortati sunt, ut filios pupillosque suos ab omni contactu acatholicae educationis sedulo ac sancte continerent. Inter primordia instauratae Hierarchiae, consilia conferentes, ad clerum promulgaverunt monita gravissima, quibus sacerdotes missionarii urgerentur ut scholas in singulis missionibus ad pauperum prolem Catholice educandam erigerent et multiplicarent. Insuper voluerunt Concilii Patres ut aliae etiam scholae, in quibus honestae conditionis pueri educari possent, sedulo providerentur; omnibusque praedicatoribus et confessariis, et inter praedicandum et in sacro tribunali sedentibus, injunxerunt, ut de necessitate fidei, de parentum in filios officiis, deque ratione Deo in districto suo judicio reddenda

[1] Pii. IX., *Syllabus*, Prop. 45, 46.

si ipsorum culpa perierint, omni diligentia fideles admonere curarent.[1]

4. Elapsi sunt jam viginti anni ex quo ab Angliae Episcopis in Synodo congregatis prolatae fuerint hujusmodi exhortationes, quae hisce diebus majoris etiam utilitatis, immo verae necessitatis evadunt. Leges enim nuper de scholis populi primariis, uti solent dici, promulgatae omnia quae educationi Catholicae impendebant pericula manifeste adaugent aggravantque. Traditio enim articulorum fidei, ex horario instructionis penitus abjecta, in tempora subseciva relegatur. Pietatis adjumenta et incitamenta, quae integrum diei decursum hactenus illustraverunt et sacraverunt, in posterum a librorum paginis et ab ore institutorum sub poena excluduntur. Quam maxime igitur augeri debent studiosi nostri cleri zelus et diligentia, ne ex unica ea hora, quae nobis ad parvulorum de rebus fidei, et de pietatis officiis et adjumentis, instructionem permissa est, vel momentum dilabatur inutile et pereat.

5. De hac periculosa docendi ratione, et de sejunctione religionis a litteris, SS. Pater Pius IX. in pastorali sua solicitudine ita nos monet: "At vero cum hujusmodi perniciosissima docendi ratio sejuncta a Catholica fide, et ab Ecclesiae potestate, maximo sit hominibus et societati damno, dum agitur de litteris severioribusque disciplinis tradendis, ac de educatione curanda in scholis publicisque institutis, quae honestioribus societatis classibus sunt destinata, ecquis non videt multo graviora mala et damna ex hac methodo derivare, si eadem in populares inducatur scholas? Etenim in hisce potissimum scholis omnes cujusque e populo classis pueri, vel a teneris annis, sanctissimae nostrae religionis mysteriis ac praeceptionibus sedulo sunt erudiendi, et ad pietatem morumque honestatem, et ad religionem civilemque vivendi rationem, accurate formandi. Atque in eisdem scholis religiosa praesertim doctrina ita primarium in institutione et educatione locum habere ac dominari debet, ut aliarum rerum cognitiones, quibus juventus ibi imbuitur, velut adventitiae appareant. Quapropter juventus maximis exponitur

[1] 1 *Conc. Westm.* Decr. viii. 2, 5.

periculis, nisi ejus in memoratis scholis institutio arctissimo cum religiosa doctrina vinculo consocietur. . . . Certe quidem, ubi in quibusque locis regionibusque perniciosissimum hujusmodi vel susciperetur, vel ad exitum perduceretur consilium, expellendi a scholis Ecclesiae auctoritatem, et juventus misere exponeretur damno circa fidem, tunc Ecclesia non solum deberet intentissimo studio omnia conari, nullisque curis unquam parcere, ut eadem juventus necessariam Christianam institutionem et educationem habeat, verum etiam cogeretur omnes fideles monere, eisque declarare, ejusmodi scholas Catholicae Ecclesiae adversas haud posse in conscientia frequentari."[1]

6. Quapropter, quae in Primo Concilio Westmonasteriensi jam decreta fuere, nos omni animi solicitudine et ipsissimis Patrum verbis innovamus, et decernimus: "Praeter traditionem catechismi, quae quotidie in scholis fit, quavis die Dominca publice in Ecclesia habeatur catechesis, in qua mysteria fidei, Dei Ecclesiaeque praecepta, et doctrina Sacramentorum, plane et aperte explicentur. Et quidem studeat sacerdos, ut dum ad parvulorum captum se dimittit, verba tamen scientibus non onerosa proferat; immo gravitate eloquii, copiosis et aptis Sacrae Scripturae locis, et exemplis Sanctorum, concinne ad illustrationem sermonis allatis, etiam adultos ad audiendum et discendum inducat."[2]

Quoniam cura parvulorum inter praecipua pastoris officia numeranda est, sciant omnes quibus demandata est animarum cura, nullatenus sufficere ut per alios visitentur et dirigantur scholae, tum publicae tum privatae, inter limites missionum existentes, sed ipsos omnino teneri eisdem invigilare illasque saepius adire. Tradatur, sive per ipsum ecclesiae rectorem, sive per coadjutores, instructio catechetica pueris et puellis cusjusvis missionis Dominicis diebus, praesente, quantum fieri poterit, populo; et insuper in scholis semel saltem in hebdomada. Quoad parvulos intra septa carcerum, ergastulorum, aliorumque hospitiorum sumptu publico aut charitate nutritos, habeant ad

[1] In Epist. *Quam non sine*, ad Archiep. Friburgen. data 14 Julii, A.D. 1864.

[2] 1 *Conc. West.* Decr. viii.

manus et prae oculis missionarii legis civilis statuta, ut pro re nata, non solum fortiter, sed et scienter aeque ac modeste causam pauperum agere possint, eorumque jura religiosa defendere ac propugnare, necnon jus eos statis saltem horis adeundi sibi ipsis vindicare.

7. Crescente indies numero familiarum quae neque inter pauperes neque inter divites censendae sunt, denuo rectoribus majorum missionum commendandum decernimus, id quod a Primo nostro Concilio sapientissime approbatum est: scilicet ut quam primum instituantur scholae, vel etiam collegia minora, ubi melioris conditionis pueri, praeter communia educationis elementa, disciplinis etiam ad vitae industrias et commercia pertinentibus sedulo imbuantur.

8. Denique licet dies Primi Concilii Westmonasteriensis Patribus adeo desiderata, in qua Catholica erigatur Universitas, nobis nondum illuxerit, attamen, auctoritate et jussu Apostolicae Sedis freti et excitati, ad provectiora litterarum et scientiarum studia promovenda et perficienda nosmet accingere in animo est. Sacra enim de Propaganda Fide Congregatio iteratis litteris aliarum regionum Episcopos jamdudum admonuit Universitatis Catholicae fundationem et regimen ad animarum curam et ad Hierarchiae pastoralem jurisdictionem pertinere: ideoque ad eamdem jurisdictionem spectare, ea omnia quae ad optatum finem conspirare possint sedulo et continuo congerere et praeparare. Mira sane Dei providentia, sub luctuosis etiam persecutionis et paupertatis angustiis, Ecclesia in Anglia Catholica plura erexit, eaque hodie florentia Collegia, quae Universitatis proprie dictae primordia dici possint. Hisce jam praejectis fundamentis, culmen et fastigium suo tempore superimponere nobis vel successoribus nostris levioris reddetur laboris. Intra horum enim Collegiorum parietes jam congregati sunt plurimi adolescentes, qui, provectiora studia exitu felici excolentes, alibi transferri debent, ubi a pueris sejuncti, et sub regimine aetati et indoli virili prudenter temperato, non solummodo studiis, sed etiam disciplinae experientia, ad futuram vitae militiam sese accingere poterunt. Hoc consilium quam maxime commendant suadentque periculosae eae mutationes in Angliae Universitates

nuperrime invectae. Periit enim Catholica ea et Christiana gloria quam inter earum fundamenta deposuit Sancta Mater Ecclesia: periit etiam primaeva revelatae veritatis traditio, necnon ea litterarum et scientiarum sacra cultura, qua Jesu discipuli et Dei filii, divina illuminatione perfusi ad perfectam hominis excellentiam olim adducebantur. Extra Catholicam et Romanam Ecclesiam nullibi reperitur individuus omnium veritatum et naturalis et supernaturalis ordinis nexus; quo relicto, ratio etiam humana obscurata labat, et ipsa hominis natura a similitudine Conditoris deformata dejicitur. Quare nostrum est omni provida constantia, quae neque per minas flecti potest, neque per illecebras allici, immutabilem illam a Patribus nostris acceptam Catholicae institutionis methodum servare, tueri, et ad posteros tradere inviolatam. Et quo hoc securius et citius fiat, Sacra Congregatio, quae anno 1868, probante Summo Pontifice, Episcopos Angliae ad capiendum consilium de Catholica Universitate in Anglia suo tempore erigenda jampridem invitaverat, ineunte hoc ipso anno nos iterum gravissimis admonuit verbis, Dei gloriam atque animarum salutem in praesentia postulare ut nihil intentatum a nobis relinquatur quo difficultates Universitatis Catholicae erectionem retardantes superari possint.[1]

9. Quare hisce supremae auctoritatis litteris obsequentes, statuimus nos nihil intentatum relicturos, aliis nobiscum cooperantibus, quo constituantur Collegia, et efformetur Examinatorum corpus ad provectiora studia annuo examine probanda, promovenda, et juxta merita praemiis donanda, et ad academicos gradus conferendos, necnon ad alia praestanda quibus via ad proprie dictae Universitatis fundationem sternatur.

[1] Vide APPEND. XVII., p. 332; ac, de Educatione Mixta, et de Universitatibus Acatholicis, XV., p. 321, et XVI., p. 330.

ELENCHUS

CONCILII DECRETORUM,

CUM NUMERO ARTICULORUM.

Omnia et singula in hac Synodo statuta, decreta, et acta, qua decet obedientia et reverentia, auctoritati, correctioni, et emendationi Sanctae Romanae Ecclesiae, omnium Ecclesiarum Matris et Magistrae, et Romani Pontificis, Christi Vicarii, judicio emendanda, corrigenda, mutanda subjicimus.

✠ Ego, HENRICUS EDUARDUS, Archiepiscopus Westmonasteriensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, THOMAS JOSEPHUS, O.S.B., Episcopus Neoportensis et Menevensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, Gulielmus Bernardus, O.S.B., Episcopus Birminghamiensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, Jacobus, Episcopus Salopiensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, Richardus, Episcopus Nottinghamiensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, Gulielmus, Episcopus Plymuthensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, Gulielmus, Episcopus Cliftoniensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, Franciscus, Episcopus Northantoniensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, Robertus, Episcopus Beverlacensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, Jacobus, Episcopus Hagulstadensis et Novicastrensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, Jacobus, Episcopus Suthwarcensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, Herbertus, Episcopus Salfordiensis, definiens subscripsi.

✠ Ego, Bernardus, Episcopus Liverpolitanus, definiens subscripsi.

D. Norbertus Sweeney, O.S.B.,
Samuel W. Allen,
Jacobus J. Guiron, } Secretarii Synodales.

Jacobus Fisher, Canonicus Liverpolitanus,
Georgius Bowyer, Eques Hierosolymitanus, } Notarii Synodales.

Joannes Rouse,
Carolus J. Gadd, } Caeremoniarii Synodales.

ACTUS CONSECRATIONIS SACRATISSIMO CORDI JESU,

IN TERTIA SESSIONE FACTUS.

Dulcissime Jesu, fons amoris, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui ineffabiles Cordis Tui divitias nobis miseris et indignis aperire dignatus es, ego, in gratiarum actionem pro innumeris in me, in clerum populumque gregis mei, in Ecclesiam in Anglia, in Patriam nostram, caeterosque homines collatis beneficiis; ac praesertim pro SS. Eucharistiae institutione, et ad reparandas injurias omnes a me et ab aliis quibuscumque, in hoc infiniti amoris mysterio, Cordi Tuo amantissimo illatas; eidem Sacratissimo Cordi Tuo me totum et omnia mea, una cum omnibus in hac Synodo a nobis peractis devoveo, cum omnibus bonis ac meritis ex gratia Tua acquisitis vel acquirendis, promittens me Divini Cordis Tui cultum, quantum pro mea tenuitate licuerit, propagaturum.

Insuper Beatissimam Virginem Mariam, peculiarem Matrem mihi eligo, ejusque purissimo Cordi me et omnia mea pariter trado ac devoveo, promittens me hujus piissimae Matris cultum juxta Ecclesiae mentem quantum in me erit propagaturum.

A Tua ergo immensa bonitate et clementia, Domine Jesu, peto suppliciter, ut hoc holocaustum in odorem suavitatis admittere digneris, et, ut largitus es ad hoc desiderandum et offerendum, sic etiam ad explendum gratiam uberem largiaris. Amen.

Preces pro Romano Pontifice.

O Divinum atque amantissimum Cor Domini nostri Jesu Christi, unde Catholica Ecclesia vitam traxit, en coram Te humiles ac fidentes filios, qui vehementiori quo possunt animi affectu, pro augusto ejus Capite suoque Patre, Summo Pontifice, Tibi preces fundunt.

Quaesumus Domine, pro Tua clementia, ut eum Tua dulcedine recrees, Tua virtute confirmes ac tuearis, quo plenum referat de hostibus suis triumphum, qui justitiae pariter ac veritati adversantur.

Pater, Ave, Gloria.

APPENDIX.

I.

SS. DOMINI NOSTRI PII PP. IX.

EPISTOLA ENCYCLICA,

DIEI VIII. DECEMBRIS, 1864.

VENERABILIBUS FRATIBUS, PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, ARCHIEPISCOPIS, ET EPISCOPIS UNIVERSIS, GRATIAM ET COMMUNIONEM APOSTOLICAE SEDIS HABENTIBUS.

PIUS PP. IX.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quanta cura ac pastorali vigilantia Romani Pontifices Praedecessores Nostri, exsequentes demandatum sibi ab ipso Christo Domino, in persona Beatissimi Petri Apostolorum Principis, officium munusque pascendi agnos et oves, nunquam intermiserint universum Dominicum gregem sedulo enutrire verbis fidei, ac salutari doctrina imbuere, eumque ab venenatis pascuis arcere, omnibus quidem ac Vobis praesertim compertum exploratumque est, Venerabiles Fratres. Et sane iidem Decessores Nostri augustae catholicae religionis, veritatis ac justitiae assertores et vindices, de animarum salute maxime solliciti, nihil potius unquam habuere, quam sapientissimis suis Litteris et Constitutionibus retegere et damnare omnes haereses et errores, qui Divinae Fidei nostrae, Catholicae Ecclesiae doctrinae, morum honestati, ac sempiternae hominum saluti adversi, graves frequenter excitarunt tempestates, et christianam civilemque rempublicam miserandum in modum funestarunt. Quocirca

iidem Decessores Nostri Apostolica fortitudine continenter obstiterunt nefariis iniquorum hominum molitionibus, qui despumantes tamquam fluctus feri maris confusiones suas, ac libertatem promittentes, cum servi sint corruptionis, fallacibus suis opinionibus et perniciosissimis scriptis catholicae religionis civilisque societatis fundamenta convellere, omnemque virtutem ac justitiam de medio tollere, omniumque animos mentesque depravare, et incautos imperitamque praesertim juventutem a recta morum disciplina avertere, eamque miserabiliter corrumpere, in erroris laqueos inducere, ac tandem ab Ecclesiae catholicae sinu avellere conati sunt.

Jam vero, uti Vobis, Venerabiles Fratres, apprime notum est, Nos vix dum arcano Divinae Providentiae consilio nullis certe Nostris meritis ad hanc Petri Cathedram evecti fuimus, cum videremus summo animi Nostri dolore horribilem sane procellam tot pravis opinionibus excitatam, gravissima, ac nunquam satis lugenda damna, quae in christianum populum ex tot erroribus redundant, pro Apostolici Nostri Ministerii officio, illustria Praedecessorum Nostrorum vestigia sectantes, Nostram extulimus vocem; ac pluribus in vulgus editis Encyclicis Epistolis et Allocutionibus in Consistorio habitis aliisque Apostolicis Litteris praecipuos tristissimae nostrae aetatis errores damnavimus, eximiamque vestram episcopalem vigilantiam excitavimus, et universos catholicae Ecclesiae Nobis carissimos filios etiam atque etiam monuimus et exhortati sumus, ut tam dirae contagia pestis omnino horrerent et devitarent. Ac praesertim Nostra prima Encyclica Epistola die 9 Novembris anno 1846 Vobis scripta, binisque Allocutionibus, quarum altera die 9 Decembris, anno 1854, altera vero 9 Junii anno 1862 in Consistorio a Nobis habita fuit, monstrosa opinionum portenta damnavimus, quae hac potissimum aetate cum maximo animarum damno, et civilis ipsius societatis detrimento dominantur, quaeque non solum catholicae Ecclesiae, ejusque salutari doctrinae ac venerandis juribus, verum etiam sempiternae naturali legi a Deo in omnium cordibus insculptae, rectaeque rationi maxime adversantur, et ex quibus alii prope omnes originem habent errores.

Etsi autem haud omiserimus potissimos hujusmodi errores

saepe proscribere et reprobare, tamen Catholicae Ecclesiae causa, animarumque salus Nobis divinitus commissa, atque ipsius humanae societatis bonum omnino postulant, ut iterum pastoralem vestram sollicitudinem excitemus ad alias pravas profligandas opiniones, quae ex eisdem erroribus veluti ex fontibus erumpunt. Quae falsae ac perversae opiniones eo magis detestandae sunt, quod eo potissimum spectant, ut impediatur et amoveatur salutaris illa vis, quam catholica Ecclesia ex Divini sui Auctoris institutione et mandato libere exercere debet usque ad consummationem saeculi, non minus erga singulos homines quam erga nationes, populos summosque eorum Principes, utque de medio tollatur mutua illa inter Sacerdotium et Imperium consiliorum societas et concordia, quae rei cum sacrae tum civili fausta semper extitit ac salutaris.[1] Etenim probe noscitis, Venerabiles Fratres, hoc tempore non paucos reperiri, qui civili consortio impium absurdumque *naturalismi*, ut vocant, principium applicantes audent docere, "optimam societatis publicae rationem civilemque progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine." Atque contra sacrarum Litterarum, Ecclesiae, sanctorumque Patrum doctrinam, asserere non dubitant, "optimam esse conditionem societatis, in qua Imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis poenis violatores Catholicae religionis, nisi quatenus pax publica postulet." Ex qua omnino falsa socialis regiminis idea haud timent erroneam illam fovere opinionem, catholicae Ecclesiae animarumque saluti maxime exitialem, a rev. mem. Gregorio XVI. Praedecessore Nostro *deliramentum* appellatam,[2] nimirum "libertatem conscientiae et cultuum esse proprium cujuscumque hominis jus, quod lege proclamari et asseri debet in omni recte constituta societate, et jus civibus inesse ad omnimodam libertatem nulla vel ecclesiastica, vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus quoscumque sive voce, sive typis, sive alia ratione palam publiceque manifestare ac declarare valeant."

[1] Gregor. XVI. Epist. Encycl. *Mirari*, 15 Aug. 1832.
[2] Eadem Encycl. *Mirari*.

Dum vero id temere affirmant, haud cogitant et considerant quod *libertatem perditionis*[1] praedicant, et quod "si humanis persuasionibus semper disceptare sit liberum, nunquam deesse poterunt, qui veritati audeant resultare, et de humanae sapientiae loquacitate confidere, cum hanc nocentissimam vanitatem quantum debeat fides et sapientia christiana vitare, ex ipsa Domini nostri Jesu Christi institutione cognoscat."[2] Et quoniam ubi a civili societate fuit amota religio, ac repudiata divinae revelationis doctrina et auctoritas, vel ipsa germana justitiae humanique juris notio tenebris obscuratur et amittitur, atque in verae justitiae legitimique juris locum materialis substituitur vis, inde liquet, cur nonnulli, certissimis sanae rationis principiis penitus neglectis posthabitisque, audeant conclamare, "voluntatem populi publica, quam dicunt, opinione vel alia ratione manifestatam constituere supremam legem ab omni divino humanoque jure solutam, et in ordine politico facta consummata, eo ipso quod consummata sunt, vim juris habere." Verum ecquis non videt, planeque sentit, hominum societatem religionis ac verae justitiae vinculis solutam nullum aliud profecto propositum habere posse, nisi scopum comparandi cumulandique opes, nullamque aliam in suis actionibus legem sequi, nisi indomitam animi cupiditatem inserviendi propriis voluptatibus et commodis?

Eapropter hujusmodi homines acerbo sane odio insectantur Religiosas Familias, quamvis de re christiana, civili, ac litteraria summopere meritas, et blaterant easdem nullam habere legitimam existendi rationem, atque ita haereticorum commentis plaudunt. Nam ut sapientissime rec. mem. Pius VI. Decessor Noster docebat, "regularium abolitio laedit statum publicae professionis consiliorum evangelicorum, laedit vivendi rationem in Ecclesia commendatam tamquam Apostolicae doctrinae consentaneam, laedit ipsos insignes fundatores, quos super altaribus veneramur, qui nonnisi a Deo inspirati eas constituerunt societates."[3]

Atque etiam impie pronuntiant, auferendam esse civibus et Ecclesiae facultatem, "qua eleemosynas christianae caritatis causa

[1] S. Aug. Epist. 105 al. 166.

[2] S. Leo Epist. 164 al. 133 § 2. edit. Ball.

[3] Epist. ad Card. de la Rochefoucauld, 10 Martii, 1791.

palam erogare valeant," ac de medio tollendam legem, "qua certis aliquibus diebus opera servilia propter Dei cultum prohibentur," fallacissime praetexentes, commemoratam facultatem et legem optimae publicae oeconomiae principiis obsistere.

Neque contenti amovere religionem a publica societate, volunt religionem ipsam a privatis etiam arcere familiis. Etenim funestissimum *Communismi* et *Socialismi* docentes ac profitentes errorem asserunt, "societatem domesticam seu familiam totam suae existentiae rationem a jure dumtaxat civili mutuari; proindeque ex lege tantum civili dimanare ac pendere jura omnia parentum in filios, cum primis vero jus institutionis educationisque curandae." Quibus impiis opinionibus machinationibusque in id praecipue intendunt fallacissimi isti homines, ut salutifera catholicae Ecclesiae doctrina ac vis a juventutis institutione et educatione prorsus eliminetur, ac teneri flexibilesque juvenum animi perniciosis quibusque erroribus vitiisque misere inficiantur ac depraventur. Siquidem omnes, qui rem tum sacram, tum publicam perturbare, ac rectum societatis ordinem evertere, et jura omnia divina et humana delere sunt conati, omnia nefaria sua consilia, studia et operam in improvidam praesertim juventutem decipiendam ac depravandam, ut supra innuimus, semper contulerunt, omnemque spem in ipsius juventutis corruptela collocarunt. Quocirca nunquam cessant utrumque clerum, ex quo, veluti certissima historiae monumenta splendide testantur, tot magna in christianam, civilem, et litterariam rempublicam commoda redundarunt, quibuscumque infandis modis divexare, et edicere, ipsum Clerum "utpote vero utilique scientiae et civilitatis progressui inimicum ab omni juventutis instituendae educandaeque cura et officio esse amovendum."

At vero alii instaurantes prava ac toties damnata novatorum commenta, insigni impudentia audent Ecclesiae et hujus Apostolicae Sedis supremam auctoritatem a Christo Domino ei tributam civilis auctoritatis arbitrio subjicere, et omnia ejusdem Ecclesiae et Sedis jura denegare circa ea quae ad exteriorem ordinem pertinent. Namque ipsos minime pudet affirmare, "Ecclesiae leges non obligare in conscientia, nisi cum promul-

gantur a civili potestate; acta et decreta Romanorum Pontificum ad religionem et Ecclesiam spectantia indigere sanctione et approbatione, vel minimum assensu potestatis civilis; constitutiones Apostolicas,[1] quibus damnantur clandestinae societates, sive in eis exigatur sive non exigatur juramentum de secreto servando, earumque asseclae et fautores anathemate mulctantur, nullam habere vim in illis orbis regionibus, ubi ejusmodi aggregationes tolerantur a civili gubernio; excommunicationem a Concilio Tridentino et Romanis Pontificibus latam in eos, qui jura possessionesque Ecclesiae invadunt et usurpant, niti confusione ordinis spiritualis ordinisque civilis ac politici ad mundanum dumtaxat bonum prosequendum; Ecclesiam nihil debere decernere, quod obstringere possit fidelium conscientias in ordine ad usum rerum temporalium; Ecclesiae jus non competere violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi; conforme esse sacrae theologiae jurisque publici principiis, bonorum propietatem, quae ab Ecclesiis, a Familiis religiosis, aliisque locis piis possidentur, civili gubernio asserere et vindicare." Neque erubescunt palam publiceque profiteri haereticorum effatum et principium, ex quo tot perversae oriuntur sententiae atque errores. Dictitant enim, "Ecclesiasticam potestatem non esse jure divino distinctam et independentem a potestate civili; neque ejusmodi distinctionem et independentiam servari posse, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia jura potestatis civilis." Atque silentio praeterire non possumus eorum audaciam, qui sanam non sustinentes doctrinam contendunt "illis Apostolicis Sedis judiciis et decretis, quorum objectum ad bonum generale Ecclesiae, ejusdemque jura, ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari absque peccato et absque ulla Catholicae professionis jactura." Quod quidem quantopere adversetur Catholico dogmati plenae potestatis Romano Pontifici ab ipso Christo Domino divinitus collatae, universalem pascendi, regendi et gubernandi Ecclesiam, nemo est qui non clare aperteque videat et intelligat.

[1] Clement. XII. "*In eminenti.*" Benedict. XIV. "*Providas Romanorum.*" Pii VII. "*Ecclesiam*" Leonis XII. "*Quo graviora.*"

In tanta igitur depravatarum opinionum perversitate, Nos Apostolici Nostri officii probe memores, ac de sanctissima nostra religione, de sana doctrina, et animarum salute Nobis divinitus commissa, ac de ipsius humanae societatis bono maxime solliciti, Apostolicam Nostram vocem iterum extollere existimavimus. Itaque omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce Litteris commemoratas auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, proscribimus atque damnamus, easque ab omnibus Catholicae Ecclesiae filiis, veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi volumus et mandamus.

Ac praeterea optime scitis, Venerabiles Fratres, hisce temporibus omnis veritatis justitiaeque osores et acerrimos nostrae religionis hostes, per pestiferos libros, libellos et ephemerides toto terrarum orbe dispersas populis illudentes, ac malitiose mentientes, alias impias quasque disseminare doctrinas. Neque ignoratis, hac etiam nostra aetate, nonnullos reperiri, qui satanae spiritu permoti et incitati eo impietatis devenerunt, ut Dominatorem Dominum Nostrum Jesum Christum negare, ejusque Divinitatem scelerata procacitate oppugnare non paveant. Hic vero haud possumus, quin maximis meritisque laudibus Vos efferamus, Venerabiles Fratres, qui episcopalem vestram vocem contra tantam impietatem omni zelo attollere minime omisistis.

Itaque hisce Nostris Litteris Vos iterum amantissime alloquimur, qui in sollicitudinis Nostrae partem vocati summo Nobis inter maximas Nostras acerbitates solatio, laetitiae et consolationi estis propter egregiam, qua praestatis, religionem, pietatem, ac propter mirum illum amorem, fidem et observantiam, qua Nobis et huic Apostolicae Sedi concordissimis animis obstricti gravissimum episcopale vestrum ministerium strenue ac sedulo implere contenditis. Etenim ab eximio vestro pastorali zelo exspectamus, ut assumentes gladium spiritus, quod est verbum Dei, et confortati in gratia Domini Nostri Jesu Christi, velitis ingeminatis studiis quotidie magis prospicere, ut fideles curae vestrae concrediti "abstineant ab herbis noxiis, quas Jesus Christus non colit, quia non sunt plantatio Patris" [1] Atque eisdem fidelibus inculcare nunquam desinite, omnem

[1] S. Ignatius M. ad Philadelph. 3.

veram felicitatem in homines ex augusta nostra religione, ejusque doctrina et exercitio redundare, ac beatum esse populum, cujus Dominus Deus ejus.[1]

Docete Catholicae fidei fundamento regna subsistere,[2] et nihil tam mortiferum, tam praeceps ad casum, tam expositum ad omnia pericula, si, hoc solum nobis putantes posse sufficere, quod liberum arbitrium, cum nasceremur, accepimus, ultra jam a Domino nihil quaeramus, id est, auctoris nostri obliti, ejus potentiam, ut nos ostendamus liberos, abjuremus.[3] Atque etiam ne omittatis docere regiam potestatem non ad solum mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam,[4] et nihil esse, quod civitatum Principibus et Regibus majori fructui gloriaeque esse possit, quam si, ut sapientissimus fortissimusque alter Praedecessor Noster S. Felix Zenoni Imperatori perscribebat, "Ecclesiam Catholicam . . . . sinant uti legibus suis, nec libertati ejus quemquam permittant obsistere. . . . Certum est enim hoc rebus suis esse salutare, ut, cum de causis Dei agatur, juxta ipsius constitutum, regiam voluntatem Sacerdotibus Christi studeant subdere, non praeferre."[5]

Sed si semper, Venerabiles Fratres, nunc potissimum in tantis Ecclesiae civilisque societatis calamitatibus, in tanta adversariorum contra rem catholicam et hanc Apostolicam Sedem conspiratione tantaque errorum congerie, necesse omnino est, ut adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Quocirca omnium fidelium pietatem excitare existimavimus, ut una Nobiscum Vobisque clementissimum luminum et misericordiarum Patrem ferventissimis humillimisque precibus sine intermissione orent, et obsecrent, et in plenitudine fidei semper confugiant ad Dominum Nostrum Jesum Christum, qui redemit nos Deo in sanguine suo, Ejusque dulcissimum Cor flagrantissimae erga nos caritatis victimam enixe jugiterque exorent, ut

[1] Psalm. 143.
[2] S. Caelest. epist. 22. ad Synod. Ephes. apud Const. p. 1200.
[3] S. Innocent. I. epist. 29. ad. Episc. conc. Carthag. apud Const. p. 891.
[4] S. Leo, Epist. 156. al. 125.
[5] Pius VII. Epist. Encycl. *Diu satis*. 15. Maji, 1800.

amoris sui vinculis omnia ad seipsum trahat, utque omnes homines sanctissimo suo amore inflammati secundum Cor Ejus ambulent digne Deo per omnia placentes, in omni bono opere fructificantes. Cum autem sine dubio gratiores sint Deo hominum preces, si animis ab omni labe puris ad ipsum accedant, idcirco caelestes Ecclesiae thesauros dispensationi Nostrae commissos Christi fidelibus Apostolica liberalitate reserare censuimus, ut iidem fideles ad veram pietatem vehementius incensi ac per Poenitentiae Sacramentum a peccatorum maculis expiati fidentius suas preces ad Deum effundant, ejusque misericordiam et gratiam consequantur.

Hisce igitur Litteris auctoritate Nostra Apostolica omnibus et singulis utriusque sexus catholici orbis fidelibus Plenariam Indulgentiam ad instar Jubilaei concedimus intra unius tantum mensis spatium usque ad totum futurum annum 1865 et non ultra, a Vobis, Venerabiles Fratres, aliisque legitimis locorum Ordinariis statuendum, eodem prorsus modo et forma, qua ab initio supremi Nostri Pontificatus concessimus per Apostolicas Nostras Litteras in forma Brevis die 20 mensis Novembris anno 1846 datas, et ad universum episcopalem vestrum Ordinem missas, quarum initium "Arcano Divinae Providentiae consilio," et cum omnibus eisdem facultatibus, quae per ipsas Litteras a Nobis datae fuerunt. Volumus tamen, ut ea omnia serventur, quae in commemoratis Litteris praescripta sunt, et ea excipiantur, quae excepta esse declaravimus. Atque id concedimus, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque, etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis. Ut autem omnis dubitatio et difficultas amoveatur, earumdem Litterarum exemplar ad Vos perferri jussimus.

"Rogemus, Venerabiles Fratres, de intimo corde et de tota mente misericordiam Dei, quia et ipse addidit dicens: Misericordiam autem meam non dispergam ab eis. Petamus et accipiemus; et si accipiendi mora et tarditas fuerit, quoniam graviter offendimus, pulsemus, quia et pulsanti aperietur, si modo pulsent ostium preces, gemitus et lacrymae nostrae, quibus insistere et immorari oportet, et si sit unanimis oratio

. . . . unusquisque oret Deum non pro se tantum, sed pro omnibus fratribus, sicut Dominus orare nos docuit."[1] Quo vero facilius Deus Nostris Vestrisque, et omnium fidelium precibus votisque annuat, cum omni fiducia deprecatricem apud Eum adhibeamus Immaculatam sanctissimamque Deiparam Virginem Mariam, quae cunctas haereses interemit in universo mundo, quaeque omnium nostrum amantissima Mater "tota suavis est . . . ac plena misericordiae, . . . omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam praebet, omnium necessitates amplissimo quodam miseratur affectu,"[2] atque utpote Regina adstans a dextris Unigeniti Filii Sui Domini Nostri Jesu Christi in vestitu deaurato circumamicta varietate, nihil est, quod ab Eo impetrare non valeat. Suffragia quoque petamus Beatissimi Petri Apostolorum Principis, et Co-apostoli ejus Pauli, omniumque Sanctorum Caelitum, qui facti jam amici Dei pervenerunt ad caelestia regna, et coronati possident palmam, ac de sua immortalitate securi, de nostra sunt salute solliciti.

Denique caelestium omnium donorum copiam Vobis a Deo ex animo adprecantes, singularis Nostrae in Vos caritatis pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus curae vestrae commissis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII. Decembris anno 1864, decimo a Dogmatica Definitione Immaculatae Conceptionis Deiparae Virginis Mariae.

Pontificatus Nostri Anno decimo nono.

PIUS PP. IX.

[1] S. Cyprian. Epist. II.

[2] S. Bernard. Serm. de duodecim praerogativis B. V. M. ex verbis Apocalyp.

II.

SYLLABUS,

COMPLECTENS PRAECIPUOS NOSTRAE AETATIS ERRORES QUI NOTANTUR IN ALLOCUTIONIBUS CONSISTORIALIBUS, IN ENCYCLICIS, ALIISQUE APOSTOLICIS LITTERIS SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII PAPAE IX.

---

§ I.

Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus.

I. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum exsistit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura et idcirco immutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et justum cum injusto.

Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii, 1862.

II. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.

Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii, 1862.

III. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex, et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.

Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii, 1862.

IV. Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma, qua homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 Novembris, 1846.
Epist. encycl. *Singulari quidem* 17 Martii, 1856.
Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii, 1862.

V. Divina revelatio est imperfecta et idcirco subjecta continuo et indefinito progressui, qui humanae rationis progressioni respondeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 Novembris, 1846.
Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii, 1862.

VI. Christi fides humanae refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 Novembris, 1846.
Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii, 1862.

VII. Prophetiae et miracula in sacris Litteris exposita et narrata sunt poetarum commenta, et christianae fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Jesus Christus est mythica fictio.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 Novembris, 1846.
Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii, 1862.

§ II.

Rationalismus moderatus.

VIII. Quum ratio humana ipsi religioni aequiparetur, idcirco theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt.

Alloc. *Singulari quadam perfusi* 9 Decembris, 1854.

IX. Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae sunt objectum naturalis scientiae seu philosophiae; et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo haec dogmata ipsi rationi tamquam objectum proposita fuerint.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11 Decembris, 1862.
Epist. ad eumdem *Tuas libenter* 21 Decembris, 1863.

X. Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille jus et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse

probaverit: at philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoritati.

Epist. ad Archiep, Frising. *Gravissimas* 11 Decembris, 1862.
Epist. ad eumdem *Tuas libenter* 21 Decembris, 1863.

XI. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiae tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11 Decembris, 1862.

XII. Apostolicae Sedis Romanarumque Congregationum decreta liberum scientiae progressum impediunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 Decembris, 1863.

XIII. Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 Decembris, 1863.

XIV. Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 Decembris, 1863.

NB. Cum rationalismi systemate cohaerent maximam partem errores Antonii Günther, qui damnantur in Epist. ad Card. Archiep. Coloniensem *Eximiam tuam*, 15 Junii 1857, et in Epist. ad Episc. Wratislaviensem *Dolore haud mediocri*, 30 Aprilis 1860.

§ III.

Indifferentismus, Latitudinarismus.

XV. Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 Junii, 1851.
Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii, 1862.

XVI. Homines in cujusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire aeternamque salutem assequi possunt.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 Novembris, 1846.
Alloc. *Ubi primum* 17 Decembris, 1847.
Epist. encycl. *Singulari quadem* 17 Martii, 1856.

XVII. Saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.

Alloc. *Singulari quadam* 9 Decembris, 1854.
Epist. encycl. *Quanto conficiamur* 17 Augusti, 1863.

XVIII. Protestantismus non aliud est quam diversa verae ejusdem christianae religionis forma, in qua aeque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est.

Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8 Decembris, 1849.

§ IV.

Socialismus, Communismus, Societates Clandestinae, Societates Biblicae, Societates Clerico-liberales.

Ejusmodi pestes saepe gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 Novembr., 1846; in Alloc. *Quibus quantisque* 20 April., 1849; in Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8 Dec., 1849; in Alloc. *Singulari quadam* 9 Dec., 1854: in Epist. encycl. *Quanto conficiamur moerore* 10 Augusti, 1863.

§ V.

Errores de Ecclesia ejusque juribus.

XIX. Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat.

Alloc. *Singulari quadam* 9 Decembris, 1854.
Alloc. *Multis gravibusque* 17 Decembris, 1860.
Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii, 1862.

XX. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu.

Alloc. *Meminit unusquisque* 30 Septembris, 1861.

XXI. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi, religionem catholicae Ecclesiae esse unice veram religionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 Junii, 1851.

XXII. Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 Decembris, 1863.

XXIII. Romani Pontifices et Concilia oecumenica a limitibus suae potestatis recesserunt, jura Principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 Junii, 1851.

XXIV. Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 Augusti, 1851.

XXV. Praeter potestatem episcopatui inhaerentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 Augusti, 1851.

XXVI. Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi.

Alloc. *Nunquam fore* 19 Decembris, 1856.
Epist. encycl. *Incredibili* 17 Septembris, 1863.

XXVII. Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.

Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii, 1862.

XXVIII. Episcopis, sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas apostolicas litteras promulgare.

Alloc. *Nunquam fore* 15 Decembris, 1856.

XXIX. Gratiae a Romano Pontifice concessae existimari debent tamquam irritae, nisi per Gubernium fuerint imploratae.

Alloc. *Nunquam fore* 15 Decembris, 1856.

XXX. Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 Junii, 1851.

XXXI. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.

Alloc. *Acerbissimum* 27 Septembris, 1852.
Alloc. *Nunquam fore* 15 Decembris, 1856.

XXXII. Absque ulla naturalis juris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.

Epist. ad Episc. Montisregal. *Singularis Nobisque* 29 Septembris, 1864.

XXXIII. Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere theologicarum rerum doctrinam.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 Decembris, 1863.

XXXIV. Doctrina comparantium Romanum Pontificem Principi libero et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quae medio aevo praevaluit.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 Augusti, 1851.

XXXV. Nihil vetat, alicujus Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 Augusti, 1851.

XXXVI. Nationalis concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 Augusti, 1851.

XXXVII. Institui possunt nationales Ecclesiae ab auctoritate Romani Pontificis subductae planeque divisae.

Alloc. *Multis gravibusque* 17 Decembris, 1860.
Alloc. *Jamdudum cernimus* 18 Martii, 1861.

XXXVIII. Divisioni Ecclesiae in orientalem aque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 Augusti, 1851.

§ VI.

Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata.

XXXIX. Reipublicae status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii, 1862.

XL. Catholicae Ecclesiae doctrina humanae societatis bono et commodis adversatur.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 Novembris, 1846.
Alloc. *Quibus quantisque* 20 Aprilis, 1849.

XLI. Civili potestati vel ab infideli imperanti exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum jus quod vocant *exequatur*, sed etiam jus *appellationis* quam nuncupant *ab abusu*.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 Augusti, 1851.

XLII. In conflictu legum utriusque potestatis jus civile praevalet.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 Augusti, 1851.

XLIII. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo *Concordata*) super usu jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine hujus consensu, immo et ea reclamante.

Alloc. *In consistoriali* 1 Novembris, 1850.
Alloc. *Multis gravibusque* 17 Decembris, 1860.

XLIV. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.

Alloc. *In consistoriali* 1 Novembris, 1850.
Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii, 1862.

XLV. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianae alicujus Reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili; et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.

Alloc. *In consistoriali* 1 Novembris, 1850.
Alloc. *Quibus luctuosissimis* 5 Septembris, 1851.

XLVI. Immo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur.

Alloc. *Nunquam fore* 15 Decembris, 1856.

XLVII. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subjiciantur ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine* 14 Julii, 1864.

XLVIII. Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate sejuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectet.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine* 14 Julii, 1864.

XLIX. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.

Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii, 1862.

L. Laica auctoritas habet per se jus praesentandi episcopos, et potest ab illis exigere ut ineant dioecesium procurationem, antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et apostolicas litteras accipiant.

Alloc. *Nunquam fore* 15 Decembris, 1856.

LI. Immo laicum gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quae episcopatuum et episcoporum respiciunt institutionem.

Litt Apost. *Multiplices inter* 10 Junii, 1851.
Alloc. *Acerbissimum* 27 Septembris, 1852.

LII. Gubernium potest suo jure immutare aetatem ab Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.

Alloc. *Nunquam fore* 15 Decembris, 1856.

LIII. Abrogandae sunt leges quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque jura et officia pertinent; immo potest civile gubernium iis omnibus auxilium praestare, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem familias perinde ac collegiatas ecclesias et beneficia simplicia etiam juris patronatus penitus extinguere, illorumque bona et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subjicere et vindicare.

Alloc. *Acerbissimum* 27 Septembris, 1852.
Alloc. *Probe memineritis* 22 Januarii, 1855.
Alloc. *Cum saepe* 26 Julii, 1855.

LIV. Reges et Principes non solum ab Ecclesiae jurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 Junii, 1851.

LV. Ecclesia a Statu, Status ab Ecclesia sejungendus est.

Alloc. *Acerbissimum* 27 Septembris, 1852.

§ VII.

Errores de Ethica naturali et christiana.

LVI. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanae leges ad naturae jus conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant.

Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii, 1862.

LVII. Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.

Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii, 1862.

LVIII. Aliae vires non sunt agnoscendae nisi illae, quae in materia positae sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis.

Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii, 1862.
Epist. encycl. *Quanto conficiamur* 10 Augusti, 1863.

LIX. Jus in materiali facto constitit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta juris vim habent.

Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii, 1862.

LX. Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium virium summa.

Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii, 1862.

LXI. Fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert.

Alloc. *Jamdudum cernimus* 18 Martii, 1861.

LXII. Proclamandum est et observandum principium quod vocant de *non-interventu*.

Alloc. *Novos et ante* 28 Septembris, 1860.

LXIII. Legitimis principibus obedientiam detrectare, immo et rebellare licet.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 Novembris, 1846.
Alloc. *Quisque vestrum* 4 Octobris, 1847.
Epist. encycl. *Noscitis et nobiscum* 8 Decembris, 1849.
Litt. Apost. *Cum catholica* 26 Martii, 1860.

LXIV. Tum cujusque sanctissimi juramenti violatio, tum quaelibet scelesta flagitiosaque actio sempiternae legi repugnans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita summisque laudibus efferenda, quando id pro patriae amore agatur.

Alloc. *Quibus quantisque* 20 Aprilis, 1849.

§ VIII.

Errores de Matrimonio Christiano.

LXV. Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 Augusti, 1851.

LXVI. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 Augusti, 1851.

LXVII. Jure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 Augusti, 1851.
Alloc. *Acerbissimum* 27 Septembris, 1852.

LXVIII. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 Junii, 1851.

LXIX. Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepit, non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 Augusti, 1851.

LXX. Tridentini canones, qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 Augusti, 1851.

LXXI. Tridentini forma sub infirmitatis poena non obligat, ubi lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 Augusti, 1851.

LXXII. Bonifacius VIII. votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 Augusti, 1851.

LXXIII. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 Augusti, 1851.
Lettera di S. S. PIO IX. al Rè di Sardegna, 9 Settembre, 1852.
Alloc. *Acerbissimum* 27 Septembris, 1852.
Alloc. *Multis gravibusque* 17 Decembris, 1860.

LXXIV. Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 Augusti, 1851.
Alloc. *Acerbissimum* 27 Septembris, 1852.

NB. Huc facere possunt duo alii errores, de clericorum coelibatu abolendo et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. (Confodiuntur, prior in epist. encycl. *Qui pluribus* 9 Novembris, 1846, posterior in Litteris Apost. *Multiplices inter* 10 Junii, 1851.)

§ IX.

Errores de civili Romani Pontificis principatu.

LXXV. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 Augusti, 1851.

LXXVI. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.

Alloc. *Quibus quantisque* 20 Aprilis, 1849.

NB. Praeter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur, proposita et asserta doctrina, quam catholici omnes firmissime retinere debeant, de civili Romani Pontificis principatu. (Ejusmodi doctrina luculenter traditur in Alloc. *Quibus quantisque* 20 April., 1849; in Alloc. *Si*

semper antea 20 Maji, 1850; in Litt. Apost. *Cum catholica Ecclesia* 26 Mart., 1860; in Alloc. *Novos* 28 Sept., 1860; in Alloc. *Jamdudum* 18 Mart., 1861; in Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii, 1862.)

§ X.

Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.

LXXVII. Aetate hac nostra non amplius expedit, religionem catholicam haberi tamquam unicam status religionem, ceteris quibuscumque cultibus exclusis.

Alloc. *Nemo vestrum* 26 Julii, 1855.

LXXVIII. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus facilius exercitium habere.

Alloc. *Acerbissimum* 27 Septembris, 1852.

LXXIX. Enimvero falsum est, civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam.

Alloc. *Nunquam fore* 15 Decembris, 1856.

LXXX. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere.

Alloc. *Jamdudum cernimus* 18 Martii, 1861.

III.

CONSTITUTIONES DOGMATICAE
SACROSANCTI
OECUMENICI CONCILII VATICANI.

CONSTITUTIO DOGMATICA
DE FIDE CATHOLICA,
EDITA IN SESSIONE TERTIA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
SACRO APPROBANTE CONCILIO
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Dei Filius et generis humani Redemptor Dominus Noster Jesus Christus, ad Patrem caelestem rediturus, cum Ecclesia sua in terris militante omnibus diebus usque ad consummationem saeculi futurum se esse promisit. Quare dilectae sponsae praesto esse, adsistere docenti, operanti benedicere, periclitanti opem ferre nullo unquam tempore destitit. Haec vero salutaris ejus providentia, cum ex aliis beneficiis innumeris continenter apparuit, tum iis manifestissime comperta est fructibus, qui orbi christiano e Conciliis oecumenicis ac nominatim e Tridentino, iniquis licet temporibus celebrato, amplissimi provenerunt. Hinc enim sanctissima religionis dogmata pressius definita uberiusque exposita, errores damnati atque cohibiti; hinc ecclesiastica disciplina restituta firmiusque sancita, promotum in Clero scientiae et pietatis studium, parata adolescentibus ad sacram militiam educandis collegia, christiani denique populi mores et accuratiore fidelium eruditione et frequentiore sacramentorum usu instaurati. Hinc praeterea

arctior membrorum cum visibili capite communio, universoque corpori Christi mystico additus vigor; hinc religiosae multiplicatae familiae, aliaque christianae pietatis instituta; hinc ille etiam assiduus et usque ad sanguinis effusionem constans ardor in Christi regno late per orbem propagando.

Verumtamen haec aliaque insignia emolumenta, quae per ultimam maxime oecumenicam Synodum divina clementia Ecclesiae largita est, dum grato, quo par est, animo recolimus, acerbum compescere haud possumus dolorem ob mala gravissima, inde potissimum orta, quod ejusdem sacrosanctae Synodi apud permultos vel auctoritas contempta, vel sapientissima neglecta fuere decreta.

Nemo enim ignorat, haereses, quas Tridentini Patres proscripserunt, dum, rejecto divino Ecclesiae magisterio, res ad religionem spectantes privati cujusvis judicio permitterentur, in sectas paullatim dissolutas esse multiplices, quibus inter se dissentientibus et concertantibus, omnis tandem in Christum fides apud non paucos labefactata est. Itaque ipsa sacra Biblia, quae antea christianae doctrinae unicus fons et judex asserebantur, jam non pro divinis haberi, imo mythicis commentis accenseri coeperunt.

Tum nata est et late nimis per orbem vagata illa rationalismi seu naturalismi doctrina, quae religioni christianae, utpote supernaturali instituto, per omnia adversans, summo studio molitur, ut Christo, qui solus Dominus et Salvator noster est, a mentibus humanis, a vita et moribus populorum excluso, merae quod vocant rationis vel naturae regnum stabiliatur. Relicta autem projectaque christiana religione, negato vero Deo et Christo ejus, prolapsa tandem est multorum mens in pantheismi, materialismi, atheismi barathrum, ut jam ipsam rationalem naturam, omnemque justi rectique normam negantes, ima humanae societatis fundamenta diruere connitantur.

Hac porro impietate circumquaque grassante, infeliciter contigit, ut plures etiam e catholicae Ecclesiae filiis a via verae pietatis aberrarent, in iisque, diminutis paullatim veritatibus, sensus catholicus attenuaretur. Variis enim ac peregrinis doctrinis abducti, naturam et gratiam, scientiam humanam et

fidem divinam perperam commiscentes, genuinum sensum dogmatum, quem tenet ac docet Sancta Mater Ecclesia, depravare, integritatemque et sinceritatem fidei in periculum adducere comperiuntur.

Quibus omnibus perspectis, fieri quî potest, ut non commoveantur intima Ecclesiae viscera? Quemadmodum enim Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; quemadmodum Christus venit, ut salvum faceret, quod perierat, et filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum: ita Ecclesia, a Deo populorum mater et magistra constituta, omnibus debitricem se novit, ac lapsos erigere, labantes sustinere, revertentes amplecti, confirmare bonos et ad meliora provehere parata semper et intenta est. Quapropter nullo tempore a Dei veritate, quae sanat omnia, testanda et praedicanda quiescere potest, sibi dictum esse non ignorans; "Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo amodo et usque in sempiternum."[1]

Nos itaque, inhaerentes Praedecessorum Nostrorum vestigiis, pro supremo Nostro Apostolico munere veritatem catholicam docere ac tueri, perversasque doctrinas reprobare nunquam intermisimus. Nunc autem sedentibus Nobiscum et judicantibus universi orbis Episcopis, in hanc oecumenicam Synodum auctoritate Nostra in Spiritu Sancto congregatis, innixi Dei verbo scripto et tradito, prout ab Ecclesia catholica sancte custoditum et genuine expositum accepimus, ex hac Petri Cathedra in conspectu omnium salutarem Christi doctrinam profiteri et declarare constituimus, adversis erroribus potestate nobis a Deo tradita proscriptis atque damnatis.

CAPUT I.

De Deo rerum omnium Creatore.

Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum caeli et terrae, omnipotentem, aeternum, immensum,

[1] Isa. lix. 21.

incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus.

Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanum quasi communem ex spiritu et corpore constitutam.[1]

Universa vero, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter.[2] Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus,[3] ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt.

CAPUT II.

De Revelatione.

Eadem Sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur:[4] attamen placuisse ejus sapientiae et bonitati, alia, eaque supernaturali via, se ipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano generi revelare, dicente Apostolo: "Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio."[5]

Huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria

[1] Conc. Later. iv. c. 1. *Firmiter.* [2] Sap. viii. 1.
[3] Hebr. iv. 13. [4] Rom. i. 20. [5] Hebr. i. 1-2.

dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant; siquidem oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum.[1]

Haec porro supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem a sancta Tridentina Synodo declaratam, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt.[2] Qui quidem veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in ejusdem Concilii decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.

Quoniam vero, quae sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari.

CAPUT III.

De Fide.

Quum homo a Deo tanquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae Veritati penitus subjecta

[1] 1. Cor. ii. 9. [2] Conc. Trid. sess. IV. Decr. de Can. Script.

sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur. Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. Est emin fides, testante Apostolo, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.[1]

Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa jungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata. Quare tum Moyses et Prophetae, tum ipse maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula et prophetias ediderunt; et de Apostolis legimus: "Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis."[2] Et rursum scriptum est: "Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco."[3]

Licet autem fidei assensus nequaquam sit motus animi caecus: nemo tamen evangelicae praedicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati.[4] Quare fides ipsa in se, etiamsi per charitatem non operetur, donum Dei est, et actus ejus est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratia ejus, cui resistere posset, consentiendo et cooperando.

Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.

[1] Hebr. xi. 1.
[2] Marc. xvi. 20.
[3] 2 Petr. i. 19.
[4] Syn. Araus. II. can. 7.

Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire; ideo nemini unquam sine illa contigit justificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam aeternam assequetur. Ut autem officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.

Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes,[1] et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur. Cui quidem testimonio efficax subsidium accedit ex superna virtute. Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adjuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint; et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens, nisi deseratur. Quocirca minime par est conditio eorum, qui per caeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt justam causam mutandi, aut in dubium fidem eamdem revocandi. Quae cum ita sint, gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, tantam ne negligamus salutem, sed aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem.

[1] Is. xi. 12.

CAPUT IV.

De Fide et Ratione.

Hoc quoque perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed objecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; objecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. Quocirca Apostolus, qui a gentibus Deum per ea, quae facta sunt, cognitum esse testatur, disserens tamen de gratia et veritate, quae per Jesum Christum facta est,[1] pronuntiat: "Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus saeculi cognovit." "Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei."[2] Et ipse Unigenitus confitetur Patri, quia abscondit haec a sapientibus, et prudentibus, et revelavit ea parvulis.[3]

Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo; nunquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quae proprium ipsius objectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, et non per speciem.[4]

Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem

[1] Ioan. i. 17.
[2] 1 Cor. ii. 7, 8, 10.
[3] Matt. xi. 25.
[4] 2 Cor. v. 7.

Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatae fidei contrarium omnino falsam esse definimus.[1] Porro Ecclesia, quae una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit, fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam, et inanem fallaciam.[2] Quapropter omnes christiani fideles hujusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tanquam legitimas scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem prae se ferant, habere, tenentur omnino.

Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc multis modis juvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur imo, eas, quemadmodum a Deo, scientiarum Domino, profectae sunt, ita si rite pertractentur, ad Deum, juvante ejus gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat, ne hujusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed justam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, ea, quae sunt fidei, occupent et perturbent.

Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perfi-

[1] Conc. Lat. V. Bulla *Apostolici regiminis.*
[2] Coloss. ii. 8.

cienda, sed tanquam divinum depositum Christi Sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu, altioris intelligentiae specie et nomine, recedendum. Crescat igitur et multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia.[1]

CANONES.

I.

De Deo rerum omnium Creatore.

1. Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit; anathema sit.

2. Si quis praeter materiam nihil esse affirmare non erubuerit; anathema sit.

3. Si quis dixerit, unam eandemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam; anathema sit.

4. Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas tum spirituales, aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse; aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia; aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam; anathema sit.

5. Si quis non confiteatur, mundum, resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas; aut Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum; aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit; anathema sit.

[1] Vinc. Ler. Common. n. 28.

II.

De Revelatione.

1. Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse; anathema sit.

2. Si quis dixerit, fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendo edoceatur; anathema sit.

3. Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem jugi profectu pertingere posse et debere; anathema sit.

4. Si quis sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit; anathema sit.

III.

De Fide.

1. Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit; anathema sit.

2. Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur; anathema sit.

3. Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere; anathema sit.

4. Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari; anathema sit.

5. Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci; aut ad solam fidem vivam, quae per charitatem operatur, gratiam Dei necessariam esse; anathema sit.

6. Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici justam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiae magisterio jam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint; anathema sit.

IV.

De Fide et Ratione.

1. Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria continere, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari; anathema sit.

2. Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tanquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint; anathema sit.

3. Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia; anathema sit.

Itaque supremi pastoralis Nostri officii debitum exequentes, omnes Christi fideles, maxime vero eos, qui praesunt vel docendi munere funguntur, per viscera Jesu Christi obtestamur, necnon ejusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate jubemus, ut ad hos errores a Sancta Ecclesia arcendos et eliminandos, atque purissimae fidei lucem pandendam studium et operam conferant.

Quoniam vero satis non est, haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt; omnes officii monemus, servandi etiam Constitutiones et Decreta, quibus pravae ejusmodi opiniones,

quae isthic diserte non enumerantur, ab hac Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt.

Datum Romae in publica Sessione in Vaticana Basilica solemniter celebrata, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo, die vigesima quarta Aprilis.

Pontificatus Nostri anno vigesimo quarto.

CONSTITUTIO DOGMATICA PRIMA

DE ECCLESIA CHRISTI,

EDITA IN SESSIONE QUARTA.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

SACRO APPROBANTE CONCILIO

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Pastor aeternus et Episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo continerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, rogavit Patrem non pro Apostolis tantum, sed et pro eis, qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt. Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre: ita in Ecclesia sua Pastores et Doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum caeteris Apostolis praeponens in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cujus fortitudinem aeternum exstrueretur

templum, et Ecclesiae caelo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurgeret.[1] Et quoniam portae inferi ad evertendam, si fieri posset, Ecclesiam contra ejus fundamentum divinitus positum majori in dies odio undique insurgunt; Nos ad catholici gregis custodiam, incolumitatem, augmentum, necessarium esse judicamus, sacro approbante Concilio, doctrinam de institutione, perpetuitate ac natura sacri Apostolici primatus, in quo totius Ecclesiae vis ac soliditas consistit, cunctis fidelibus credendam et tenendam, secundum antiquam atque constantem universalis Ecclesiae fidem proponere, atque contrarios, dominico gregi adeo perniciosos, errores proscribere et condemnare.

CAPUT I.

De Apostolici Primatus in beato Petro institutione.

Docemus itaque et declaramus, juxta Evangelii testimonia primatum jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Unum enim Simonem, cui jam pridem dixerat: "Tu vocaberis Cephas,"[2] postquam ille suam edidit confessionem inquiens: "Tu es Christus, Filius Dei vivi," solemnibus his verbis allocutus est Dominus: "Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in caelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis."[3] Atque uni Simoni Petro contulit Jesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris jurisdictionem in totum suum ovile, dicens, "Pasce agnos meos: Pasce oves meas."[4] Huic tam manifestae sacrarum Scripturarum doctrinae, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravae eorum sententiae, qui constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes negant, solum Petrum prae caeteris

[1] S. Leo M. Serm. IV. (al. III.) cap. 2, in diem Natalis sui.
[2] Ioan. i. 42. [3] Matth. xvi. 16-19. [4] Ioan. xxi. 15-17.

Apostolis, sive seorsum singulis sive omnibus simul, vero proprioque jurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum; aut qui affirmant, eundem primatum non immediate, directeque ipsi beato Petro, sed Ecclesiae, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiae ministro delatum fuisse.

Si quis igitur dixerit, beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput; vel eundem honoris tantum non autem verae propriaeque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediate accepisse; anathema sit.

CAPUT II.

De perpetuitate Primatus beati Petri in Romanis Pontificibus.

Quod autem in beato Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Jesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id, eodem auctore, in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est. Nulli sane dubium, imo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit: qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, episcopis sanctae Romanae Sedis ab ipso fundatae, ejusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et judicium exercet.[1] Unde quicumque in hac Cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit.[2] Hac de causa ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse semper fuit omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, ut in ea Sede, e qua venerendae communionis jura in

[1] Cf. Ephesini Conc. Act. III. [2] S. Leo M. Serm. III. (al. II.) cap. 3.

omnes dimanant, tamquam membra in capite consociata, in unam corporis compagem coalescerent.[1]

Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu jure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem; anathema sit.

CAPUT III.

De vi et ratione Primatus Romani Pontificis.

Quapropter apertis innixi sacrarum litterarum testimoniis, et inhaerentes tum Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum, tum Conciliorum generalium disertis, perspicuisque decretis, innovamus oecumenici Concilii Florentini definitionem, qua credendum ab omnibus Christi fidelibus est, sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur.

Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis jurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse: erga quam cujuscumqe ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis, veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi

[1] S. Iren. adv. Haer. l. III. c. 3 et Conc. Aquileien a. 381. inter epp. S. Ambros. ep. xi.

sit unus grex sub uno summo pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare, salva fide atque salute, nemo potest.

Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis jurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni: "Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur."[1]

Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam jus eidem esse consequitur, in hujus sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eandem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur.

Et quoniam divino Apostolici primatus jure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus, eum esse judicem supremum fidelium,[2] et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium recurri;[3] Sedis vero Apostolicae, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio.[4] Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere ab judiciis Romanorum Pontificum ad oecumenicum Concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare.

[1] Ep. ad Eulog. Alexandrin. l. VIII. ep. xxx.
[2] Pii PP. VI. Breve, Super soliditate, 28 Nov., 1786.
[3] Concil. Oecum. Lugdun. II.
[4] Ep. S. Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem.

Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremae potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.

CAPUT IV.

De Romani Pontificis infallibili magisterio.

Ipso autem Apostolico primatu, quem Romanus Pontifex tamquam Petri principis Apostolorum successor in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendi, haec Sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiae usus comprobat, ipsaque oecumenica Concilia, ea imprimis, in quibus Oriens cum Occidente in fidei charitatisque unionem conveniebat, declaraverunt. Patres enim Concilii Constantinopolitani quarti, majorum vestigiis inhaerentes, hanc solemnem ediderunt professionem: Prima salus est, rectae fidei regulam custodire. Et quia non potest Domini nostri Jesu Christi praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo fide et doctrina separari minime cupientes, speramus ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera Christianae religionis soliditas.[1] Approbante vero Lugdunensi Concilio secundo, Graeci professi sunt: Sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in

[1] Ex formula S. Hormisdae Papae, prout ab Hadriano II. Patribus Concilii Oecumenici VIII., Constantinopolitani IV., proposita et ab iisdem subscripta est.

beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit; et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent judicio definiri. Florentinum denique Concilium definivit: Pontificem Romanum, verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem et doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.

Huic pastorali muneri ut satisfacerent, Praedecessores Nostri indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud omnes terrae populos propagaretur, parique cura vigilarunt, ut, ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis Antistites nunc singuli, nunc in Synodis congregati, longam ecclesiarum consuetudinem et antiquae regulae formam sequentes, ea praesertim pericula, quae in negotiis fidei emergebant, ad hanc Sedem Apostolicam retulerunt, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum.[1] Romani autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis oecumenicis Conciliis aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per Synodos particulares, nunc aliis, quae divina suppeditabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt, quae sacris Scripturis et apostolicis Traditionibus consentanea, Deo adjutore, cognoverant. Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent. Quorum quidem apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt; plenissime scientes, hanc sancti Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum principi factam: "Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos."[2]

[1] Cf. S. Bern. Epist. cxc. [2] Luc. xxii. 32.

Hoc igitur veritatis et fidei numquam deficientis charisma Petro ejusque in hac Cathedra successoribus divinitus collatum est, ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus, caelestis doctrinae pabulo nutriretur, ut sublata schismatis occasione Ecclesia tota una conservaretur, atque suo fundamento innixa, firma adversus inferi portas consisteret.

At vero cum ipsa aetate, qua salutifera Apostolici muneris efficacia vel maxime requiritur non pauci inveniantur, qui illius anctoritati obtrectant; necessarium omnino esse censemus, praerogativam, quam unigenitus Dei Filius cum summo pastorali officio conjungere dignatus est, solemniter asserere.

Itaque Nos traditioni a fidei Christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis Catholicae exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse.

Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit; anathema sit.

Datum Romae, in publica Sessione in Vaticana Basilica solemniter celebrata, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo, die decima octava Julii.

Pontificatus Nostri anno vigesimo quinto.

IV.

DE LITTERIS COMMENDATITIIS EXIGENDIS.

EPISTOLA S. CONG. DE PROP. FIDE.

ILLME. AC RME. DOMINE,

Prudenti saluberrimoque consilio ab antiquis temporibus constitutum fuit ut clerici, praesertim vero sacerdotes vagi et ignoti, temere ab Episcopis non reciperentur; bene vero vitae et conversationis, nec non ministerii alibi peracti, probatio perspicua ab iis exigeretur. Nam quia tales clerici, nulla testimonii fide commendati, solent esse suspecti; ac saepe criminosi, vel alias irregulares, fugitivi, vel in exilium missi dignoscuntur; oportet, ad malitias hominum praecavendas fraudesque vitandas, diligenter circa ipsos inquirere antequam illis Sacrificii celebratio ac Sacramentorum ministratio permittatur. Hinc sapientissime a Concilio Tridentino, Sess. xxiii. c. 16. de Reform., decretum est ut "Nullus Clericus peregrinus sine commendatitiis sui Ordinarii litteris ab ullo Episcopo ad Divina celebranda ac Sacramenta ministranda admittatur." Quam Patrum Tridentinorum constitutionem ad hanc usque diem diligenter observari per totum orbem Apostolica Sedes constanter curavit. Quare etiam in recentioribus Conciliis, praesertim Baltimorensibus, providae cautiones eadem super re determinatae fuerunt.

Graviter itaque tulit Sacra Congregatio de Propaganda Fide quod non semel ad ejus aures pervenit quandoque in ecclesiis missionum contingere ut facile in dioeceses recipiantur presbyteri et clerici quin litteras commendatitias praedictas afferant, immo et sine iisdem ab una ecclesia discedant et in aliam transmeare audeant. Quo factum est ut nonnulli sacerdotes potius scandalo quam exemplo fidelibus quandoque fuerint; ac non in aedificationem, bene vero in destructionem.

Quapropter, ne similibus damnis via in posterum pateat, omnino mandat S. Congregatio omnibus Episcopis in locis missionum degentibus, nec non Vicariis ac Praefectis Apostolicis, ut, omni tergiversatione seposita, litteras commendatitias suorum Episcoporum a clericis et sacerdotibus peregrinis exigant; qui vero iis careant nullimode recipiantur.

Hoc significandum Amplitudini Tuae erat; ego vero precor Deum ut te diutissime sospitem servet.

Romae ex Aedibus S. C., die 20 Aprilis, 1873.

Addictissimus in Christo Frater,

AL. CARD. BARNABÒ.

Pro R. P. D. Secretario:

L. ✠ S. ACHILL. CAN. RINALDINI,

S. Cong. Officialis.

V.

DE LIBRIS CAPITULARIBUS EPISCOPO EXHIBENDIS.

RESCRIPTUM S. CONGREG. CONCILII.

(Ad Decretum VIII., 2.)

Die 2 *Augusti,* 1869. Sacra Congregatio Emorum. S. Romanae Ecclesiae Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum rescribi mandavit:[1] Provisum per Synodum Provincialem Westmonasterien. anni 1852, typis editam anno 1853, et a S. Congregatione de Propaganda Fide recognitam et approbatam Decreto diei 14 Maii, 1853, Parte 2, *de Statutis Capitularibus,* ix., n. 50, pag. 100—"Copiae resolutionum Capitularium Episcopo requirenti, utpote cui incumbit invigilare et recognoscere ne

[1] Quaestio erat, utrum debeat Capitulum Episcopo, id intra civitatem requirenti librum capitularem exhibere integrum, et non tantum deliberationum capitularium copias; ac praeterea utrum, tempore visitationis, Capitulum teneatur archivium suum, absque ulla reservatione, Episcopo aperire.

quidquam per Capitulares decernatur contra juris dispositionem, vel in praejudicium Ecclesiae, a Canonicis denegari non possunt, illasque a Canonicis Episcopus exigere valet sub poenis et censuris." Insuper dari jussit resolutionem in Alben. S. Rituum Congregationis diei 19 Sept. 1710, Congnis. Particularis, ad 34 et 35: nempe 34. "Ad Capitulum teneatur retinere librum, in quo distincte adnotentur omnes resolutiones Capitulares; et alium, in quo similiter adnotentur introitus et exitus proventuum Massae Capitularis?" 35. "An Capitulum teneatur exhibere Episcopo dictos libros toties quoties illi videbitur?" S. Congregatio respondit, ad. 34. *Affirmative;* ad 35. *Affirmative ex rationabili causa.*

P. CARD. CATERINI,
Praefectus.

L. ✠ S. P. ARCHIEP. SARDIANUS, *Secr.*

VI.

DE PROMOVENDIS AD EPISCOPATUM.

(*Ad Decretum VIII.*, 3.)

NOTIONES AC QUAESTIONES CIRCA QUALITATES QUAE NECESSARIAE SUNT IN PROMOVENDIS AD EPISCOPALE MUNUS AC DIGNITATEM.

1. Nomen, cognomen, aetas, patria Candidati.

2. Cujus Dioecesis sit ac Provinciae Ecclesiasticae.

3. Ubinam studiis theologicis vacaverit, et quo profectu.

4. An gradus assecutus fuerit, et quos.

5. An professor extiterit, et cujus facultatis.

6. An et ubi missiones sacras obiverit, et quam in eis experientiam obtinuerit.

7. Quot linguas calleat, et quas.

8. Quibus officiis sit perfunctus et quo successu.

9. Quam prudentiam exhibuerit in deliberationibus et agendi ratione.

10. An sit corpore sanus; frugi, patiens, atque in administratione rerum temporalium versatus.

11. Utrum sit propositi tenax, an ingenio mutabilis.

12. Num gaudeat fama honestatis, et an fuerit unquam in eo quid contra mores.

13. An in exercendis sacerdotalibus muniis sit attentus, compositus cum aedificatione, rubricarum studiosus observator.

14. An habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus, gravitatem ac religionem praeseferat.

VII.

DE OBLIGATIONIBUS MISSARUM.

EX DECRETIS S. CONG. CONCILII AB URBANO VIII. ET INNOC. XII. CONFIRMATIS.[1]

(*Ad Decretum X.*, 11.)

"§ 3. . . . S. Congregatio sub obtestatione Divini judicii mandat, ac praecipit, ut absolute tot Missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint, ita ut alioquin ii ad quos pertinet suae obligationi non satisfaciant, quinimmo graviter peccent, et ad restitutionem teneantur.

"§ 5. Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet sacerdoti, qui Missam suscipit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.

"§ 6. Praeterea, ne in ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum reposita sunt, sacerdotes, in eis ut par est adimplendis, eo tepidiores ac segniores reddantur quod onera hujusmodi cum nulla aut parva sint utilitate conjuncta, statuit, ac decernit, ut pecuniae ac bona mobilia ecclesiis, capitulis, collegiis, hospitalibus, societatibus, congregationibus, monasteriis, conventibus, ac locis omnibus, tam saecularibus quam regularibus, atque illorum personis, in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandaram, ab iis ad quos

[1] Ferraris, *Prompta Bibliotheca*, de Missae Sacrificio. Art. 2.

pertinet, sub poena interdicti ab ingressu ecclesiae ipso facto incurrenda a die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes aedem sacram vel personam fide et facultatibus idoneam. ad effectum illa, seu illorum pretium, quamprimum investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa et individua mentione oneris quod illis annexum reperitur.

"§ 7. Ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium sub eadem poena, ut supra, deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum ejusdem oneris repetitione atque annexione converti debeat.

"§ 8. Ad haec, S. Congregatio quibusvis capitulis, collegiis, societatibus et congregationibus, necnon omnibus et singulis ecclesiarum ac piorum locorum, tam saecularium quam regularium, superioribus, vel aliis ad quos pertinet, districte prohibet ne in posterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, saeculares quidem sine Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii, regulares vero sine Generalis, vel Provincialis, consensu et licentia in scriptis et gratis concedenda: alioquin saecularis qui hujus prohibitionis transgressor extiterit ab ingressu ecclesiae interdictus sit eo ipso; regularis vero poenam privationis omnium officiorum quae tunc obtinebit, ac perpetuae inhabilitatis ad alia de caetero obtinenda, vocisque activae ac passivae, absque alia declaratione incurrat.

"§ 26. . . . . Teneantur iidem [rectores, superiores, et ministri quarumcumque, tum saecularium tum regularium, ecclesiarum] conficere, semperque in loco magis patenti et obvio retinere tabellam onerum perpetuorum et temporalium, litteris perspicuis et intelligibilibus descriptorum . . . .

"§ 27. Iidemque [rectores, etc., ut supra] teneantur pariter in sacrario duos libros retinere; ac in eorum altero singula onera perpetua et temporalia, in altero autem Missas manuales, et tam illorum quam istarum adimplementum et eleemosynas, distincte et diligenter annotare, et annotandas seu annotanda curare, singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis, et oneribus, pariter exactam rationem suis superioribus reddere."

VIII.

DE INTEGRITATE VINI IN MISSA ADHIBENDI.

ILLME. AC RME. DOMINE,

Ex novis humani ingenii inventis, quibus aetas haec nostra caeteris antecellit, etsi commoda plusquam mediocria percipiantur, eorum tamen occasione abusus non pauci, iique in rebus gravissimis, occurrere deprehenduntur. Cum igitur ex chimicae progressibus eo ventum sit ut multa in naturae similitudinem componantur aut conficiantur, contingit frequentissime ut, in regionibus praesertim uvarum penuria laborantibus, vina quaedam fabricentur, quae musto ex uvis expresso minime constant. Hinc vero plures per Ecclesiam Antistites talia recenter edere decreta debuerunt, quibus vini artefacti usus prohiberetur omnino ab altaris ministerio, quo videlicet Divini Sacrificii securitati, ut par erat, consuleretur. Quam quidem in rem, sicut in ipsa Urbe Emus. Sanctitatis Suae Vicarius quaedam adsignavit loca ubi vinum de vite, tamquam tale recognitum, ab ecclesiarum rectoribus aliisque sacerdotibus emi posset, ita aliis in locis ea Episcopi in eumdem finem statuerunt quae pro sua prudentia expedire judicarunt. Porro vel in ipsa America res tanti momenti Episcoporum vigilantiam non effugit, ideoque notum est Sacrae huic Congregationi Decreta quaedam in Provincialibus Conciliis fuisse condita, ut caveretur ne quis vinum artefactum in Missae Sacrificio adhiberet. Quandoquidem vero, hisce non obstantibus, nuper a SSmo. Domino Nostro petitae fuerint sanationes super obligationibus Missarum in quibus bona fide vinum arte confectum fuerat adhibitum, idcirco comperuit Sanctitas Sua Antistitum curas aut Decreta finem intentum haud plene atque ubique locorum fuisse consecuta.

Quae cum ita sint, jussit Beatissimus Pater ut vigilantia omnium ac singulorum Antistitum et Vicariorum Apostolicorum, a S. Congregatione Christiano Nomini propagando praeposita

dependentium (praesertim illorum locorum in quibus vites vel parum vel nullo modo coluntur), suo nomine excitaretur ad eas edendas praescriptiones, vel cautiones, sacerdotibus praescribendas, quibus omne nullitatis periculum a Sacrificio Altaris, quod supremus est religionis actus, penitus arceatur.

Quod quidem dum ad mentem SSmi. D. N. Amplitudini Tuae significare non praetermitto, Deum precor ut Te diu sospitem servet, incolumemque.

Datum Romae ex Aedibus S. C. de Propaganda Fide, die 10 Martii, 1861.

Amplitud. Tuae,

Uti frater addictissimus,

L. ✠ S. AL. CARD. BARNABÒ,

Praefectus.

CAJ. ARCHIEP. THEB., *a secr.*

IX.

DE BARBA A CLERICIS HAUD GESTANDA.

EPISTOLA NUNTII APOSTOLICI AD ARCHIEP. MONACEN. ET FRISINGEN.

(*Ad Decretum XI.*, 13.)

EXCELLENTISSIME AC RME. DOMINE,

Ad aures Beatissimi Patris pervenit, in nonnullis Bavariae dioecesibus adesse ecclesiasticos viros, qui novitatis, vel potius levitatis spiritu perducti, usum jamdiu exoletum barbam gestandi iterum introducere, et exemplo suo alios ad illum imitandum allicere conantur. Quidquid de anteactis saeculis dici debeat, in confesso est modernam et vigentem Ecclesiae Latinae disciplinam huic usui prorsus obstare, novamque consuetudinem, ut legitime introducatur, necessario requirere assensum, saltem tacitum, Supremi Ecclesiae Pastoris. Hic autem hujusmodi novitatem omnino se improbare declarat; eo vel magis quod

tristissimis hisce temporibus spiritus omnia innovandi haud paucos seducat, et ex una novitate in aliam facile procedi possit. Quae cum ita sint, placuit Sanctitati suae mihi in mandatis dare ut omnibus Bavariae Antistitibus suo nomine significarem ab ipsis omnino curandum esse, non solum ut praedictus usus expresse prohibeatur, sed etiam ut disciplinae unitas, et perfecta cum Ecclesia Romana omnium magistra conformitas in omnibus, ac proinde in habitu et tonsura clericorum, servetur, vel, si opus sit, restauretur; ac qualiscumque nova consuetudo vetetur, quae Supremo Ecclesiae Capiti apprime cognita atque ab Ipso probata non sit.

Dum haec Excellentiae Tuae Illmae. ac Revmae., Beatissimi Patris jussu ac nomine, scribo, Illam rogo ut, me de hujus Epistolae receptione instructum reddens, mihi etiam indicare velit quid Excellentia Tua opportunum facere existimaverit, ut praedictus usus, si forte in ista Dioecesi manifestari incoepit, extemplo relinquatur, atque ut nemini unquam in mentem veniat illum introducere.

Sinceris interim observantiae et obsequii sensibus, persevero Excellentiae Tuae Illmae. ac Revmae.

Humillimus ac addictissimus servus,

MATTHAEUS EUSTACHIUS, Arch. Neo-Caesar.,
Nuntius Apostolicus Monac.

[Junio, 1863.]

X.

DE CANTU ECCLESIASTICO.

(Ad Decretum XIII., 3.)

I. Breve Apostolicum de Associatione S. Caeciliae.

PIUS PP. IX.

Ad futuram rei memoriam.

Multum ad movendos animos atque ad pietatem excitandos sacri concentus possunt, sollemnibus Ecclesiae supplicationibus sociati, dummodo ita fuerint excogitati ingenio, atque elaborati industria, ut sanctitati Divinae Domus, rituumque majestati respondeant. Hac in nobilissima arte summam plerique laudem adepti sunt, quorum numeri ad augustum templi splendorem et caeremoniarum gravitatem exacti, quantum a profanis mollibusque theatri modulationibus abhorrerent, tantum sevocant animos ab humanarum rerum illecebris, atque ad coelestium rapiunt considerationem contemplationemque bonorum. At enim, quod maxime dolendum, posthabitis hisce optimis Sacrae Musices magistris, plerisque in templis, tam nostratibus quam externis, quoddam concentuum genus usurpatur, scenicis ludibus plane dignum; merito idcirco a canonicis sanctionibus, atque a Praedecessoribus Nostris, nec non a Nobis ipsis improbatum, proscriptum. Id animo reputantes sacri Antistites plurium Dioecesium, quarum incolae Germanice loquuntur, salubre ac frugiferum consilium inierunt pia quaedam sodalitia ipsis in Dioecesibus instituere, quibus a Sancta Caecilia nomen fieret, atque ad illud potissimum intenderent ut Sacri Concentus ad ecclesiasticas merasque normas reducerentur. Hisce sodalitiis instar esse voluerunt Congregationem a Sancta Caecilia, quae nominatur, Almae hujus Urbis; legesque quibus gubernarentur. has quae sequuntur:

"*Statuta Generalia Associationis sub titulo Sanctae Caeciliae ad musicam sacram in universis Germanicae linguae terris promovendam constitutae.*"

"I. Associatio gaudet de protectione Eminentissimi Cardinalis a Sanctissimo Patre benignissime nominandi, et respicientiae Ordinarii illarum Dioecesium in quibus sodales inveniuntur. Associationis causas diriget Praeses Generalis, cui assistunt praesides singularium Dioecesium. Praeses Generalis juxta specialia de ejus electione statuta, et praevio assensu Eminentissimi Protectoris constituetur. Praeterea Sodales eligunt octo viros jam probatae in arte musica peritiae, qui exquirant opera musicalia digna quae in Ecclesiis Dei producantur; qui numerus usque ad viginti augeri potest.—II. Ut finis associationis, nempe musicam sacram atque liturgicam secundum spiritum Ecclesiae ecclesiasticasque sanctiones exactissime observandas promovere, obtineatur, associationi curae erit: Ut 1° Cantus Gregorianus, sive planus, ubique excolatur, cantusque figuratus, polyphonus, quatenus legibus ecclesiasticis conformis est, sive compositiones pertinent ad aetatem vetustiorem sive recentiorem, propagetur. 2° Cantilenae sacrae a populo in quibusdam devotionibus decantari solitae eatenus tolerantur, quatenus eas leges canonicae permittunt. 3° Leges ecclesiasticae, quoad adhibendum organum ceteraque toleranda instrumenta musica, accurate observabuntur. 4° Quatenus in quibusdam ecclesiis, praesertim minoribus ac ruralibus, non statim quae dicta sunt in usum deduci possunt, omnibus saltem viribus enitendum est ut musica liturgica paulatim in meliorem statum reducatur.—III. Praeses Generalis Eminentissimo Cardinali Protectori singulis annis rationem reddet de actis et profectibus Associationis, et simili modo praesides Dioecesium Reverendissimo Ordinario."

Jam vero cum memorati Antistites in hanc Urbem Nostram novissime convenissent ad Oecumenicam Synodum Vaticanam, magno a Nobis opere flagitarunt ut suprascriptas Leges, Auctoritate Nostra Apostolica, corfirmemus. Cui petitioni Nos lubentissime annuentes, mature rem communicavimus cum VV. Fratribus NN. S. R. E. Cardinalibus Congregationis legitimis Ecclesiae Ritibus cognoscendis praepositae, deque eorumdem

VV. Fratrum sententia, memoratas Leges examinandas ponderandasque dedimus clarissimis viris e Consilio, quod vocant, Cantus Gregoriani in hac Alma Urbe instituto. Quae cum ita sint, accepto praefatorum virorum voto, deque sententia supradictorum Venerabilium Fratrum, Leges, seu Statuta, de quibus habita ante mentio est, Nostris hisce Litteris inserta, et ad verbum expressa, Auctoritate Nostra Apostolica tenore praesentium approbamus, sancimus; illisque perpetuum approbationis et sanctionis Nostrae robur adjicimus; decernentes insuper praesentes Nostras Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, omnibusque, quibus favent, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XVI. Decembris MDCCCLXX., Pontificatus Nostri Anno Vigesimoquinto.

Pro DOMINO CARD. PARACCIANI CLARELLI:

L. ✠ S. FELIX PROFILI, *Substitutus.*

II. BREVE APOSTOLICUM DE EDITIONE LIB. CANT. GREG. RATISBONENSI.

PIUS PP. IX.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Qui choricis Catholicae Ecclesiae libris imprimendis operam navarunt, in eamque rem typographicae artis, qua praestabant, industriam contulerunt, eos de Catholica Religione bene meruisse existimamus, ac dignos, propterea fuisse quos et Sacrorum Antistites et vel ipsi Romani Pontifices suis laudibus proseque-

rentur. Hos inter praeclarum tu quidem, dilecte fili, locum obtines, qui egregiis ecclesiasticorum librorum editionibus, ac praesertim magna cura editis libris Cantus Gregoriani, Typographi Pontificii et Sacrorum Rituum Congregationis titulo insignitus, nunquam destitisti Catholicam rem, quantum tua arte potes, luctuosis hisce quibus versamur temporibus juvare. Gratissimum vero Nobis accidit, quod nuper audivimus te Gradualis, quod vocant, Romani editionem, sane pulchram et magnificam, quam editionis instar Mediceae, et juxta normas a Sacrorum Rituum Congregatione tibi praescriptas adornaveras, ad exitum perduxisse. Qua re facere non possumus, quin collocatam a te in ea operam atque industriam vehementer probemus; ex qua multum et decoris et utilitatis sacris Ecclesiae ritibus orietur. Atque adeo hanc ipsam dicti Gradualis Romani editionem, tuis sumptibus ac laboribus exaratam, Reverendissimis locorum Ordinariis, iisque omnibus quibus Musices sacrae cura est, magno opere commendamus; eo vel magis quod sit Nobis maxime in votis, ut cum in ceteris quae ad sacram Liturgiam pertinent, tum etiam in cantu, una, cunctis in locis ac Dioecesibus, eademque ratio servetur, qua Romana utitur Ecclesia. Interea dum te, dilecte fili, etiam atque etiam in Domino hortamur ut pergas tenere istam viam quam instituisti, et laudum tuarum vestigiis insistere, aliud hoc tuae operositatis argumentum expectamus, ut quae adhuc edenda tibi supersunt de Gregoriano cantu volumina, quibus inchoata olim a fel. mem. Paulo PP. V. Praedecessore Nostro perficitur editio, tandem in lucem proferas. Quae ut alacrius praestare velis, jura omnia et privilegia, quae, ob ecclesiasticorum librorum a te peractas editiones, ab hac Sancta Sede per Sacrorum Rituum Congregationem concessa tibi fuerunt, hisce Nostris Litteris confirmamus, iterumque, si opus fuerit, elargimur; ac simul benevolentiae Nostrae certissimum pignus, Apostolicam Benedictionem tibi ac tuis omnibus ex animo impertimur.

Datum Domae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXX. Maji MDCCCLXXIII. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo Septimo.

L. ✠ S. FABIUS CARD. ASQUINIUS.

Dilecto Filio Equiti Frederico Pustet,
Dioecesis Ratisbonensis, etc.

XI.

DE BONIS MISSIONARIORUM REGULARIUM.

(Ad Decretum XIV., 1.)

Illmo. e Revmo. Signore,

Le nuove osservazioni che V. S. mentre era in Roma nell' inverno scorso esibì alla Propaganda sulle relazioni dei Vescovi d'Inghilterra coi Religiosi addetti a codeste missioni, furono sottomesse agli Emi. e Rmi. Signori Cardinali di questa S. C. nell' adunanza generale, che ebbe luogo ai 19 Aprile p. p. Ora gli Emi. sullodati, dopo aver preso in matura considerazione quanto nuovamente dalla S. V. era stato dedotto, convennero nel dichiarare:

1°. Che i Missionarii Regolari non sono obbligati a rendere ragione ai Vescovi dei beni temporali che appartengono ad essi Regolari in quanto tali.

2°. Che i Vescovi hanno diritto di chiedere ai Missionarii Religiosi, nel modo stesso onde possono esigerlo dai Parrochi del clero secolare, il rendiconto dei beni dati alle Missioni ovvero ai Missionarii regolari ad intuito delle Missioni a cui essi appartengono.

Per ciò poi che concerne i casi dubbii la S. C. stabilì che i Vescovi e Superiori regolari abbiano a risolverli di comune accordo, e che quante volte le differenti opinioni non possano conciliarsi la controversia sia riferita alla S. Sede.

La Santità di N. S., a cui nell' udienza del 2 Maggio a. c. furono riferite le anzidette risoluzioni, degnosi approvarle benignamente. Ora pertanto V. S. si compiacerà darne comunicazione ai suoi Suffraganei, mentre la Propaganda farà altrettanto coi Superiori degli Ordini Religiosi che anno Missioni

in Inghilterra: e prego il Signore che La conservi lungamente e La prosperi.

Roma, dalla Propaganda, 16 Luglio, 1869.

Di V. S.

Affezmo. per servirla,

AL. CARD. BARNABÒ,
Prefetto.

GIOVANNI SIMEONI,
Segr.

Monsig. Arciv. di Westminster.

NOTA. *(Ad Decretum XIV., parag. primum et ultimum.)*

1. "Non si è punto derogato (per citationem scil. Bullae *Firmandis)*[1] alle ultime decisioni sui Regolari in genere, nè per ciò si è diminuito punto l' obbligo che loro incombe di render conto delle rendite spettanti *alle missioni loro affidate dai Vescovi come a semplici deservienti.*" *(Ex Epist. Emi. S. C. de Prop. Fide Praefecti, diei 29 Aug. 1874.)*

2. "Quando un Religioso è posto individualmente dal Vescovo a reggere una scuola diocesana, non per conto dell' Ordine al quale appartiene, ma dell' Ordinario del luogo, egli trovasi nella condizione di un semplice prete, senza poter invocare privilegii che fossero concessi alla sua religione." *(Ex Epist. supradicta.)*

XII.

DE BONIS ET RESIDENTIA REGULARIUM, ETC.

(Ad Decretum XIV., 1.)

ILLMO. E RMO. SIGNORE,

Gli Emi. e Rmi. Signori Cardinali della S. C. di Propaganda ai 4 dello scorso mese di Maggio presero ad esame in generale adunanza le savie questioni, che V. S. e i Vescovi di codesta provincia ecclesiastica aveano sottoposto al S. Consesso sulle

[1] Vide p. 366.

loro relazioni coi religiosi di diversi Ordini residenti in Inghilterra; e più particolarmente si occuparono di quella a Lei ben nota, che ai beni temporali amministrati dai Regolari si riferisca. . . . Gli Emi. Padri hanno ordinato, anche nell' intendimento di assicurare sempre più quanto possiede la Chiesa Cattolica in Inghilterra, che i Regolari dal conto loro formino uno stato esatto, dei beni delle diverse Missioni da essi amministrate, distinguendo quelli che sono proprii delle Missioni medesime dagli altri che appartengono rispettivamente agli Istituti religiosi, e che il medesimo stato pure si faccia dai Vescovi in ordine alle Missioni amministrate dal clero secolare. Del resto la Santità di N. S., a cui tutto ciò è stato riferito nell' Udienza del 10 Maggio p. p., ha voluto che si ricordasse fin d' ora per mezzo dei Superiori ai Missionarj Religiosi essere loro stretto dovere di erogare in prò delle Missioni ad essi affidate quanto rimane, detratta la congrua loro sostentazione, dai beni che amministrano, e dalle oblazioni che ricevono ad intuito delle Missioni medesime. . . .

Essendosi inoltre discusso nell' anzidetta generale adunanza l' altro dubbio, *Se i missionarii religiosi al pari dei secolari siano tenuti all' osservanza dei Decreti del* 1° *e* 2° *Sinodo di Westminster relativi alla residenza*, il S. Consesso non esitò a dichiarare che i Missionarii regolari destinati alla cura delle anime sono obbligati ad osservare quei decreti, e però al riferito dubbio rispose *Affirmative*.

Finalmente si trattò nella medesima Congregazione degli inconvenienti notabili che occorrono in Inghilterra per la moltitudine dei religiosi secolarizzati i quali vanno vagando per codeste Diocesi. Su di che gli Emi. Padri decisero che da una parte si esortassero i Superiori dei Regolari che hanno case in Inghilterra a raddoppiare le cautele necessarie ad assicurarsi dei soggetti che si ammettono al noviziato e quindi alla professione, ma che dall' altro canto si eccitassero i Vescovi a valersi opportunamente del diritto che loro compete sia nell' ammettere i Religiosi alla Sagra Ordinazione, sia nell' accettare nelle loro Diocesi quei Religiosi che ottengono l' Indulto di secolarizzazione.

Tutto ciò V. S. vorrà compiacersi di comunicare ai singoli

suoi Suffraganei per loro norma ed istruzione, e senza più prego il Signore che La conservi lungamente e La prosperi.

Roma, dalla Propaganda, 9 Luglio, 1868.

Di V. S.

Affezmo. per servirla,

AL. CARD. BARNABÒ,
Prefetto.

GIOVANNI SIMEONI, *Segr.*

Monsig. Arciv. di Westminster.

XIII.

DE MATRIMONIIS MIXTIS.

INSTRUCTIO AD EPISCOPOS ANGLIAE.

ILLME. ET RME. DOMINE,

Post editam Instructionem, ad omnes Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios, de *dispensationibus super impedimento mixtae religionis* quoad promiscua conjugia, cui sub die 15 Nov. 1858 subscripsit Emus. ac Rmus. D. Cardinalis Antonelli, eae ad Sacram hanc Congregationem pervenerunt notitiae, non solum circa auctam nonnullis in locis facilitatem mixta conjugia absque justa et gravi causa contrahendi, verum etiam circa dispensationes quae pro connubiis illis delegata potestate conceduntur, ut plane perspicuum sit, laudatam Instructionem non ubique locorum recte interpretari, sed potius ad erroneum sensum, ejusdem litterae ac spiritui contrarium, alicubi detorqueri. Illa enim Instructio expresse commemorat quid Catholica Ecclesia de hujusmodi Catholicos inter atque acatholicos nuptiis constanter senserit, cum explicite tradat Ecclesiam *eas semper improbasse, ac tamquam illicitas ac perniciosas habuisse; tum ob flagitiosam in Divinis communionem, tum ob impendens Catholico conjugi perversionis*

periculum, tum ob pravam sobolis institutionem. Dein vero in Ordinarorium memoriam revocat *antiquissimos Canones*, necnon *recentiores Summorum Pontificum sanctiones*, quibus, *etsi aliquid de severitate canonum remissum sit, adeo ut mixta conjugia quandoque permittantur*, id tamen *gravibus dumtaxat de causis atque aegre admodum fit, ac nonnisi sub expressa conditione de praemittendis necessariis opportunisque cautionibus, in naturali ac divino jure fundatis ;* ut scilicet, *non solum catholicus conjux ab acatholico perverti non possit, quin imo catholicus ipse conjux teneri se sciat ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum, verum etiam ut universa utriusque sexus proles, ex mixtis matrimoniis procreanda, in sanctitate Catholicae religionis educari omnino debeat.*

Quae cum ita sint, mirari omnino debuit Sacra haec Congregatio, quod nonnullis videri, praedicta Instructione, principiis, quae semper Sancta Sedes circa mixta connubia tenuit ac docuit, aliquo modo derogari. Ac ne forte ex perperam intellecta Instructione illa, quae tamen luculentissima est, commissus tibi populus quidquam detrimenti capiat, sollicitudinem tuam enixe adhortor in Domino, ut clero ac fidelibus tuae subditis jurisdictioni, data occasione, veram Ecclesiae doctrinam ac praxim circa matrimonia mixta tradere atque inculcare studeas.

Porro, quemadmodum probe cognoscis, ad matrimonium mixtum permittendum, *minime sufficit ut sponsi cautiones*, de quibus supra, *admittere parati sint, necnon ceteras clausulas in rescriptis Apostolicae Sedis adhiberi solitas, sed omnino justae gravesque requirantur causae*, ut facultas dispensandi super mixtae communionis impedimento licite executioni mandetur. Cautiones enim illae ideo naturali divinoque jure exiguntur atque exigi debent ut pericula intrinseca quae mixtis insunt matrimoniis removeantur; at vero, ut gravibus fidei ac morum periculis, etiam sub opportunis cautionibus, fideles se exponere permittantur, grave aliquod incommodum, ceteroquin haud devitandum, immineat necesse est.

Quod si aliquando, in memorata Instructione, mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in Dioecesano Rituali legitime praescriptum, exclusa tamen semper Missae celebratione,

in mixtis conjugiis contrahendis tolerari posse perhibetur, id tamen nonnisi per modum exceptionis indulgetur, ac sub conditione *ut omnia rerum, locorum ac personarum adjuncta diligentissime perpendantur, atque onerata Episcoporum conscientia super omnium circumstantiarum veritate ac gravitate.* Tantum abest ut inibi principiis, quae Sedes Apostolica circa mixta connubia quovis tempore professa est, vel minimum detrahatur.

Quamobrem enixe peto a charitate tua, ut, quantum cum Domino poteris, fideles tibi commissos a mixtis matrimoniis contrahendis arcere satagas atque contendas, quo gravissima quae in iis continentur pericula praecaveantur ac devitentur. Id autem facilius assequeris, si eos opportune instruendos curaveris, circa peculiarem qua tenentur obligationem Ecclesiae vocem hac in re audiendi, nec non obsequendi praepositis suis, qui strictissimam aeterno Pastorum Principi rationem essent reddituri si matrimonia mixta, non tantum ob gravissimas causas aliquando permitterent, verum etiam facile atque ad petentium libitum a fidelibus contrahi cum acatholicis tolerarent.

Precor Deum ut Te diu sospitem servet incolumemque.

Datum Romae ex Aed. S. C. de Prop. Fide die 25 Martii, 1868.

AL. CARD. BARNABO,

Praefectus.

JOANNES SIMEONI, *Secr.*

R. P. D. Archiep. Westmonasteriensi.

XIV.

DE MATRIMONIIS CORAM MINISTRIS HAERETICIS.

Emo. e Rmo. Sig. mio Ossmo.,

L' abuso che qualche mese indietro erasi denunziato alla S. Sede aver luogo in Inghilterra, che cioè nei Matrimonii misti la parte cattolica suol essere trascinata a rinnovare il consenso innanzi al ministro eretico, fu comunicato alla Suprema Congne. del S. O. in un cogli schiarimenti che l' Eminenza V. si compiacque porgere ultimamente su tale argomento. Ora gli Emi. Inquisitori Generali, avendolo preso ad esame nella Feria IV., 8 di questo mese, hanno risoluto "Tollendum esse abusum de quo est sermo, praesertim ob scandalum quod inde oritur: opportune esse instruendos fideles, quando se offert occasio, de peccato quod committitur, et de censuris quae contrahuntur ob renovationem consensus coram ministro haeretico uti sacris addicto. Pro casibus vero particularibus communicetur Episcopis Angliae Instructio data sub Feria IV., die 17 Februarii hujus anni, Episcopis Regni Hannoveriani."

Nel compiegare pertanto a V. Eminenza l' Istruzione anzidetta, prego la sperimentata Sua cortesia a volere al solito comunicare ai Suoi Suffraganei tanto la suespressa risoluzione del S. O. quanto la relativa Istruzione, e col più profondo ossequio Le bacio rispettosamente le mani.

Roma, dalla Propaganda, 13 Giugno, 1864.

Di V. Eminenza

Umilissimo devotissimo Servitor vero,

AL. CARD. BARNABO,
Prefetto.

A. Capalti, *Segr.*

Emo. e Rmo. Card. Wiseman,
Arcivescovo di Westminster

Instructio

Data sub feria IV., die 17 Februarii, 1864, Episcopis Regni Hannoveriani.

Non latet, quibusdam in locis haereticum ministrum agere personam magistratus mere civilis, coram quo se sistere solent conjuges, aut etiam debent, ob finem politicum, nempe ut habeantur civiliter honesti conjuges, prolesque censeantur legitimae. Jamvero urgentibus haereticis, aut lege civili imperante, non improbatur quod pars catholica una cum haeretica se sistat, ante vel post contractum ad formam Tridentini matrimonium, etiam coram ministro haeresi addicto ad actum civilem dumtaxat implendum. Etenim ad dubium olim sic expressum: Utrum Catholicus, coram proprio Catholico parocho cum haeretica contrahens, licite possit, urgentibus haereticis, matrimonium hoc ratificare coram ministro haeretico, si nulla hinc ritus haeretici professio habeatur, aut colligatur, et quidquid minister haereticus in casu peragit civilis dumtaxat et politica gratulatio sit, et censeatur, per S. Congregationem responsum fuit *Affirmative.*

Verum enim vero quotiescumque minister haereticus censetur veluti sacris addictus et quasi parochi munere fungens, non licet Catholicae parti una cum haeretica matrimonialem consensum coram tali ministello praestare, eo quia adhiberetur ad quamdam religiosam caeremoniam complendam, pars Catholica ritui haeretico se consociaret, unde oriretur quaedam implicita haeresi adhaesio, ac proinde illicita omnino haberetur cum haereticis in divinis communicatio. Ea propter etsi perniciosa haec consuetudo inoleverit ita, ut a clero de facili corrigi non possit, nihilo tamen secius omni adhibito studio ac zelo evellenda erit. Et sane Benedictus XVI. aperte docet non licere contrahentibus se sistere coram ministro haeretico, quatenus assistat ut minister addictus sacris; et contrahentes peccare mortaliter et esse monendos.

Opportune itaque abs Te instructi et commoniti parochi ac missionarii edoceant fideles, qua publicis in Ecclesiis Catechesi-

bus, qua privatis instructionibus, circa constantem Ecclesiae doctrinam et praxim, ita ut salubriter a mixtis contrahendis nuptiis, quoad fieri possit, avertantur; sin autem, abhorreant prorsus a celebrando matrimonio coram haeretico ministro sacris addicto, id quod omnimode illicitum et sacrilegum est. Ita responsum fuit Ordinario Treviren. sub. fer. IV., die 21 Aprilis, 1847.

Sciant insuper parochi, si interrogentur a contrahentibus, vel si certe noverint eos adituros ministrum haereticum sacris addictum ad consensum matrimonialem praestandum, se silere non posse; sed monere eosdem debere sponsos de gravissimo peccato quod patrant, et de censuris in quas incurrunt.

Verumtamen ad gravia praecavenda mala, si in aliquo peculiari casu parochus non fuerit interpellatus a sponsis an liceat nec ne adire ministrum haereticum, et nulla fiat ab iisdem sponsis explicita declaratio de adeundo ministrum haereticum, praevideat tamen eos forsan adituros ad matrimonialem renovandum consensum; ac insuper ex adjunctis in casu concurrentibus praevideat monitionem certo non fore profecturam, immo nocituram, indeque peccatum materiale in formalem culpam vertendum; tunc sileat, remoto tamen scandalo, et dummodo aliae ab Ecclesiae requisitae conditiones, atque cautiones rite positae sint, praesertim de libero religionis exercitio parti Catholicae concedendo, nec non de universa prole in religione Catholica educanda. Quod si tandem consensus coram parocho velit renovari, postquam praestitus jam fuerit coram ministro haeretico, idque publice notum sit, vel ab ipsis sponsis parocho notificetur, parochus huic matrimonio non intererit, nisi, servatis, uti supponitur, ceteroquin servandis, pars Catholica facti poenitens, praeviis salutaribus poenitentiis, absolutionem a contractis censuris rite prius obtinuerit.

Sacra igitur Congregatio plurimum in Domino confidit Te, praemissis prudenter ac firmiter inhaerentem, effecturum ut inviolabilis doctrinae sartum tectum servetur depositum, Catholicorum mores fidei respondeant, damna apprehensa arceantur, et fideles doctrina atque exemplo roborati incedant per semitas justitiae.

XV.

DE EDUCATIONE MIXTA.

EPISTOLA ENCYC. S. CONG. DE PROP. FIDE.

(Ad Decretum XVII.)

MY LORD,

The establishment of Mixed Schools and Colleges for Catholics and heretics, which has unfortunately for some time become from day to day more common, has induced the Holy See, in its desire to provide for the sound teaching of the faithful, to recall to mind right principles on this subject, to make suitable regulations, and, either through the Holy Office or through the Sacred Congregation of Propaganda, to give all necessary advice in the cases that have been brought before it: and it has been thought fit to draw up a compendium of the same in the present Letter.

1. Although there is a difference between Protestant and schismatical schools, and although, generally speaking, greater evils perhaps are to be feared from the former, yet even the latter are very dangerous to Catholic youth. Wherefore the S. Congregation of Propaganda, by a circular letter of March 20, 1865, warned all the Eastern Bishops of the very grave danger to which young Catholics are exposed in attending schools directed by schismatics or Protestants, which are now being opened more numerously than ever in the chief cities of the East; and it urged them zealously, and, if necessary, with all the force of their ecclesiastical authority, to put a stop to such a practice. Bishops above all, and parish priests, are bound to use all possible care in making parents understand that the greatest evil they can inflict upon their offspring, upon their country, and upon our holy religion, is to expose their children to so manifest a danger; and that the danger is even increased when such schools are established for the direct purpose of making converts to heresy and schism. Everyone knows

how great is the influence of the authority of teachers over the young minds of their pupils, and how strongly the pupils are thereby drawn to approve whatever their teachers say or do: whence it happens that, while receiving instruction in the above-named schools, they adopt almost unconsciously the errors of their teachers, and learn to despise the Catholic religion. Add to this the daily and familiar intercourse with young Protestants and schismatics, who by their habits, which often are corrupt, by their indocility, and by their satirical remarks upon our holy religion and the practices of the Church, pervert the minds and deprave the hearts of their Catholic companions. And let it not be thought, that amongst such schools, those that are established for elementary instruction, or in which only secular subjects are taught, are free from all danger; for, besides the evils arising from association and intimacy with companions who have been brought up in heresy and schism, the teachers also are able to mislead the simple minds of their pupils by artifices which are the more effective from being less perceived. All this has been treated of in an instruction lately issued for Switzerland, by the Supreme Congregation of the Holy Office, on March 26, 1866.

2. So far we have spoken of Catholics attending Protestant and schismatical schools. To speak now of the attendance of schismatics and Protestants at Catholic schools, it is clear that in this second case there are not the same dangers for Catholic pupils as in the first: for, as the teacher, the instruction, and the books are Catholic, there is nothing to fear in this respect. The S. Congregation of Propaganda has, therefore, in times past tolerated, and even given leave for, the admission of the children of heretics into schools established in the Missions under the direction of the missionaries, and has allowed them to be instructed therein by the Catholic teachers. Nevertheless, the said Congregation was aware that even in such schools as these, Catholic as they are in their management and teaching, a great danger would still arise from the admission of schismatical and Protestant pupils, chiefly by reason of their daily contact with the children of Catholics; and therefore, when allowing such admission, it was careful to prescribe certain precautions for

preserving Catholic children from all danger of perversion, and non-Catholics from the danger of indifference to religion. Some of the resolutions passed in this matter by the S. Congregation may here be mentioned.

1°. At a special meeting, held December 18, 1742, it was decided that the Capuchin missionaries of Moscow, in addition to the instruction in foreign languages and secular sciences which they gave to the children of Catholics, might, in a separate room, give the same instruction to such non-Catholics as desired it. The use of a separate room entirely or almost removes the dangers above described, arising from the intercourse of Catholics and non-Catholics, in which the chief difficulty of the Mixed Schools consists; if indeed schools can strictly be called *mixed*, in which a distinct and separate place is assigned to the non-Catholic pupils. But for want of space or of means, or through a scarcity of teachers in missionary countries, this separate system could not, without the greatest difficulty, be everywhere introduced.

2°. Towards the end of the last century, the Reformed Missionary Fathers in Upper Egypt had opened Schools for Catholics in several stations of that Mission, which were also attended by the children of the Coptic schismatics. The General Congregation, held August 29, 1791, was of opinion that this might be tolerated, in order to dispose the Coptic heretics to Catholicity, and to avoid giving them offence; but it added, 'periculum perversionis per magistrorum diligentiam removeatur.' In conformity with this resolution of the Sacred Congregation, the prefect of the aforesaid Mission was informed that there need not be any difficulty in allowing the children of heretics to go to the Catholic schools; that, on the contrary, much good might be expected from their attendance, inasmuch as they might thus become acquainted with the solid principles of our true religion, and the influence of the teachers might gain them over to the Church; but that, lest any one of the Catholic children should be perverted, the teachers must take care to exclude from the schools all heretical children of an immoral character.

3°. Passing over other similar decisions, we may refer to the case of the Armenian Bishops of the ecclesiastical province of Constantinople, who, at a conference held in 1853, had enumerated among the means of converting the schismatics of their nation the allowing their children to attend Catholic schools. The General Congregation of Propaganda thereupon gave orders for a letter to be written to the Archbishop and Primate, saying that the proposed means was recognised as well adapted to effect the conversion of the schismatics; but that great prudence was necessary to prevent any evil consequences. For, in the first place, the Catholic children might be in danger of perversion, if they were allowed to hold long conversations with the schismatical pupils; inasmuch as there would be found among the schismatics shrewd and talented youths, who, by their training at home, had become deeply rooted in schism; and among the Catholics there would be some of poor abilities, and of little religious feeling. Secondly, if the schismatics were obliged to attend the religious exercises of the Catholics, there would be danger of their becoming hypocrites by pretending to be Catholics, and of their thus becoming indifferent to all religion. The Archbishop was then reminded that there was no question of admitting them to the sacraments, as that must be preceded by a formal abjuration, and a sincere declaration of their return to the Catholic religion. Finally, in order to ward off the dangers above mentioned, in schools where Catholics and schismatics are mixed together, the Bishops of the province were advised to draw up in their next provincial council suitable regulations for these mixed schools, subject to the approbation of this Sacred Congregation.

3. We have lastly to speak of the admission of schismatics and Protestants into Catholic boarding-schools and colleges. It would be impossible to lay down a sure and adequate rule, applicable to every such house of education, without special and accurate knowledge of all the circumstances affecting them. Hence it would be necessary to know precisely the object of the institution, the social position and age of its pupils, the kind and extent of the education there given, and its rules of internal

discipline, especially with regard to the intercourse permitted either in boys' or in girls' schools, between pupils of different religions: such as whether they may freely associate and speak with one another, or are fordidden to speak upon religious topics. It would also be necessary to know how the non-Catholics are directed in religious matters: namely, whether they are educated in the Catholic religion, with, or without, the consent of their parents; and, if they are not so educated, whether they are permitted, or even obliged, to be present, together with the Catholics, at Holy Mass and other practices of piety; whether they have always to abstain from receiving their own sacraments, or are allowed sometimes to receive them in their schismatical churches, and, if so, who goes with them. Again, it would be important to know the number of Protestants and schismatics in each institution, and in what proportion they are to the Catholics.

It would be necessary, therefore, that the superiors of the several Missions should obtain, if possible, the information above referred to, respecting the mixed boarding-schools (or colleges) under their jurisdiction; and should send it to the S. Congregation, so as to be furnished in reply with instructions suitable to the peculiar circumstances of each case. In the meantime, however, it will be useful to make known a decision which the Holy Office has recently given in the case of a mixed boarding-school, of Catholic girls of the Latin Rite and schismatics of the Oriental Rite. But it will be well, before quoting it, to give some idea of the internal regulations of the school, in order that the decision may be better understood.

The establishment is under the direction of nuns, for the education of Catholic girls, together with schismatics of the Oriental Rite. The proportion between them has not always been the same. For the last five years the schismatics have formed about a third part of the school. They are instructed, not only in secular subjects, but also in the Catholic religion if their parents expressly desire it. Besides receiving Catholic instruction, the schismatical pupils have spiritual reading, make spiritual retreats, and are present daily at holy Mass,

together with the Catholics. They used also to say their prayers together; but now, by direction of the Ordinary, to avoid communicating *in divinis*, they pray apart from the Catholics of the Latin Rite, and in their own national language. If their parents ask it, the schismatical girls are taken once or twice a year to the schismatical church, under the care of trustworthy persons, to receive the sacraments; otherwise they do not receive the sacraments at all. The Ordinaries for the time being never, it must be observed, approved of this system: but they tolerated it in the hope that these girls, having received a Catholic education, might, when they went home, and became *sui juris*, embrace the Catholic faith, and so be the means of bringing their husbands and children to it: and in fact ten of them have abjured their schism, and one has converted her husband. At all events the Prelates hoped that, even if all were not converted, their Catholic education would cause them to lay aside their prejudices against the Catholic Church, and their hatred and contempt of Catholics. On the other hand, as the present Ordinary asserts, on account of the dulness of their understanding, there is no fear of the girls who are *materially* schismatics ever becoming *formally* such; and to this the superiors of the establishment bear witness. The school, besides, if it did not receive schismatical girls, would not have means sufficient for the support of the nuns who direct it, and for the admission of the Catholic boarders, who are generally poor, at a reduced pension.

In answer to this statement the Supreme Congregation of the Holy Office replied as follows:—

'*Feria VI. loco IV. die* 1 *Junii* 1866.

'Tolerari posse ut puellae schismaticae in collegium admittantur quod Sorores dirigunt, dummodo bonam praeseferant indolem, juxta exposita instituantur, nec tamen obligentur ad assistendum Missae Sacrificio aliisque functionibus ecclesiasticis, verum id earum arbitrio relinquatur, vetito quidem ne umquam disputationes cum puellis catholicis habeant de rebus ad religionem spectantibus; ne templum adeant schismaticum a mini-

stris schismaticis sacramenta recepturae, quod si in aliquo casu id impediri nullo modo possit Sorores passive se habeant; et pariter vetito ne puellae ab amicis et conjunctis, exceptis parentibus et tutoribus, absque licentia Ordinarii visitentur; de quibus omnibus clare et explicite instructi fiant, et in iis consentiant, parentes vel tutores earumdem puellarum, antequam ipsae ad collegium admittantur. Idque scribatur R. P. D. Archiepiscopo (Ordinario) cum advertentia ut curet omnium horum executionem, et bonum spirituale puellarum quoad fieri poterit, etiam post egressum e collegio; et instruantur Sorores quod si aliqua ad fidem catholicam converti petat, res ad ipsum Archiepiscopum erit deferenda, qui juxta casus adjuncta prudenter providebit; et sedulo caveat ne ex admissione schismaticarum ullum ne minimum quidem perversionis vel indifferentismi periculum puellis Catholicis subsit."

The sentiments of the above-named Sacred Congregation, and the precautions required by it, may be gathered from this decision. But the decree is not to be interpreted as a general rule, applicable to every other mixed boarding-school: and this, by reason of the variety of circumstances in each particular case; respecting which, as we have said, most exact information would be desirable, in order that suitable regulations and instructions might in each case be given.

4. On January 16, 1841, in a letter addressed to the Metropolitans of Ireland, to be communicated to their Suffragans, it was stated, in conformity with the aforesaid rules, that, as the result of the Irish National System of Education in the secondary schools or in the lower classes, which had been promoted by the English Government for children of every denomination of Christians, seemed not to have been, during the ten years that it had lasted, injurious to the Catholic religion, this Sacred Congregation had thought fit not to give any definite judgment on the subject, but rather to leave this mode of instruction to the prudence and conscience of the Bishops; for the success of the system depended necessarily upon the vigilance of the Pastors, the use of proper precautions,

and the experience which the future should give. But the Sacred Congregation seriously impressed upon the Bishops of Ireland how necessary it was that all books injurious to faith or good morals should be excluded from the schools; and that the Government instructor of the Catholic teachers for the classes of religion, morality, and history, should be a Catholic, or else that there should be no such instructor at all. The plan, moreover, of giving [only] secular instruction in the mixed schools was considered safer than that of teaching briefly the so-called fundamental and common articles of the Christian Religion, and reserving special instruction for the different sects separately. ("Che sarebbe cosa più sicura d'insegnare le belle lettere nelle sole scuole *promiscue* di quello che insegnare ristrettamente i così detti articoli fondamentali e comuni della religione Cristiana riserbando una speciale istruzione separatamente alle singole sette.") Finally, the Bishops and Parish Priests were exhorted to take every means for preventing the contamination of any of the Catholic children by this national system of education; and to use every effort to obtain a better system, and more equitable conditions from the Government. The Sacred Congregation further informed those Prelates that it was desirable that the sites occupied by the schools should remain the property of the Bishops or Parish Priests; and lastly that they were to discuss this grave matter in provincial Synod, and to inform the Holy See of any change that might afterwards take place.

5. When, in the year 1857, higher schools were about to be established in the cities of Ireland under the exclusive direction of the Council of National Education—a measure (as the Holy See was informed) full of danger, by reason of the Protestant character of the schools and of the intention ascribed to the Government of using them for the perversion of Catholics,—by a letter of February 20th of that same year the Bishops were exhorted, in the name of the Sacred Congregation, to defend their flocks with anxious zeal; to watch over them with a care and diligence proportioned to the danger with which the sal-

vation of souls was threatened by the new system; and by suitable admonitions, sermons, and pastoral letters, to preserve the faith from the contagion of error.

6. In regard to the mixed University Schools and Colleges, established by the English Government on the same system for the scientific instruction of youth, this Sacred Congregation, in a letter of October 9, 1847, expressed to the Irish Bishops its fear that such Colleges would be dangerous to the Catholic faith and injurious to religion: and it admonished them to have nothing to do with such establishments; and exhorted them rather to improve the condition of the existing Catholic Colleges, and to endeavour to erect a Catholic Academy. To allay the fears which had arisen, the English Government made some modifications in the statutes of the aforesaid system; but this Sacred Congregation, on a subsequent examination of the question, and considering the great intrinsic dangers of the system, did not deem it right to change its resolution, as above given; and this was communicated to the Irish Bishops in a letter dated October 11, 1848.

7. Lastly, it will be well to add the reply which, after examining the rules, the Sacred Congregation, at its general meeting of August 31, 1863, made to the founder of the Institute of the Sisters of Notre Dame de Sion, established in France. Speaking of the girls educated in their schools, it said "that it was the desire of the Sacred Congregation that, as a general rule, only Catholic girls should be received. That if it happened that, for some grave reason, girls of other religions were admitted, *to be brought up, however, as Catholics*, the Bishop of the diocese should be informed of it, so that he might, in concert with the Superioress, make such arrangements as should be necessary for removing all danger of perversion; and that one rule should be that, when the girls were visited by their relatives, a sister should always be present."

I have thought it well to bring these points under your Lordship's notice, that you may be safely guided in a matter

which is, in these days especially, of the greatest importance for the integrity of Catholic faith and morality. It only remains for me to pray that our Lord may have you in His holy keeping.

Your Lordship's affectionate Servant,

ALEXANDER CARD. BARNABO,

Prefect.

JOHN SIMEONI, *Secretary.*

Propaganda, April 25, 1868.

XVI.

DE UNIVERSITATIBUS ACATHOLICIS.

(Ad Decretum XVII., 8.)

ILLME. ET RME. DOMINE,

Literis die 3 Februarii anni 1865 ad RR. PP. DD. sacrorum Antistites Angliae datis Sacrum Consilium Chr. Nom. Propag. significavit se libentissime confirmasse sententiam a laudatis Episcopis in recenti Londinensi conventu unanimiter propositam de Collegiis penes Universitates Anglicanas Oxoniensem ac Cantabrigiensem non erigendis, deque parentibus catholicis opportune persuadendis ne suos filios ad eas Universitates mitterent, quod videlicet idem Sacrum Consilium Episcoporum sententiam apprime consonam vidisset principiis juxta Summi Pontificis mentem a se traditis, quoties de scholarum mixtarum periculis consulta fuerat. Porro cum per epistolam encyclicam ad clerum datam sub die 24 Martii 1865 Praesules Angli sententiam supradictam a sacra hac Congregatione confirmatam Sacerdotibus per suas Dioeceses patefecissent, sperandum erat

fore ut eidem patresfamilias catholici se conformarent, quo filios suos a perversionis periculis omnino arcerent. Verum nonnulla quae recenter evenerunt facta satis ostenderunt declarationes in rem a S. Sede emanatas ac laudatam Episcoporum ad minores Sacerdotes encyclicam non fuisse sufficienter promulgatas; ideoque necessarium apparet ut literae pastorales a singulis Angliae Praesulibus divulgentur, quibus Cleris pariter ac fidelibus suarum Dioecesium perspicuam ac certam tribuant agendi normam in re sane gravissima, quae cum aeterna animarum salute apprime connectitur.

Quoniam vero non omnes idem tulere judicium de acatholicis Universitatibus devitandis, ac quidam etiam non defuerunt, qui censerent tolerari posse ut catholica juventus praedicta instituta frequentaret, sive ob temporalia emolumenta quae in iis comparantur, sive quod in ipsorum sententia certa lex non appareat qua ad illas accessus absolute prohibeatur, operae pretium arbitror, ut Amplitudo tua clare explicet in epistola pastorali doctrinam de proximis peccandi graviter occasionibus devitandis, quibus nemo sine lethali peccato exponere seipsum potest, nisi gravis urgeat ac proportionata necessitas, ac nisi tales adhibeantur cautiones quibus periculum peccandi proximum removeatur. Jam vero in re de qua agitur, cui, ex Summi Pontificis declaratione, intrinsecum gravissimumque inest periculum, non pro morum tantum honestate, sed praesertim pro fide, quae ad salutem omnino est necessaria, quis non videt vix aut ne vix quidem dari posse adjuncta illa in quibus absque peccato acatholicae Universitates frequententur? Levitas ingenii atque instabilitas adolescentium, errores qui quasi cum aura in dictis institutis hauriuntur absque antidoto solidioris doctrinae, maxima vis quam in juvenes exercent humani respectus ac sodalium irrisiones, tam praesens tamque proximum in adolescentes inducunt labendi periculum, ut nulla generatim sufficiens ratio concipi queat, propter quam adolescentes acatholicis Universitatibus committantur. Quae cum ita sint, erit sapientiae tuae ita argumentis auctoritatis ac rationis uti in epistola divulganda, ut tandem aliquando omnibus sacerdotibus pariter ac fidelibus laicis quid in negotio isto gravissimo sentire atque agere oporteat

perspicuum sit. Ceterum non praetermittam Amplitudini tuae inculcare, ut ita agas cum ceteris Angliae Episcopis, quo videlicet epistola, de qua supra, et uniformi ratione concipiatur et pari uniformitate executioni mandetur.

Precor Deum ut Te diu sospitem servet incolumemque.

Romae, ex Aedibus S. C. de Prop. Fide, die 6 Augustii 1867.

Amplitud. Tuae,

Ad officia paratissimus,

AL. CARD. BARNABO,

Praefectus.

H. CAPALTI, *Sec.*

R. P. D. Henrico Eduardo,
Archiepiscopo Westmonasteriensi.

XVII.

DE EXAMINATORUM CORPORE INSTITUENDO, ETC.

(*Ad Decretum XVII.*, 8.)

ILLME. AC RME. DOMINE,

Quae nuperrime Gubernium istud conatum est promovere in detrimentum catholicae educationis, atque eo fine ut etiam in Anglia juventutis instructio a religione omnino separetur, satis superque ostendunt nihil in praesentia potius esse debere Episcopis istius Regni, quam ut negotio institutionis catholicae juventutis efficaciter consulatur. Quam ob rem SSmus. D. N.,

pro paterna, qua praestat, sollicitudine aeternae salutis Anglorum fidelium, ac signanter adolescentium, in Audientia diei 30 Martii nuper elapsi censuit in Domino praecipiendum, ut nomine suo commendaretur Tibi sacrorum Antistitum istarum Dioecesium vigilantiam ac studium excitare in proximo coetu ab eis habendo, quo videlicet id consilii capiatur ut gravioribus malis, quae in supradicta re merito timentur, opportune occurratur.

Hac vero occasione praetermittere non possum quin in memoriam revocem Amplitudinis Tuae quod mense Januarii 1868 Sacra haec Congregatio, probante Summo Pontifice, resolvit circa initum consilium Catholicae Universitatis in Anglia suo tempore erigendae. Scilicet mentem suam S. Congregatio expressit, ut cum Superioribus Religiosorum Ordinum collegia in istis Dioecesibus habentium ageretur quo Examinatorum formaretur corpus ad academicos gradus conferendos, nec non ad alia quaedam praestanda quibus via ad proprie dictae Universitatis fundationem sterneretur. Cum vero Amplitudo Tua nihil de exitu negotii hujus hucusque significaverit, plane non dubito quin peculiares contra ejus executionem difficultates exortae fuerint. Atqui Dei gloria atque animarum salus in praesentia postulant, ut nihil intentatum relinquatur quo ejusmodi difficultates superentur, idque ad Amplitudinis Tuae atque Angliae Episcoporum prudentiam ac zelum omnino pertinet. Quae cum ita sint, tuum erit comprovinciales Episcopos hortari vehementer, tum ad instructionem scientificam sic promovendam ut laicis quilibet auferatur praetextus filios suos Universitatibus acatholicis committendi, tum etiam ad curandum ut Examinatorum corpus, de quo supra, constituatur; iis videlicet persuadendo a quibus hoc pendet, quodlibet sacrificium cum de aeterna populorum salute agitur esse subeundum. Ceterum animadvertere non omittam plenarium ab Hibernensibus Episcopis concilium hoc anno celebrandum praeparari, ut praesertim de catholica educatione consilia efficacia ineantur; qua super re opportunae a S. Sede instructiones eisdem brevi tradentur. Nihil igitur magis expedire censeo, quam ut industriae ac studia Episcoporum Angliae atque Hiberniae conjungantur:

ubi enim commune est periculum, optime communia sunt adminicula defensionis.

Precor vero Deum ut Te diutissime sospitet ac servet.

Romae, ex Aedibus S. C. de Prop. Fide, 2 Aprilis, 1873.

Amplitud. Tuae,

Ad officia paratissimus,

AL. CARD. BARNABO,

Praefectus

JOANNES SIMEONI, *Sec.*

R. P. D. Henrico Eduardo,
Archiep. Westmonasterien.

XVIII.

DE CONFESSIONE INTEGRA

A NEO-CONVERSIS EXIGENDA.

BEATISSIME PATER,

Inter decreta primae Synodi Provincialis Westmonasteriensis sub c. XVI. n. 8., ubi sermo est de abjuratione Protestantium adultorum, et de baptismate sub conditione eis conferendo, additur, "Confessio etiam sacramentalis semper in tali casu est exigenda." In adnotationibus quas adjecit Pater Ballerini Editioni Romanae Theologiae Moralis P. Gury, dicitur hanc confessionem esse conformiorem Instructioni a Suprema S. Officii Congregatione super modo reconciliandi haereticos editae, ex qua Instructione deducitur opportunam esse integram peccatorum confessionem. In textu P. Gury tenetur eam esse suadendam in praxi.

Cum vero hic auctor tam in Theologia quam in Casibus Conscientiae citaverit opinionem aliorum auctorum docentium, propter existentiam dubii de primo baptismate a neo-conversis tempore infantiae suscepto (adeo ut si nullum id fuerit, vera baptismi susceptio sit ea quae occasione abjurationis sub conditione traditur), dubiam esse obligationem peccata integre confitendi ante hoc baptisma conditionatum, nonnulli confessarii in Anglia censuerent, eos auctores secuti, dubiam confessionis integrae obligationem esse nullam obligationem; ac propter repugnantiam conversorum ad eam faciendam, et propter periculum confessionis imperfectae, vel etiam sacrilegae, omnino expedire ut conversi aliqua tantum peccata confessario exponant, ut ab eo absolutionis sacramentalis, si forsan ea opus sit, beneficium impetrent.

Ex alia parte habetur praxis constans maximae partis confessariorum Regni integram confessionem, tam ante quam post approbationem Concilii Provincialis, non modo suadentium, sed etiam exigentium; habetur difficultas conversorum intellectum ad obsequium fidei ipsius captivandi, nisi per animi humilitatem et submissionem quas in Sacramento Poenitentiae Christus Dominus reponere dignatus est; habetur etiam impossibilitas sciendi, nisi per integram peccatorum manifestationem, utrum neo-conversus rite sit ad ipsum baptisma dispositus, velitque, ex. gr., restitutionem famae vel bonorum (si ad eam teneri contigerit) facere, occasionem proximam peccandi vitare, a matrimonio nulliter contracto resilire, etiamsi per S. Sedis dispensationem (uti in casibus quotidie frequentioribus matrimonii post divortium civile contracti) illud sanari nequeat; habetur insuper necessitas suae saluti per justificationem in Sacramento Poenitentiae prospiciendi, a cujus integritate nemo in infantia semel baptizatus possit eximi; attenta praesertim diligentia juniorum e Clero Anglicano circa ritum baptizandi fideliter servandum, et attento proinde majori numero eorum, de quorum baptismatis infantilis valore non licet dubitari.

Quum vero certum sit, quod post plures annos confessionis integrae obligatio vim suam omnino sit amissura, si in praxi sequi valeant Theologi uti tutam opinionem auctorum prae-

fatorum, Archiepiscopus Westmonasteriensis et Episcopi Angliae enixe rogant, ut Sanctitas Vestra, pro sua in Missiones Angliae benignitate, dignetur declarare hac super quaestione gravissima mentem Ecclesiae:

An debeat, juxta Synodi Provincialis Decretum a S. Sede probatum, confessio Sacramentalis a neo-conversis in Anglia exigi; et an ea debeat esse integra?

Feria V. loco IV. die 17 *Decembris*, 1868.

In Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis habita in Conventu S. Mariae supra Minervam coram Emis. ac Rmis. DD. Cardinalibus contra haereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus, proposito suprascripto dubio praehabitisque DD. Consultorum suffragiis, iidem Emi. ac Rmi. Patres ad utramque dubii partem censuerunt respondendum esse: *Affirmative; et dandum esse Decretum latum sub feria quinta die decima septima Junii anni millesimi septingentesimi decimi quinti.*

Eadem die ac Feria.

SSmus D. N. D. Pius divina providentia Papa IX. in solita audientia R. P. D. Adsessori Sancti Officii concessa Resolutionem Emorum. Patrum adprobare ac confirmare dignatus est; eamdemque una cum memorato Decreto mandavit remitti R. P. D. Archiepiscopo Westmonasteriensi.

ANGELUS ARGENTI, *S. R. et U. I. Notarius.*

L. ✠ S.

FERIA V. die 17 Junii 1715.

DUBIUM.

An plena fides sit adhibenda Carolo Ferdinando Wipperman de Rostoch in ducato Mechlenburgh praedicanti et Lectori theologiae Lutheranae quietisticae superintendenti, et doctori primario sectae Lutheranorum Quietistarum, S. Fidei catholicae

reconciliato in S. O. Parmae, et circa nonnullos errores detectos in ejus Baptismo, an ipsi credendum sit circa ea quae enarrat; et quatenus affirmative, tum ipsius saluti, tum etiam ut caeterorum illius sectae seu Regionis, praesertim si fuerint ignorantes, saluti pariter consulatur,—

Quaeritur, an dictus Wipperman sit rebaptizandus, et quatenus affirmative, an absolute vel sub conditione; et quatenus affirmative, an teneatur confiteri omnia peccata praeteritae vitae; et quatenus affirmative, an confessio praeponenda sit, vel postponenda Baptismo conferendo sub conditione.

SSmus. auditis votis Emorum. dixit: Carolum Ferdinandum esse rebaptizandum sub conditione; et collato Baptismo ejus praeteritae vitae peccata confiteatur, et ab iis sub conditione absolvatur.

Praesens decretum concordat cum suo originali,

Ita est, ANGELUS ARGENTI, *S. R. et U. I. Notarius.*

L. ✠ S.

XIX.

DE SOCIETATIBUS SECRETIS.

SS. DOMINI NOSTRI PII PP. IX. ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO

DIE XXV. SEPTEMBRIS, 1865.

VENERABILES FRATRES,

Multiplices inter machinationes artesque, quibus Christiani nominis hostes adoriri Ecclesiam Dei, eamque irrito licet conatu labefactare, atque exscindere ausi sunt, recensenda, procul dubio est, Venerabiles Fratres, perversa illa hominum societas, quae *Massonica* vulgo nuncupatur, quaeque in latebris pri-

mum, tenebrisque coacta in communem exinde perniciem religionis, humanaeque societatis erupit. Cujus insidias ac fraudes ubi primum detexerunt Praedecessores Nostri Romani Pontifices, pastoralis officii memores nihil morae interponendum existimarunt, quominus sectam illam scelus anhelantem, multa ac nefaria rei sacrae et publicae molientem auctoritate sua coercerent, ac damnationis sententia tamquam jaculo confoderent et profligarent. Enimvero Clemens XII. Praedecessor Noster Apostolicis suis Litteris eamdem sectam proscripsit, reprobavit, ac fideles universos ab illa nedum ineunda, sed vero etiam quovis modo promovenda juvandaque deterruit, indicta excommunicationis poena ipso facto incurrenda, et per Romanum dumtaxat Pontificem relaxanda. Quam porro justam ac debitam damnationis sententiam Benedictus XIV. edita Constitutione confirmavit, summosque Catholicos Principes haud excitare praetermisit, ut ad convellendam perditissimam sectam, et a communi periculo propulsandam vires omnes curasque conferrent. Atque utinam supremi iidem Principes Decessoris Nostri vocibus aures praebuissent; utinam in causa tam gravi non remissius egissent: nunquam certe fuissent deplorandi nostra patrumque memoria tanti seditionum motus, tanta bellorum incendia, quibus Europa universa conflagravit, tanta denique malorum acerbitas, quibus afflictata est, atque adhuc afflictatur Ecclesia. Jamvero quum improborum furor minime conquiesceret, recens ortam *Carbonariorum* sectam in Italia praesertim longe lateque propagatam Pius VII. Praecessor Noster anathemate perculit; parique incensus animarum studio Leo XII. tum superiores, quas memoravimus clandestinas societates, tum quascumque alias quovis tandem nomine appellatas, quae contra Ecclesiam, civilemque potestatem conspirarent, Apostolicis suis Litteris condemnavit, atque universis fidelibus sub gravissima excommunicationis poena prohibuit. Attamen impensa haec Apostolicae Sedis studia haud illum habuerunt exitum, qui fuisset expectandus. Neque enim domita, et cohibita unquam est *Massonica* haec, de qua loquimur, secta, verum ita longe lateque diffusa, ut difficillimo hoc tempore ubicumque gentium impune se jactet, atque audacius

efferatur. Quam rem inde Nos repetendam magna ex parte existimamus, quod plerisque, ignorantia fortasse iniquorum consiliorum quae in clandestinis iis coetibus agitantur, falso inse-derit opinio innoxium hoc esse societatis genus, atque institutum, quod in adjuvandis hominibus, eorumque relevandis aerumnis unice versetur; nihil proinde contra Ecclesiam Dei ex illo esse pertimescendum. Id vero quantopere abhorreat a veritate ecquis non intelligat? Quid enim sibi vult illa hominum cooptatio cujuscumque tandem religionis et fidei sint? Quid illa sibi volunt clandestina conventicula, quid severissimum jusjurandum ab iis prolatum, qui huic sectae initiantur, nunquam se quidquam patefacturos, quod pertinere ad illam possit? Quo tandem spectat inaudita poenarum atrocitas, quibus se devovent, si forte a juramenti fide desciscant? Impia certe quidem ac nefaria ea societas sit oportet, quae diem lucemque tantopere reformidat; qui enim male agit, ut scripsit Apostolus, odit lucem. Jamvero quam longe dissimiles ab hac dicendae sunt piae fidelium Societates quae in Catholica Ecclesia florescunt. Nihil in eis retrusum atque abditum; patent omnibus leges quibus reguntur, patent quae juxta Evangelii doctrinam exercentur opera caritatis. Atqui Catholicas hujusmodi Sodalitates tam salutares, tam excitandae pietati, recreandisque pauperibus opportunas, oppugnari alicubi, et vero etiam deleri, non sine dolore videmus, dum contra fovetur, vel saltem toleratur tenebricosa *Massonica* societas tam Ecclesiae Dei inimica, tam periculosa etiam securitati regnorum? Illud vero graviter Nos et acerbe ferimus, Venerabiles Fratres, quod in hujusmodi reprobanda secta juxta Decessorum Nostrorum Constitutiones, segnes nonnullos esse, et quasi indormientes videamus, quos in re tam gravi commissi muneris et officii ratio excitatissimos poscit. Quod si qui in hac opinione versantur, Apostolicas Constitutiones contra occultas sectas, earumque asseclas et fautores sub poena anathematis editas, nullam habere vim iis in regionibus, ubi a civili potestate memoratae sectae tolerantur, ii certe vehementer errant; ac Nos pravae hujus doctrinae commentum alias, ut scitis, Venerabiles Fratres, reprobavimus, iterumque hodierno die reprobamus et condemnamus. Numquid

enim suprema illa pascendi regendique universi dominici gregis potestas, quam in persona Beatissimi Petri a Christo Domino acceperunt Romani Pontifices, ac supremum inde quod exercere in Ecclesia debent magisterium, a civili pendeat potestate, aut aliqua ratione coerceri ab illa possit et coarctari? Quae cum ita sint, ne minus cauti homines, juvenesque in primis decipiantur, ac ne ex Nostro silentio aliqua tuendi erroris arripiatur occasio, Apostolicam attollere vocem decrevimus, Venerabiles Fratres; atque hic in consessu Vestro memoratas Praedecessorum Nostrorum Constitutiones confirmantes, *Massonicam* illam aliasque ejusdem generis Societates quae specie tenus diversae in dies coalescunt, quaeque contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinentur auctoritate Nostra Apostolica reprobamus et condemnamus, atque ab omnibus Christifidelibus cujuscumque conditionis gradus ac dignitatis, et ubicumque terrarum sint, tamquam per Nos proscriptas et reprobatas haberi volumus sub iisdem poenis, quae in memoratis Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus continentur. Nunc, quod reliquum est, pro paterni animi Nostri studio monemus et excitamus fideles, qui forte ejusmodi sectis nomen dederint, ut ad saniora se consilia recipiant, funestosque illos coetus et conventicula deserant, ne in sempiternae ruinae baratrum prolabantur; reliquos vero fideles omnes, pro sollicita qua urgemur animarum cura, vehementer hortamur, ut a dolosis sectariorum labiis caveant, qui quamdum honesti speciem praeseferentes contra Christi religionem et legitimos principatus inflammato odio feruntur, idque unum spectant atque agunt, ut jura quaeque tam divina quam humana pessumdent. Noverint, hos sectarum gregales tamquam lupos esse, quos ovium pelle contectos ad exitium gregis venturos praedixit Christus Dominus; noverint in eorum numero esse habendos a quorum consuetudine, congressuque sic Nobis interdixit Apostolus, ut nec ave illis dicere diserte praeceperit. Faxit nostrum omnium precibus exoratus dives in misericordia Deus, ut auxiliante gratia sua redeant insipientes ad cor, errantesque in viam justitiae reducantur; faxit ut compresso perditorum hominum furore, qui per supra memoratos coetus impia, ac nefaria moliuntur, a tam multis

tamque inveteratis malis recreari aliquando tum Ecclesia tum humana societas possit. Quae ut Nobis ex votis succedant deprecatricem apud clementissimum Deum adhibeamus Sanctissimam Virginem Dei ipsius matrem ab origine immaculatam, cui datum est Ecclesiae hostes, atque errorum monstra confringere; nec non patrocinium imploremus Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, quorum glorioso cruore Alma haec Urbs consecrata est. Horum ope atque auxilio, quod a divina bonitate flagitamus, facilius Nos assecuturos confidimus.

XX.

DE SOCIETATE FENIANORUM.

DECRETUM S. OFFICII.

Feria IV., die 12 Januarii, 1870.—Cum dubitatum fuerit a nonnullis, an Societas Fenianorum comprehensa censeatur inter Societates damnatas in Pontificiis Constitutionibus, Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa IX., exquisito prius suffragio Eminentissimorum Patrum Cardinalium contra haereticam pravitatem in universa christiana republica Inquisitorum Generalium, ne fidelium, praesertim simplicium, corda cum evidenti animae discrimine pervertantur, inhaerens Decretis alias a S. Congregatione Universalis Inquisitionis in similibus editis, praesertim Decreto fer. IV., die 5 Julii, 1865, decrevit ac declaravit Societatem Americanam seu Hibernicam Fenianorum appellatam comprehendi inter Societates vetitas et damnatas in Constitutionibus Summorum Pontificum, et praesertim in nuperrima ejusdem Sanctitatis Suae edita quarto idus Octobris 1869, incip. *Apostolicae Sedis*, qua, sub num. 4, excommunicationi *latae sententiae* Romano Pontifici reservatae obnoxii declarantur "Nomen dantes sectae *Masso-*

nicae, aut *Carbonariae*, aut aliis ejusdem generis sectis quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur; necnon iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos coryphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint." Atque ita Episcopis quibuscumque petentibus responderi mandavit.

Pro D. Angelo Argenti,

S. Rom. et Univ. Inq. Notario,

L. ✠ S. JACOBUS VOGAGGINI, *Substitutus*

Huc usque Acta, Decreta et Appendices quatuor Concil. Provincial. Westmonast.

Sequuntur tanquam Additiones, documenta quaedam valde utilia, ad disciplinam canonicam spectantia.

ADDITIONES.

ADDITIONES.

I.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS DIVINA PROVIDENTIA PAPAE XIII.

CONSTITUTIO

QUA NONNULLA CONTROVERSIARUM CAPITA INTER EPISCOPOS ET MISSIONARIOS REGULARES ANGLIAE ET SCOTIAE DEFINIUNTUR.

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Romanos Pontifices Decessores Nostros paterno semper caritatis affectu inclytam Anglorum gentem fovisse, et monumentis suis testatur historia, et felicis recordationis Pius IX. in Litteris *Universalis Ecclesiae* III kalend. Octobris anno Incarnationis Dominicae MDCCCL datis, graviter ac diserte demonstravit. Quum autem per eas Litteras episcopalem hierarchiam idem Pontifex inter Anglos restitueret, cumulavit quodammodo, quantam temporum ratio sinebat, ea benefacta quibus Apostolica Sedes nationem illam fuerat prosequuta. Ex dioecesium enim restitutione pars illa dominici gregis ad nuptias Agni caelestis jam vocata, ac mystico Ejus corpori sociata, pleniorem veritatis atque ordinis firmitatem per Episcoporum gubernationem et regimen rursus adepta est. *Episcopi quippe*, inquit S. Irenaeus,[1] *successionem habent ab Apostolis, qui cum*

[1] *Adv. haer.* lib. IV., cap. 26, n. 2.

Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris, acceperunt; atque inde fit, quemadmodum S. Cyprianus monet,[1] *ut Ecclesia super Episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiae per eosdem Praepositos gubernetur.*

Huic sane sapienti consilio mirifice respondit eventus; plura nimirum Concilia provincialia celebrata, quae saluberrimis legibus religiosa dioecesium negotia ordinarunt: latius propagata in dies catholica fides, et complures nobilitate generis et doctrina praestantes ad unitatem Ecclesiae revocati: clerus admodum auctus: auctae pariter religiosae domus non modo ex regularibus ordinibus, sed ex iis etiam recentioribus institutis, quae moderandis adolescentium moribus, vel caritatis operibus exercendis optime de re christiana et civili societate meruerunt: constituta pia laicorum sodalitia: novae missiones novaeque Ecclesiae quamplures erectae, nobili instructu divites, egregio cultu decorae; permulta etiam item condita orphanis alendis hospitia, seminaria, collegia et scholae, in quibus pueri et adolescentes frequentissimi ad pietatem ac litteras instituuntur.

Cujus quidem rei laus non exigua tribuenda est Britannicae gentis ingenio, quod prout constans et invictum est contra vim adversam, ita veritatis et rationis voce facile flectitur, ut proinde vere de ipsis dixerit Tertullianus *Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo subjecta.*[2] At praecipuum sibi laudis meritum vindicant cum assidua Episcoporum vigilantia, tum Cleri universi docilis ad parendum voluntas, prompta ad agendum sollertia.

Nihilominus quaedam ex ipsa rerum conditione ortae difficultates dissensusque inter sacrorum Antistites et sodales ordinum religiosorum obstiterunt, quominus uberiores fructus perciperentur. Illi enim, cum praescripta fuisset per memoratas Litteras Praedecessoris Nostri communis juris observantia, rati sunt se posse omnia decernere quae ad ipsius juris executionem pertinent, quaeve ex generali Ecclesiae disciplina Episcoporum potestati permissa sunt. Plures contra gravesque causae prohibebant, ne peculiaris missionum disciplina, quae jam invetera-

[1] Epist. 29 *Ad lapsos.*

[2] Lib. *Adv. Judaeos* cap. 5.

verat, repente penitus aboleretur. Ad has propterea difficultates avertendas et controversias finiendas Angliae Episcopi, pro sua in hanc Apostolicam Sedem observantia, Nos adiere rogantes, ut suprema auctoritate Nostra dirimerentur.

Nos vicissim haud gravate eam postulationem excepimus, tum quia nobilem illam nationem non minore quam Decessores Nostri benevolentia complectimur, tum quia nihil Nobis est antiquius, quam ut sublatis dissidii causis stabilis ubique vigeat mutua cum caritate concordia. Quo gravius autem et cautius a Nobis judicatio fieret, non modo iis quae ultro citroque adducebantur juribus et auctoritatibus diligenter animum adjecimus, sed etiam sententiam perrogavimus Congregationis specialiter deputatae aliquot S. R. E. Cardinalium e duobus sacris Consiliis, quorum alterum Episcoporum et Regularium negotiis expediendis praeest, alterum christiano nomini propagando. Hi cunctis accurate exploratis quae in deliberationem cadebant, et rationum momentis, quae afferebantur utrinque, religiose perpensis, fideliter Nobis exposuerunt quid aequius melius de singulis quaestionibus decernendum sibi videretur in Domino. Audito itaque memoratorum Cardinalium consilio, causaque probe cognita, supremum judicium Nostrum de controversiis ac dubitationibus quae propositae sunt per hanc Constitutionem pronunciamus.

Multiplex licet varieque implexa sit congeries rerum quae in disceptationem vocantur, omnes tamen ad tria potissimum capita commode redigi posse arbitramur, quorum alterum ad familiarum religiosarum exemptionem pertinet ab episcopali jurisdictione; alterum ministeria respicit, quae a regularibus missionariis exercentur; tertium quaestiones complectitur de bonis temporalibus deque usu in quem illa oporteat converti.

Ad regularium exemptionem quod attinet, certa et cognita sunt canonici juris praescripta. Scilicet quamvis in ecclesiastica hierarchia, quae est *divina ordinatione* constituta, presbyteri et ministri sint inferiores Episcopis, horumque auctoritate regantur;[1] tamen quo melius in religiosis ordinibus omnia

[1] Concil. Trid. sess. 23, *de sacram. ord.* can. 7.

essent inter se apta et connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu uterentur; denique ut esset incremento et perfectioni *religiosae conversationis*[1] consultum, haud immerito Romani Pontifices, quorum est dioeceses describere, ac suos cuique subditos sacra potestate regundos adtribuere, Clerum Regularem Episcoporum jurisdictione exemptum esse statuerunt. Cujus rei non ea fuit causa quod placuerit religiosas sodalitates potiore conditione frui quam clerum saecularem; sed quod earum domus habitae fuerint juris fictione quasi territoria quaedam ab ipsis dioecesibus avulsa. Ex quo factum est ut religiosae familiae, quas jure communi et Episcopis propter hieraticum principatum, et Pontifici maximo propter primatum Pontificium immediate subesse oporteret,[2] in Ejus potestate esse perrexerint, ex Episcoporum potestate per privilegium exierint. Quum autem re ipsa intra fines dioecesium vitam degant, sic hujus privilegii temperata vis est, ut sarta tecta sit dioecesana disciplina, adeoque ut clerus regularis in multis subesse debeat episcopali potestati sive ordinariae sive delegatae.

De hoc itaque privilegio exemptionis dubitatum est, num eo muniantur religiosi sodales, qui in Anglia et Scotia missionum causa consistunt: hi enim ut plurimum in privatis domibus terni, bini, interdum singuli commorantur. Et quamvis Benedictus XIV. in Constit. *Apostolicum ministerium*, III kalen. Junii anno Incarnationis Dominicae MDCCLIII, memoratos missionarios regulares privilegio perfrui declaraverit, subdubitandum tamen Episcopi rursus in praesens existimabant, eo quod, restituta episcopali hierarchia, rem catholicam ad juris communis formam in ea regione gubernari oportet. Jure autem communi[3] constitutum est, ut domus, quae sodales religiosos sex minimum non capiant, in potestate Episcoporum esse omnino debeant. Insuper ipse Constitutionis Auctor visus est ponere privilegii causam in "publici regiminis legibus .... quibus coenobia quae-

[1] S. Gregor. M. Epist. III. lib. IX.—Bened. XIV. Epist. Decret. *Apostolicae servitutis*, prid. Idus Mart. 1742.

[2] Concil. Vatic. Constit. *Pastor aeternus* cap. 3.

[3] Innocent. X. Constit. *Instaurande*, die 15 Octob. 1652. Constit *Ut in parvis*, die 10 Februar. 1654.

"cumque prohibentur"; hanc vero causam compertum est fuisse sublatum, quum plures jam annos per leges illius regni liceat religiosis sodalibus in collegia coire.

Nihilominus haec tanti non sunt, ut reapse privilegium defecisse judicemus. Nam quamvis hierarchiae instauratio faciat, ut res catholica apud Anglos ad communem Ecclesiae disciplinam *potentialiter* revocata intelligatur; adhuc tamen res ibi geruntur eodem fere modo atque in missionibus geri solent. Jamvero sacrum Consilium christiano nomini propagando pluries declaravit, Constitutiones Clementis VIII. *Quoniam* IX kal. Julii MDCIII, Gregorii XV. *Cum alias* XVI kalen. Septemb. MDCXXII, Urbani VIII. *Romanus Pontifex* V kalen. Septemb. MDCXXIV, itemque Constitutiones Innocentii X. non esse de domibus atque hospitiis missionum intelligendas.[1] Ac merito quidem; nam quum dubium jamdudum fuisset propositum Clementi VIII., utrum religiosi viri ad Indos missi in culturam animarum existimandi essent quasi vitam degentes extra coenobii septa, proindeque Episcopis subesse Tridentina lege juberentur, Pontifex ille per Constitutionem *Religiosorum quorumcumque* VI Idus Novembris MDCI decreverat eos "reputandos esse tam-"quam religiosos viventes intra claustra" quamobrem "in con-"cernentibus curam animarum Ordinario loci subesse: in reliquis "vero non Ordinario loci, sed suis superioribus subjectos remanere." Neque aliud sensit judicavitque Benedictus XIV. in suis Constitutionibus *Quamvis* V kalen. Martii MDCCXLVI; *Cum nuper* VI Idus Novembris MDCCLI, et *Cum alias* V Idus Iunii MDCCLIII. Ex quibus omnibus liquet, etiam hospitia ac domos quantumvis incolarum paucitate infrequentes hujus, de quo agitur, privilegii jure comprehendi, idque non in locis solum ubi Vicarii apostolici, sed etiam ubi Episcopi praesunt; de Episcopis enim in Constitutionibus, quas memoravimus, agebatur. Apparet insuper rationem potissimam exemptionis missionariorum regularium in Anglia non esse exquirendam in legibus civilibus, quae coenobiis erigendis obessent; sed magis in eo salutari ac nobilissimo ministerio, quod a viris apostolicis exercetur. Quod non obscure

[1] S. Cong. de Prop. fide 30 Januarii 1627; 27 Martii 1631; 5 Octobris 1655; 23 Septembris 1805; 29 Martii 1834.

Benedictus XIV. significavit inquiens, "regulares Anglicanae "missioni destinatos illuc proficisci in bonum sanctae nostrae "religionis." Eamdemque causam pariter attulerat Clemens VIII., cum de sodalibus religiosis ad Indos profectis docuerat, ipsos antistitum suorum jussu illuc concessisse, ibique sub disciplina praefecti provinciae versari "ad praedicandum sanctum Dei "evangelium et viam veritatis et salutis demonstrandam." Hinc post sublatas leges sodalitiis regularibus infensas, et hierarchia catholica in integrum restituta, ipsi Britannorum Episcopi in priori Synodo Westmonasteriensi testati sunt, rata sibi privilegia fore, "quibus viri religiosi suis in domibus vel extra legitime "gaudent" quamvis "extra monasteria ut plurimum degant."

Quamobrem in praesenti etiam Ecclesiae catholicae apud Britannos conditione declarare non dubitamus: Regulares, qui in residentiis missionum commorantur, exemptos esse ab Ordinarii jurisdictione, non secus ac regulares intra claustra viventes, praeter quam in casibus a jure nominatim expressis, et generatim in iis quae concernunt curam animarum et sacramentorum administrationem.

Praecipuam hanc quam definivimus controversiam altera excipiebat affinis, de obligatione qua teneantur Rectores missionum creditam habentes animarum curam, eorumque vicarii, aliique religiosi sodales, facultatibus praediti quae missionariis conceduntur, ut intersint iis Cleri conventibus, quos *collationes* seu *conferentias* vocant, neque non Synodis dioecesanis. Cujus quaestionis vis et ratio ut intelligatur, praestat memorare quod in Concilio Westmonasteriensi Provinciali IV praecipitur his verbis: "Si duo vel plures sint sacerdotes in eadem missione, unum "tantum primum designandum, qui gerat curam animarum et "administrationem Ecclesiae ...... ceteros omnes curam quam "habent animarum cum dependentia a primo exercere."[1] Comperta itaque natura facti de quo agitur, et semota tantisper ea quaestionis parte quae Synodos respicit, ambigi nequit, quin Rectores missionum adesse debeant iis Cleri coetibus, qui *collationes* dicuntur. Namque eorum causa eadem ferme est ac

[1] Dec. X. n. 10.

parochorum; parochos autem etiam regulares ea obligatione adstringi et docuit Benedictus XIV. Constit. *Firmandis* § 6. VIII Idus Novembr. MDCCXLIV, et sacrum Consilium Tridentinis decretis interpretandis pluries declaravit [1]. Recte igitur in praedicta Synodo Westmonasteriensi fuit constitutum: "Ad "suam collationem tenentur convenire, respondere parati omnes "sacerdotes saeculares et regulares, salvis eorum juribus, qui "curam habent animarum." Aliter dicendum videretur de vicariis, aliisque religiosis viris apostolica munia obeuntibus. His enim integrum quidem est de *jure constituto* a memoratis collationibus abstinere, prout alias fuit a sacra Congregatione Concilii declaratum.[2] At Nos minime praeterit Concilium Romanum habitum anno MDCCXXV auctoritate Benedicti XIII jussisse confessarios omnes etiam ex ordinibus regularibus intra fines provinciae commorantes coetus illos celebrare "dummodo "morales in eorum conventibus lectiones non habeantur." Quum autem quod sine effectu geritur id geri nullo modo videatur, sacrum Consilium christiano nomini propagando merito existimans domesticas regularium collationes in quibusdam missionum locis parum fructuosas ob exiguum sodalium numerum futuras, cunctis et singulis illic munere perfungentibus imperavit, ut Cleri conventibus interessent. Hisce igitur rationibus permoti declaramus, omnes missionum rectores Cleri collationibus adesse ex officio debere, simulque decernimus ac praecipimus ut iisdem intersint vicarii quoque, aliique religiosi viri missionariis facultatibus concedi solitis instructi, qui hospitia, parvasque missionum domos incolunt.

De officio conveniendi ad Synodum explorata Tridentina lex est:[3] "Synodi quoque dioecesanae quotannis celebrentur, ad quas "exempti etiam omnes, qui alias, cessante exemptione, interesse "deberent, nec capitulis generalibus subduntur, accedere tenentur. "Ratione autem parochialium aut aliarum saecularium eccle-"siarum etiam adnexarum, debent ii qui illarum curam gerunt,

[1] *Forosempronien.* 5 Septemb. 1650 Lib. 19 Decret.

[2] *Forosempronien.* 12 Maii, 1681, Lib. 53 Decr. fol. 258 *Aquipendien* VV. SS. LL. 12 Martii, 1718.

[3] Sess. 24 cap. 2. *de reform.*

"quicumque illi sint, Synodo interesse." Quam legem egregie illustravit Benedictus XIV.[1] Neque vero putamus cuiquam negotium facessere decretum Alexandri VIII., III kalen. Aprilis MDCXCI quo cavetur, ut ad synodum accedant Abbates, Rectores, Praefecti, ommesque antistites domorum religiosarum quas Innocentius X. Episcoporum potestati subjecerat. Quum enim Innocentianae Constitutiones viros apostolicos, qui in sacris missionibus versantur, non attingant, facile intelligitur, neque decretum Alexandri VIII. ad eos, de quibus modo apud Nos agitur, pertinere. Quare huic posteriori quaestionis parti hoc unum respondemus; standum esse decretis Synodi Tridentinae.

Proxima est quaestio quae respicit appellationem ab interpretatione, quam Episcopi ediderint, decretorum synodalium. Namque hisce decretis pareant oportet etiam religiosi sodales in iis quae ad curam animarum et sacramentorum administrationem referuntur,[2] ceterisque in rebus "in quibus eos Episcoporum "jurisdictioni subesse canonica praecipiunt instituta."[3] Profecto dubitare non licet quin ab iis interpretationibus ad Sedem Apostolicam provocatio sit; "siquidem, Gelasio I.[4] et Nicolao I.[5] "auctoribus, ad illam de qualibet mundi parte canones appellari "voluerunt: ab illa autem nemo sit appellare permissus." Quare hujus appellationis tantummodo vis et effectus potest in dubitationem adduci. At haec dubitatio facile tollitur, si apta fiat causarum distinctio. Fas est nimirum Regularibus appellare *in devolutivo* tantum, quoad interpretationem decretorum, quae de jure communi, sive ordinario sive delegato, Regulares etiam afficiunt; quo vero ad interpretationem aliorum decretorum etiam *in suspensivo*. Authentica namque interpretatio quae manat ab Episcopis, qui Synodorum auctores sunt, tanti profecto est, quanti sunt ipsa decreta. Ex quo illud omnino est consequens, licere religiosis sodalibus a primo decretorum genere appellare eo jure et modo, quo licet cuilibet e dioecesi appellare

[1] *De Synod. dioec.* lib. 3 cap. 1 § 11.
[2] Concil. Trid. sess. 25 cap. 11 *de Regular.*
[3] Innoc. IV. cap. I. *de Privileg.* in 6.
[4] Epist. 7 *ad Episc. Dardan.* ann. 495 Tom. 2 collect. Harduini.
[5] Epist. 8 *ad Michael. Imperat.* Tom. 5 collect. Harduini.

a lege communi, scilicet *in devolutivo.*[1] At vero ad reliqua decreta quod attinet, ea certe lata contra regulares vim rationemque legis amittunt: quare constat illos sic exemptionem a jurisdictione episcopali possidere uti ante possederint; donec Pontificis maximi auctoritate judicetur, jure ne an secus cum iis actum sit.

Hactenus de exemptionis privilegio; nunc de iis quaestionibus dicendum, quibus ministeria quaedam per regulares exercita occasionem praebuerunt. Excellit inter haec munus curationis animarum, quod saepe, ut innuimus, religiosis viris demandatur intra fines ab Episcopis praestitutos; locus autem iis finibus comprehensus *missionis* nomine designatur. Jamvero de his missionibus disceptatum fuit, an et quomodo fieri possit ab Episcopis earum divisio, seu, ut dici solet, dismembratio. Nam qui Regularium jura tuebantur, negabant hanc divisionem fieri posse nisi legitimis de causis, adhibitisque juris solemniis quae praescripta sunt ab Alexandro III.[2] et a Concilio Tridentino.[3] Alia vero erat Episcoporum opinatio.

Profecto si divisio fiat paroeciae veri nominis, sive antiquitus conditae, sive recentiore memoria jure constitutae, dubitandum non est quin nefas sit Episcopo canonum praescripta contemnere. At Britannicae missiones generatim in paroecias ad juris tramites erectae non sunt: idcirco sacrum Consilium christiano nomini propagando anno MDCCCLXVI officium applicandi missam pro populo ad Episcopum pertinere censuit, propterea quod dioecesium Britannicarum non ea sit constitutio, ut in veras paroecias dispositae sint. Itaque ad divisionem missionis simplicis ea juris solemnia transferenda non sunt, quae super dismembratione paroeciarum fuerunt constituta: eo vel magis quod propter missionum indolem et peculiares circumstantias, numero plures ac leviores causae possint occurrere, quae istarum divisionem suadeant, quam quae jure definitae sint ut fiat paroeciarum divisio. Neve quis urgeat similitudinem quam utraeque inter se habent; cum enim obli-

[1] Bened. XIV. *de Synod. Dioec.* Lib. 13 cap. 5 § 12

[2] Cap. *ad audientiam* de Eccles. aedific.

[3] Sess. 21 cap. 4 *de Reform.*

gatio servandi solemnia juris libertatem agendi coerceat, ad similes causas non est pertrahenda. Silentibus itaque hac super re generalibus Ecclesiae legibus, necesse est ut Concilii Provincialis Westmonateriensis valeat auctoritas, cujus hoc decretum est: "Non obstante rectoris missionarii deputatione, licebit "Episcopo de consilio Capituli, intra limites missionis cui prae-"ponitur, novas Ecclesias condere ac portionem districtus iis "attribuere, si necessitas aut utilitas populi fidelis id requirat." Quae cum sint ita, ad propositam consultationem respondemus: licere Episcopis missiones dividere, servata forma sancti Concilii Tridentini,[1] quoad missiones quae sunt vere proprieque dictae paroeciae; quoad reliquas vero, ad formam Synodi I. Provincialis Westmonasteriensis.[2] Quo melius autem missioni, quae dividenda sit, ejusque administris prospiciatur, volumus ac praecipimus, ut sententia quoque rectoris exquiratur, quod jam accepimus laudabiliter esse in more positum: quod si a religiosis sodalibus missio administretur, Praefectus Ordinis audiatur; salvo jure appellandi, si res postulet, a decreto episcopali ad Sanctam Sedem *in devolutivo* tantum.

Peracta missionis, cui regulares praesint, dismembratione, alia nonnunquam quaestio suboritur: utrum nempe Episcopus in praeficiendo Rectore missioni, quae nova erigitur, ipsos religiosos sodales ceteris debeat praeferre.—Quamvis illi hanc sibi praerogativam adserant, obscurum tamen non est, haud leves exinde secuturas difficultates et offensiones. Ceterum in ea de qua sermo est, nova erectione necesse est alterutrum contingere; nimirum ut paroecia veri nominis, aut mera missio constituatur. Si primum fieret, per quam alienum esset ab Ecclesiae disciplina e religiosa familia arcessitum parochum praeferri; sic enim jure quod modo viget arcentur regulares a parochi munere, ut illud suscepturi venia Apostolica indigeant. Ad rem Benedictus XIV. in Constit. *Cum nuper*, VI. Idus Novembris MDCCLI, "Quem-"admodum, inquit, negari nequit, ex veteri canonum lege, "monachos et regulares ecclesiarum parochialium regiminis "capaces fuisse, ita certum nunc est ex recentiori canonica

[1] Cap. 4 sess. 21 *de Reform.*

[2] *De regimine congregationum* seu *missionum* n. 5.

"disciplina interdictum esse regularibus parochiarum curam "adsumere sine dispensatione Apostolica." Hinc sacrum Consilium Tridentinis decretis interpretandis[1] ad dubium "an "annuendum sit precibus Patrum Augustinianorum de nova "paroecia iisdem concedenda" rescripsit—negative et amplius. —Sin autem, quod secundo loco posuimus, mera missio erigitur, ius certe non obest religiosis viris ne inter eos eligatur rector; ast ne iis quidem praeferri optantibus suffragatur. Rem itaque integram et in sua potestate positam aggrediens Episcopus, libertate sua utatur oportet; ubi enim jura silent, loco legis est Praesulis auctoritas; praesertim vero quod, ut doctorum fert adagium, Episcopus *intentionem habet in jure fundatam* in rebus omnibus, quae ad dioecesim suam administrandam attinent. Quamobrem praelatio quoad novam missionem, a Regularibus expetita, aut nullo juris subsidio fulcitur, aut in disertam juris dispositionem offendit.

Officium curationis animarum sedulitati Regularium commissum alias etiam dubitationes gignit; eaeque loca spectant finibus comprehensa missionum quae ab ipsis reguntur. Coepit enim ambigi utrum coemetéria et pia loca, intra fines illarum sita, Episcopus visitare possit. Ast in coemeteriis facilis ac prona suppetit distinctionis adeoque finiendae controversiae ratio. Nam si de coemeteriis agatur quae solis religiosis familiis reservantur, ea plane ab Episcopi jurisdictione, proindeque a visitatione exempta sunt; cetera vero fidelium multitudini communia, quum uno ordine haberi debeant cum coemeteriis paroecialibus, jurisdictioni Ordinariorum subsunt indubitate, ac propterea optimo jure ab Episcopo visitantur, quemadmodum statuit Benedictus XIV. in Constit. *Firmandis* VIII. Idus Novembris MDCCXLIV. Haud absimili distinctione de locis piis quaestio dirimitur, ea secernendo quae exempta sunt ab iis quibus praeest Episcopus sive ordinario jure, sive delegato. De utrisque igitur, tum coemeteriis tum piis locis, sententiam Nostram paucis complectimur pronunciantes: sacrorum canonum et constitutionum Apostolicarum praescripta esse servanda.

[1] In Januen. *Dismembrationis* XXV. Januarii MDCCCLXXIX.

Superioribus dubiis arcto jungitur nexu illud quo quaeritur an Episcopis subesse debeant scholae pauperum, quae *elementares* etiam, *primariae*, *puerorum* nuncupantur; est enim sanctissimum docendi ministerium, et proximum piis locis ordinem tenent scholae de quibus agendum est. Quo illae pertineant ex ipso nomine dignoscitur; intendunt nimirum ad puerilem aetatem primis litterarum elementis primisque fidei veritatibus, ac morum praeceptis apte instituendam: quae quidem institutio omnibus est temporibus, locis et vitae generibus necessaria, ac multum habet momenti ad universae societatis humanae, nedum singulorum hominum incolumitatem; ex puerili enim institutione pendet, ut plurimum, qua quis ratione sit reliquae aetatis spatium acturus. Itaque quid a docentibus eo loci praecipue praestandum sit, sapienter Pius IX. significavit scribens, "In "hisce potissimum scholis omnes cujusque e populo classis pueri "vel a teneris annis sanctissimae nostrae religionis mysteriis ac "praeceptionibus sedulo sunt erudiendi et ad pietatem morum-"que honestatem, et ad religionem civilemque vivendi rationem "accurate formandi, atque in iisdem scholis religiosa praesertim "doctrina ita primarium in institutione et educatione locum "habere ac dominari debet, ut aliorum cognitiones, quibus "juventus ibi imbuitur, adventitiae appareant."[1] — Nemo exhinc non intelligit istam puerorum institutionem in Episcoporum officiis esse ponendam, et scholas, de quibus agitur, tam in urbibus frequentissimis, quam in pagis exiguis inter opera contineri quae ad rem dioecesanam maxime pertinent.

Insuper quod ratio suadet lux historiae confirmat. Nullum quippe fuit tempus quo singularis non eluxerit Conciliorum cura in hujusmodi scholis ordinandis ac tuendis, pro quibus plura sapienter constituerunt. Eorum nempe decretis prospectum est ut illas Episcopi in oppidis et pagis restitui et augeri curarent,[2] puerique ad discendum admitterentur, qualibet, si fieri posset, impensa remissa.[3] Eorumdem auctoritate dictae leges, quibus

[1] Epist. ad Archiep. Friburg. *Cum non sine maxima* XIV. Julii MDCCCLXIV. *Acta* vol. 3.

[2] Synod. I. Provincial. Camerac. tit. *de Scholis* cap. 1—Synod. provinc. Mechlin. tit. *de Scholis* cap. 2.

[3] Synod. Namurcen. an. 1604 tit. 2 cap. 1.

alumni religioni ac pietati operam darent,[1] definitae dotes et ornamenta animi, quibus magistros praeditos esse oporteret,[2] iisque imperatum, uti jurarent juxta formulam catholicae professionis:[3] demum scholarum curatores constituti qui eas adirent, ac circumspicerent nequid inesset vitii aut incommodi, neve quid omitteretur ex iis rebus quas de illarum disciplina leges dioecesanae sanxissent.[4] Ad haec, quum Patres Conciliorum probe intelligerent parochos etiam pastoralis ministerii compotes esse, partes haud exiguas iisdem tribuerunt in scholis puerorum, quarum cura cum animarum curatione summa necessitate jungitur. Placuit igitur in singulis paroeciis pueriles scholas constitui,[5] quibus nomen est *parochialibus* impositum:[6] jussi sunt parochi munus docendi suscipere, sibique adjutricem operam magistrorum et magistrarum adsciscere:[7] iisdem negotium datum scholas regendi et curandi diligentissime:[8] quae omnia si non ex fide integreque gesserint, officium deseruisse arguuntur,[9] dignique habentur in quos Episcopus animadvertat.[10] In unum ergo collineant argumenta ex ratione et factis petita, ut scholae, quas pauperum vocant, institutis dioecesanis et paroecialibus praecipuo jure adnumerandae sint; eaque de causa Britannorum Episcopi ad hanc usque aetatem in missionibus tam saecularibus quam regularibus easdem pro potestate sua visitare consueverunt. Quod et Nos probantes declaramus: Episcopos jus habere quoad omnia visitandi hujus-

[1] Synod. Antuerpien. sub. Mireo tit. 9. cap. 3.

[2] Synod. Cameracen. an. 1550.

[3] Synod. II. Provinc. Mechlinien. tit. 1. cap. 3.

[4] Synod. II. Provinc. Mechlinien. tit. 20. cap. 4.—Synod. Provin. Pragen. an. 1860, tit. 2. cap. 7.

[5] Synod. Valens. an. 529. can. 1.—Synod. Nannet. relat. in cap. 3. *de Vit. et hon. clericor.*—Synod. Burdigal. an. 1583. tit. 27.

[6] Synod. I. Provin. Mechlin. tit. *de Scholis* cap. 2.—Synod. Provin. Colocen. an. 1863, tit. 6.—Synod. Provin. apud Maynooth anno 1875.

[7] Synod. Nannet. sup. cit.—Synod. Antuerp. sup. cit.—Synod. Prov. Burdig. an. 1850. tit. 6. cap. 3.

[8] Synod. Prov. Vienn. ann. 1858, tit. 6. cap. 8.—Synod. Prov. Ultraject. an. 1865. tit. 3. cap. 2.

[9] Synod. Prov. Colocen. an. 1863. tit. 6. cap. 5.—Synod. Prov. Colonien. an. 1860, tit. 2. cap. 23.—Synod. Prov. Ultraject. an. 1863, tit. 9. cap. 5.

[10] Synod. I. Prov. Cameracen. tit. *de Scholis*, cap. 2.

modi scholas pauperum in missionibus et paroeciis regularibus aeque ac in saecularibus.

Alia profecto causa est ceterarum scholarum et collegiorum, in quibus religiosi viri secundum ordinis sui praescripta juventuti catholicae institutendae operam dare solent; in hisce enim et ratio postulat, et Nos volumus firma atque integra privilegia manere quae illis ab Apostolica Sede collata sunt, prout aperte est declaratum anno MDCCCLXXIV a sacro Consilio christiano nomino propagando, quum acta expenderentur Concilii Provincialis Westmonasteriensis IV.[1]

Quum res in vado sit quod ad scholas attinet et collegia regularium jam constituta, adhuc tamen est in ancipiti, si de novis erigendis agatur. De his enim quaeritur; an et cujus superioris venia sit impetranda? Porro cum latius ea dubitatio pateat et ecclesiarum quoque ac coenobiorum erectionem pertingat, omnia haec unius quaestionis et judicii terminis complectimur. Atque hic primo occurrunt Decretales veteres, quibus est cautum ne quid hujusmodi quisquam institueret absque Sedis Apostolicae licentia speciali.[2] Postmodum Tridentina Synodus in eodem genere quidquam operum fieri prohibuit "sine Episcopi, in cujus dioecesi erigenda sunt, "licentia prius obtenta[3]": quo tamen Concilii decreto haud est superioribus legibus derogatum, veniam ab Apostolica Sede impetrari jubentibus. Quapropter cum ea in re liberius passim ageretur, Urbanus VIII.[4] pravam consuetudinem emendaturus, opera ejusmodi improbavit tam quae sine venia Episcopi, quam quae sola illius auctoritate susciperentur, et veterum canonum simul Conciliique Tridentini leges omnino in posterum servari decrevit.—Huc etiam spectavit Innocentius X. in Constitut. *Instaurandae* Idibus Octobris MDCLII, qua praecepit ut nemo ex familiis regularibus "domos vel loca quaecumque de novo "recipere vel fundare praesumat absque Sedis Apostolicae licentia

[1] Decret. 26.

[2] Cap. Religiosorum, § *Confirmatas de relig. domib.* et cap. *Ex eo* de excess. praelat, in 6.

[3] Concil. Trident. Sess. 25 cap. 3 *de Regular.*

[4] Constit. *Romanus Pontifex* XIII kalen. Septembris 1624.

"speciali." Quare communis hodie sententia est, cui favet passim rerum judicatarum auctoritas, non licere Regularibus, tam intra quam extra Italiam, nova monasteria aut conventus sive collegia fundare, sola Episcopi venia impetrata, sed indultam quoque a Sede Apostolica facultatem requiri [1]. Iisdem insistens vestigiis sacrum Consilium christiano nomini propagando pluries decrevit, veniam Apostolicae Sedis et Episcopi aut Vicarii Apostolici ecclesiis collegiisque erigendis, etiam in missionibus, ubi religiosi sodales domos sedesque habeant, esse omnino necessariam [2]. His ergo de causis ad propositum dubium respondemus: sodalibus religiosis novas sibi sedes constituere, erigendo novas ecclesias, aperiendove caenobia, collegia, scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae, non licere.

Fieri solet utique subtilior inquisitio, an duplex ea venia sit impetranda, si non prorsus novum opus regularis familia moliatur; sed ea quae sunt instituta velit in alios usus convertere. Verum neque obscura, neque anceps erit futura responsio, si varios, qui accidere possunt, casus distinguamus. Initio enim quis serio dubitet, an ea quae pietatis religionisque causa instituta sunt, liceat in usus a religione et pietate alienos convertere? Restat itaque ut de tribus hisce dumtaxat quaeratur, utrum nempe liceat dimovere de loco instituta alioque transferre: aut immutare in usum consentaneum, qualis esset si schola in ecclesiam, coenobium in collegium, in domum pupillis aegrotisque recipiendis, vel vicissim mutaretur; aut demum, priore usu retento, novam causam sive usum inducere. Jam vero quominus duo illa prima, privata ipsorum auctoritate, religiosi sodales efficiant, obstat decretum Bonifacii VIII., qui eos vetuit "ad "habitandum domos vel loca quaecumque de novo recipere, seu "hactenus recepta mutare" [3]. Rursus qui fieri potest ex duobus illis alterutrum, nisi res recidat in fundationem novam "Mona-

[1] Bened. XIV., *de Synod. dioeces.* lib. 9, cap. 1, num. 9.—Monacelli *Formul. legal.* part. 1, tit. 6, form. 19, num. 31.

[2] Sac. Congreg. de Prop. Fide in coetibus habitis diebus 22 Mart. 1669; 3 Nov. 1688, 1704, 1768; 23 Aug. 1858; 30 Maii 1864; 17 Julii 1865.

[3] Cap. *Cum ex eo* de excess. praelat. in 6.

"steriorum, Collegiorum, domorum, conventuum et aliorum "Regularium locorum hujusmodi?" Atqui id perfici prohibuit Urbanus VIII. per Constitutionem *Romanus Pontifex*, nisi "servata in omnibus et per omnia sacrorum canonum et Concilii "Tridentini forma." Sic unum superest de quo contendatur; num priore usu retento, nova causa vel usus adjici valeat. Tunc autem pressius rem urgere oportet et accurate dispicere, utrum ea inductio alterius usus ad interiorem administrationem, disciplinamque domesticam spectet, velut si tirocinium aut collegium studiorum causa junioribus sodalibus in coenobio constituatur; an fines interioris administrationis sit excessura, puta si inibi schola fiat aut collegium quod pateat etiam alienis. Plane si dictos fines excesserit, res redit ad alterutram illarum, quae a Bonifacio VIII. et Urbano VIII. fieri pro lubito, ceu diximus, prohibentur. Sin autem intra limites domesticae disciplinae mutatio contineatur, suo certe jure Regulares utentur; nisi forte leges fundationis obsistant. Ex quibus singillatim perpensis manifesto colligitur: Religiosis sodalibus non licere ea quae instituta sunt, in alios usus convertere absque expressa licentia Sedis Apostolicae et Ordinarii loci, nisi agatur de conversione, quae, salvis fundationis legibus, referatur dumtaxat ad internum regimen et disciplinam regularem.

Nunc ad illud progredimur controversiae caput, in quo de temporalibus missionum bonis disputatum est. Ex liberalitate fidelium ea parte bona sunt, qui cum sua sponte et voluntate dona largiantur, vel intuitu missionis id faciunt, vel ejus qui missioni praeest. Jam si missionis intuitu donatio contigerit, ambigi solet, an viri religiosi quibus donum sit traditum, accepti et expensi rationem reddere Episcopo teneantur. Atque istud quidem fieri oportere, sacrum Consilium christiano nomini propagando super dubio proposito ob missiones Britannicas religiosis Ordinibus sive Institutis commissas die XIX Aprilis MDCCCLXIX, rescripsit in haec verba: "1° Missionarii regulares bonorum "temporalium, ad ipsos *qua regulares* spectantium, rationem "Episcopis reddere non tenentur. 2° Eorum tamen bonorum, "quae missioni vel regularibus *intuitu missionis* tributa fuerunt, "Episcopi jus habent ab iisdem missionariis regularibus, aeque

"ac a Parochis cleri saecularis, rationem exigendi." Quo vero tabulis accepti et expensi ratio constaret, sacer idem Coetus die x Maii anno MDCCCLXVIII, in mandatis dederat ut bona missionum diligenter describerentur, ea secernendo quae propria missionum essent ab iis quae ad sodalitia sodalesve singulos pertinerent.

Nihil enimvero in his decernendis vel praecipiendis est actum, quod juris communis doctrinis vulgatissimis apprime non congruat. Nam quaevis oblatio parocho aut alteri Ecclesiae Rectori data piae cujusdam causae intuitu, ipsimet piae causae acquiritur. Ex quo fit, ut qui rem pecuniamve oblatam accepit administratoris loco sit, cujus est illam erogare juxta mentem et consilium largitoris.[1] Quoniam vero administrantis officio incumbit rationes actus sui conficere, eique reddere cujus res gesta fuit,[2] ideo parochus vel Ecclesiae Rector facere non potest quin rationes reddat Ordinario loci, cujus est jurisdictio et causae piae tutela.[3] At missiones, de quibus apud Nos actum fuit, pleno jure ad Episcopum pertinent; huic ergo cujusque oblationis earum intuitu collectae rationes oportet exhibere. Neque haec ex eo infirmantur, quod Urbanus II. in Concilio Claromontano, aliique post eum Romani Pontifices decreverunt[4] circa Ecclesias parochiales, quoad temporalia Monasteriis junctas, teneri vicarios respondere Episcopis de *plebis cura*, de temporalibus vero non ita, cum monasterio suo sint obnoxii; siquidem sepositia etiam ratione historica unde ea profecta est juris dispositio,[5] certum exploratumque est, in iis pontificiis decretis ac litteris appellatione temporalium, beneficii fructus et quae beneficiati personae adhaerent compendia significari.

[1] Fagnan. in cap. *Pastoralis, de his quae fiunt a Praelatis*, n. 29—Card. de Luca *in Conc. Trid.* discur. 18, n. 5—Reiffenst. Lib. 3 *Decret.* tit. 30, n. 193.

[2] L. 1 § *Officio* ff. *de tutelae et rat. distr.*—L. 2 § *et sane* ff. *de negot. gest.* L. *Curator.* L. *Tutor* Cod. *de negot. gest.*

[3] Sac. Cong. Concilii *Nullius*, seu *Nonantulan. jurium parochialium* 27 Junii, 1744 ad dub. XII.

[4] Lucius II. *ad Priorem S. Pancratii in Anglia;* Alexander III. *ad Monaster. S. Arnulphi;* Lucius III. *ad Superior. Praemonstrat. et ad Abbatissam S. Hilarii in dioecesi Fesulana.*

[5] Gonzal. Comment. in cap. I. *de Cappel. Monach.*

Quocirca ea confirmantes quae S. Congregatione de Propaganda Fide rescripta et mandata sunt, statuimus, religiosos sodales, redditis Episcopo rationibus, docere debere de pecunia, intuitu missionum sibi allata, et quantum de ea et quos in usus impenderint aeque ac missionarios Cleri saecularis, juxta praedictas resolutiones ejusdem Congregationis die XIX Aprilis MDCCCLXIX, et Instructionem diei X Maii MDCCCLXVIII.

Tandem ne quis obrepat error aut dissensus in his quae modo jussimus exequendis, definiendum censemus, quae pecuniae, quaeque res viris religiosis oblatae intuitu missionum intelligantur. Namque receptum est hac in re, spectari primum oportere quid largitor voluerit; quod si non appareat, placuit, parocho vel rectori ecclesiae collatam donationem praesumi.[1] At multum ab hac regula recessum est propter consuetudinem, quam quidam ecclesiastici juris periti fere communem evasisse docent, cujus vi "hodie pene solae oblationes quae in Ecclesia "sub missis ad altare fiunt et quae pro administratione sacra-"mentorum, pro benedicendis nuptiis aut mulieribus post "partum, pro exequiis et sepulturis, aut aliis similibus func-"tionibus specialiter offeruntur, ad parochum spectant; con-"suetudine reliquas ferme omnes ecclesiis ipsis aut sacellis aut "aliis certis finibus applicante."[2] Praeterea si in parochum rectoremve, a quibus spiritualia adjumenta fideles accipiunt,[3] haud inconcinne praesumi potest collata liberalitas, ubi Ecclesia bonis praedita sit, per quae religionis decori et ministrorum tuitioni prospiciatur, longe aliud judicium esse debet ubi eam bonorum copiam Ecclesia non habeat, ac liberalitate fidelis populi unice aut potissimum sustentetur. Tunc enim largitores putandi forent voluisse consulere cultus divini splendori et religionis dignitati, ea ratione et modo quem ecclesiastica auctoritas decerneret. Ideo apud christianos primaevos lege cautum fuerat ut pecunia omnis dono accepta, inter Ecclesiam,

[1] Argum. ex cap. *Pastoral.* 9 *de his quae fiunt a Praelat.* cap. *Transmissa, de Verb. sign.* ac praesertim cap. I. *de Statu Monach.*

[2] Reiffenst. *L. 3 Decretal.* tit. 30 n. 193; Van Espen *Jus eccles. univ.* part. 2, sect. 4, tit. 2, cap. 10, nn. 20 et 21.

[3] Argum. ex cap. *quia Sacerdotes* 13. caus. 10 quaest. 1.

Episcopum, Clericos et egenos divideretur. Legis porro sese interponens auctoritas, si largitionum tempora et causas praestituat, illud efficit quoque, ne fideles semper pro arbitrio possint modum et finem designare in quem oblatam stipem erogari oporteat; nequit enim facere privatorum voluntas, ut quod a legitima potestate in bonum commune praecipitur certo destituatur effectu. Haec Nobis considerantibus visi sunt prudenter et opportune egisse Patres Concilii Provincialis Westmonasteriensis II., cum partim interpretantes piam et aequam donantium voluntatem, partim ea, quae Episcopis inest, utentes potestate imperandi pecuniae collationes decernendique quo tempore et qua de causa conferri oporteat, statuerunt in capite *de bonis ecclesiasticis*, quid censendum sit intuitu missionis collatum. Jubet igitur ratio, itemque Nos constituimus, hac in re religiosos ad leges Westmonasteriensis Synodi sese affatim accomodare oportere.

Sublatis controversiis cognitioni Nostrae propositis, confidimus, curam a Nobis in iis componendis adhibitam eo valituram, ut ad tranquillitatem et incrementum rei catholicae in Anglia non leviter conferat. Equidem pronunciationes Nostras ad juris et aequitatis regulam studiose religioseque exegimus, nec dubitamus quin in iis exequendis par diligentia et religio eniteat illorum inter quos judicium protulimus. Sic enim fiet, ut Episcoporum ductu et prudentia religiosi sodales de Anglicis missionibus apprime meriti strenue et alacriter e laboribus suis fructus salutis ferre pergant laetissimos, atque utrique (ut voce utamur Gregorii Magni ad Angliae Episcopos) *comuni... consilio, concordique actione quae sunt pro Christi zelo agenda disponant unanimiter, recte sentiant, et quae senserint, non sibimet discrepando perficiant*[1]. Concordiam hanc postulat paterna caritas Episcoporum in adjutores suos et mutua Cleri in Episcopos observantia; hanc concordiam flagitat finis communis qui situs est in salute animarum junctis studiis ac viribus quaerenda; hanc eamdem exigit necessitas iis resistendi qui catholico nomini infensi sunt. Haec vires gignit et infirmos quoque pares efficit

[1] Apud Bedam *Histor. Angl.* II. 29.

ad grandia quaeque gerenda; haec signum est quod sinceros Christi discipulos ab iis disterminat qui se tales esse mentiuntur. Ad hanc igitur singulos et universos enixe cohortamur in Domino, rogantes cum Paulo ut impleant gaudium Nostrum, ut idem sapiant eamdem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes [1].

Demum ut firmiter ea consistant quae constituimus, volumus atque decernimus, praesentes Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti religiosi sodales et alii quicumque in praemissis interesse habentes cujusvis status, gradus, ordinis et dignitatis existant, seu alias specifica mentione digni iis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, causaeque propter quas praesentes emanaverint sufficienter adductae, verificatae et justificatae non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis juridica et privilegiata causa, colore et capite etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, quantumvis magno et substantiali, individuamque expressionem requirente defectu impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum aliudve quodcumque juris remedium intentari vel impetrari; sed ipsas praesentes Litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, quibuscumque juris seu facti defectibus, qui adversus illas ad effectum impediendi vel retardandi earum executionem quovis modo vel quavis de causa opponi possent minime refragantibus, suos plenarios et integros effectus obtinere, easque propterea, omnibus et singulis impedimentis penitus rejectis, ab illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter servari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque judices Ordinarios et delegatos judicari ac definiri debere, ac irritum fore et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstanitbus praemissis, et quatenus opus sit Nostrae et Cancellariae Apostolicae Regula *de jure quaesito non tollendo*,

[1] Philip. II, 2.

aliisque Apostolicis ac in Universalibus, Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis constitutionibus et ordinationibus, nec non quorumcumque Ordinum, Congregationum, Institutorum, et Societatum, etiam Jesu, et quarumvis Ecclesiarum et aliis quibuslibet, etiam juramento, confimatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, ac praescriptionibus etiam immemoralibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis et factis ac licet pluries iteratis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum derogatione specialis forma servanda foret, tenores earumdem praesentibus pro plene ac sufficienter expressis habentes ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter et expresse derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Quocumque autem modo earumdem praesentium Litterarum exempla in Anglia publicata fuerint, volumus ut statim post hujusmodi publicationem omnes et singulos quos concernunt vel concernent in posterum perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter intimatae ac notificatae fuissent.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostrarum decisionum, declarationum, decretorum, praeceptorum et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Dominicae Incarnationis Millesimo octingentesimo octuagesimo primo Octavo Idus Maii Pontificatus Nostri Anno IV.

C. CARD. SACCONI PRO-DATARIUS—T. CARD. MERTEL.

VISA

DE CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS

Loco ✠ *Plumbi*

Reg. in Secret. Brevium

I. CUGNONIUS

II.

DE JURISDICTIONE EPISCOPORUM QUOAD ECCLESIAS PAROCHIALES REGULARIUM, ET PERSONAS CURAM ANIMARUM SUBDITORUM SAECULARIUM IN EIS EXERCENTES.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

1. Firmandis, atque asserendis ecclesiasticae disciplinae regulis studiose intenti praedecessores nostri Romani Pontifices, consueverunt, peculiaribus rerum aut temporum necessitatibus animadversis, ad generalis providentiae curam animum adjicere, easque apostolicas constitutiones opportune promulgare, quibus gliscentes morum corruptelas resecarent, et inordinatas humanae arrogantiae praesumptiones reprimerent. Cui rei obtinendae utilissimum plane experti sunt vel antiqua patrum constituta renovare, interpretari, aut declarare, vel competentium romanae curiae tribunalium, sive congregationum judicata et responsa colligere, confirmare, aut in aliquibus remittere, eademque prudenter atque apte conciliare, si quando inter ea non satis convenire videtur. Utque antiquiora omittamus exempla, non alia sane ratione fel. rec. Praedecessor noster Clemens Papa X. per suam constitutionem, quae incipit *Superna*, datum XI. kal. Junii anno MDCLXX. inhaerendo pluribus resolutionibus congregationum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium, ac Tridentini Concilii interpretationi auctoritate apostolica praepositorum, multa constituit circa debitam a regularibus erga episcopos locorum ordinarios observantiam, et subjectionem; tam in petenda eorum licentia et benedictione pro Verbi Dei praedicatione in ecclesiis etiam suorum respective ordinum habenda, quam in approbatione et

facultate ab eisdem obtinenda pro administrando saecularibus poenitentiae Sacramento. Ita pariter se gessit recolendae memoriae praedecessor noster Innocentius Papa XII. quum, ad nornam plurium resolutionum Congregationis Concilii praefatae, certas sacrarum ordinationum regulas, et singulorum episcoporum jura in proprios subditos praefinivit, lata Constit. quae incipit: "*Speculatores*," sub datum pridie nonas Novembris anni MDCXCIV.

2. Hanc ipsam rationem nos ipsi secuti sumus in apostolicis nostris literis, quarum initium est: *Sacramentum poenitentiae*, anno MDCCXLI. Kalendis Junii datis, in quibus nonnulla decrevimus et statuimus adversus sacerdotes in sacramentali confessione suos poenitentes ad turpia sollicitantes, juxta declarationes in causis hujus generis, diversis temporibus et casibus prolatas a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum. Idipsum nuperrime egimus, dum venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, cunctisque locorum ordinariis per Italiam constitutis encyclicas literas dedimus sub die XIX. Augusti hujusce anni MDCCXLIV., quarum initium est: *Cum semper oblatas*, quibus, a praedictae Congregationis Concilii Tridentini interpretis resolutionibus et placitis neutiquam discedentes, plura declaravimus circa onus quod habent tum omnes animarum curam gerentes, missam pro populo applicandi diebus saltem festis de praecepto; tum etiam ecclesarium cathedralium, et collegiatarum canonici, aliique de earum gremio, missam conventualem quotidie pro benefactoribus in genere specialiter offerendi. Nunc denique hoc idem a nobis servatum iri declaramus, dum episcoporum jura, quod attinet ad visitationem ecclesiarum parochialium ad regularium monasteria pertinentium, hac nostra perpetuo valitura constitutione asserere, atque, ut infra definire et constituere in animum induximus.

3. Animarum curam in saeculares personas exercentes in iis ecclesiis, quae monasteriis seu domibus virorum aut mulierum adnexae sunt, sive ipsi regulares sint, sive saeculares, sacri Tridentini Concilii praescripto, *Sess. 25. c. 11. de Regularibus*, subesse debent: *immediate in iis, quae ad dictam curam, et*

Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, et correctioni episcopi, in cujus diocesi praedicta monasteria *sunt sita*, exceptis dumtaxat iis monasteriis seu locis, *in quibus Abbates Generales, aut Capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent, atque aliis monasteriis, seu domibus, in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores jurisdictionem Episcopalem, et temporalem in parochos, et parochianos exercent; salvo tamen eorum Episcoporum jure, qui majorem in praedicta loca, vel personas jurisdictionem exercent.*

4. Cum itaque nonnulli sacerdotes ab episcopali jurisdictione exempti, quos neque parochos, neque animarum curae addictos esse constaret, ausi fuissent aliquibus Christifidelium matrimoniis interesse, sine praevia episcopi aut parochi licentia; quaesitum fuit, utrum hujusmodi sacerdotum correctio, atque in eosdem animadversio ad episcopum, an vero ad eorum superiores, privative spectaret; cumque ii privativum ejusmodi jus ex eo deducerent, quod Tridentina synodus *loco cit.* dum facultatem tribuit episcopis corrigendi, et puniendi sacerdotes ab eorum jurisdictione exemptos, in his, quae ad animarum curam, et Sacramentorum administrationem pertinent, de iis dumtaxat sacerdotibus loquitur, qui vel parochi sunt, vel animarum curam exercent, cujusmodi sane ii non erant, de quibus agebatur: futilem hanc, vanamque praesumptionem reprimere statuit fel. rec. Praedecessor noster Gregorius Papa XV. ac de consilio Congregationis Sacri Concilii Tridentini interpretis, edita constitutione, quae incipit "*Inscrutabili,*" data nonis Februarii anno Incarnationis Dominicae MDCXXII. decrevit ac declaravit, *ut deinceps tam regulares, quam saeculares, quomodolibet exempti sive animarum curam personarum saecularium monasteriis, seu domibus regularibus, aut quibusvis aliis ecclesiis, vel beneficiis, sive regularibus, sive saecularibus incumbentem exerceant, sive aliis ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex illis ministrent, praevia episcopi licentia, et approbatione, sive quoquo modo in dictae curae exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicujus ex illis administratione de facto, absque ulla auctoritate, se ingerant; in his,*

quae ejusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimode jurisdictioni, visitationi, et correctioni dioecesani episcopi, tamquam Sedis Apostolicae delegati, plene in omnibus subjiciantur.

5. Hac controversia per constitutionem Gregorianam e medio sublata, non ideo ab aliis quaestionibus et litibus circa idem rerum genus promovendis cessatum fuit, pluraque dubia in congregationibus S. R. E. cardinalium, quam in auditorio Rotae, frequenter agitata et resoluta fuerunt, circa peculiarum quorumdam actuum naturam, an silicet iidem censendi essent ad animarum curam, seu ad sacramentorum administrationen pertinere; et consequenter, an episcopus in visitandis regularium ecclesiis, quibus imminet animarum cura personarum saecularium, posset, nec ne, suam circa hujusmodi actus jurisdictionem exercere, tum etiam, an hoc aut illud monasterium dici posset ordinaria et principalis sedes abbatis generalis, seu capitis ordinis, ideoque ecclesia huiusmodi monasterio adnexa, quamvis parochialis foret, episcopo in visitatione subjecta non esset. Cum igitur resolutiones in praedictis curiae nostrae tribunalibus circa hujus generis quaestiones identidem captas, earumque rationes et fundamenta, diligenter et considerate perpenderimus, consilium quoque et sententiam audierimus aliquot ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, aliorumque virorum in juris canonici scientia praestantium; nonnulla super his de apostolicae potestatis plenitudine decernere deliberavimus, ac praesenti nostra constitutione inviolabilem quandam normam praefinire, qua posita, omnes de caetero lites, et controversiae praedictis de rebus, si fieri possit, penitus eliminentur, atque omnia submoveantur obstacula, quae debitam decretorum Sacri Tridentini Concilii executionem in re tam gravis momenti impedire, aut retardare hactenus consueverunt.

6. Optimo sane consilio ab episcopis pastoralem visitationem aggredientibus praemitti solent in singula diocesis loca aliqui sacerdotes missionarii, qui ante ipsorum adventum, praedicationibus verbi Dei, et administratione Sacramentorum poenitentiae et eucharistiae, spiritualem populorum profectum, et animarum salutem, qui potissimus est pastoralis visitationis

scopus, studeant promovere. Inventi sunt autem ex iis regularibus, quorum ecclesiis incumbit parochialis saecularium cura, qui in dubium revocarent, an hujusmodi missionarios, sive saeculares sive alterius instituti vel ordinis regulares, ab episcopo missos tamquam visitationis suae praenuntios, in propriis ecclesiis, et domibus ad exercenda munera eisdem commissa admittere et recipere ipsi tenerentur. Quod dubium, quum in Congregatione S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium proposita examinatum fuisset sub die 31. Augusti anni 1658, affirmative resolutum fuit; ut scilicet praedicti missionarii etiam a regularibus parochis seu curatis libenter excipi debeant, omnibusque rebus juvari, quibus ad injunctum sibi onus adimplendum opus illis esse contigerit. Quod nos quoque probamus, et auctoritate apostolica confirmamus, atque in posterum (quoties id opus esse, prudenti episcopi arbitrio judicatum fuerit) ab omnibus hujusmodi parochis seu curatis praecipimus observari.

7. Sed et in ipso visitationis cursu, atque etiam extra illum, aliqui regulares de suorum privilegiorum et exemptionum indemnitate plus nimio solliciti, hanc episcopis controversiam moverunt, utrum iis liceret, in ipsorum regularium ecclesiis, sive parochialibus, sive non parochialibus, Sacramentum confirmationis administrare; quae quidem controversia in Congregatione Concilii, partibus plenissime auditis, pro episcopis decisa fuit, quemadmodum et nos generaliter et sine exceptione eamdem definimus.

8. In exequenda vero pastorali visitatione ecclesiarum prochialium, quae a regularibus administrantur, minime quidem licet episcopo omnia ecclesiarum hujusmodi altaria visitare, sed illud dumtaxat, in quo Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur, et consequenter sacrum ipsum tabernaculum; fontem quoque baptisterii, si adsit, item confessionale, in quo parochus ad audiendas confessiones residere solet; pulpitum ecclessiae, e quo parochus jus habet, verbi Dei, juxta praecipuum ministerii sui munus, annunciandi; sacrarium pariter ecclesiae, ad inspiciendum locum, in quo asservatur sacra supellex, pro Sacramentis tam intra ecclesiam, quam extra illam decenter administrandis;

sepulchrum excipiendi subditorum parochiae corporibus addictum, caemeterium parochianorum humandis cadaveribus destinatum; turrim campanariam, dummodo in ea sint campanae ad parochiam proprie spectantes; ac demum, praeter res supra enunciatas, omnia sacra vasa, quibus vel particulae consecratae servantur, vel sacra Olea sive in baptismo, sive in extrema unctione adhibenda, vel aqua baptisterii, vel alia rite benedicta, quae pro ingredientium aspersione ad ecclesiae fores poni consuevit.

9. Visitationi locali proxima est ea, quae personam respicit parochi; cujus quidem, si regularis sit, agendi rationem, in iis, quae spectant ad observationem proprii ipsius regularis instituti, non est episcopi inquirere, quum ad ipsius superiorem regularem privative id pertineat. Licet tamen episcopo, vel potius ipsi specialiter incumbit, ipsius parochi seu curati, etiam regularis, vitam ac mores scrutari, quatenus ea, quae extra claustrum prodierunt, rectoris animarum exempla, plurimum conferre ad populi aedificationem, vel contra eidem obesse maxime possunt, quemadmodum alias eadem Concilii Tridentini congregatio sapienter decrevit, et nos etiam earumdem praesentium tenore decernimus, et statuimus.

10. Ad personalem quoque parochi visitationem, proindeque ad episcopi jus et officium pertinet ea occasione examinare, an titulo legitimo parochus etiam regularis animarum curam exerceat, an residentiae lex ab eo observata fuerit atque observetur; an ad synodum vocatus, iverit; an congregationes seu conferentias super casibus conscientiae haberi solitas frequentet; an onera, quae secum fert animarum cura, adimpleverit; ac inter alia, an missa pro populo applicaverit diebus festis de praecepto; an iisdem festis diebus omnia praestiterit, quae a sacro Tridentino Concilio praescripta sunt, populum verbi Dei praedicatione, et pueros in fidei rudimentis christianaeque praeceptis instruendo; an, statis diebus, excipiendis fidelium confessionibus vacet; an aegrotantibus et in extremo vitae agone laborantibus debita spiritualia subsidia sedulo praestet, et sacramenta ecclesiae tempestive conferat; an pueros et puellas ante susceptionem Sacramenti confirmationis, tum etiam ante primam

eorum communionem, opportunis instructionibus erudierit; an priusquam fideles ad matrimonia in faciem ecclesia celebranda admittat, debitas inquisitiones adhibuerit, atque adhibeat, quibus tuto deprehendere possit, nullum inter contrahentes impedimentum existere, eosdemque libere matrimonio consentire, ac demum in doctrina christiana, maxime vero in precipuis religionis nostrae mysteriis, illos instructos esse; denique an parochus apud se recte ordinatos retineat libros tum baptizatorum, ubi fons baptismalis adsit in ipsius ecclesia, tum sacro Chrismate confirmatorum, libros etiam matrimoniorum, et status animarum.

11. Uno verbo quidquid episcopus a parocho saeculari exquirere atque exigere solet ac debet, ad omne, regulari observantia unice excepta, a parocho regulari exquirere, et exigere potest; atque ubi hunc muneri suo defecisse compererit, opportuna decreta condere et pronunciare, ac meritas in eumdem poenas statuere; in quo nihilominus episcopi facultates minime privativae sunt, sed praesul regularis jus cumulativum cum ipso habet; ita tamen, ut, si aliter a superiore regulari, aliter ab episcopo decerni contingat, hujus, non vero illius, decretis sit standum; prout alias a Congregatione Tridentini Concilii interprete judicatum fuit, nosque auctoritate apostolica probamus, confirmamus, atque decernimus. Privativum tamen episcopi jus est in parochianorum mores inquirere, ac si quae inter ipsos scandala oborta fuerint, auditis proborum ac prudentium virorum sinceris relationibus, de iis cognoscere, eaque opportunis remediis resecare, et reformare; nec enim superioribus regularibus in hujusmodi saeculares parochiae subditos ulla competit jurisdictio.

12. Eveniente autem casu, quo vel episcopus, vel superior regularis aliquem ex praedictis parochis ab exercitio curae removendum, eademque privandum esse judicaverint; quoniam hujusmodi parochis, sine praevia episcopi approbatione, ad curam animarum accedere nequaquam licet, quamvis a suis superioribus deputati, iidemque ad nutum sint amovibiles; dubitatum propterea fuit, an episcopus posset ad hujusmodi remotiones procedere, sine superioris regularis consensu, et an remotionis causas eidem adducere, easque verificare deberet; tum etiam an regularis superior ad similem remotionem et privationem suo jure deve-

niens, consensum episcopi exquirere, suasque agendi rationes illi notas atque probatas facere teneretur. Qua de re, supradicta Congregatio Concilii decrevit, hujusmodi parochos tam ab episcopo, quam a superiori regulari, aequo jure, non requisito alterius consensu, ab animarum cura removere posse, nec unum alteri causas judicii sui aperire, multoque minus probare et verificare debere. Id quod a nobis in omnibus approbatur et confirmatur.

13. Postquam vero Tridentina synodus loco superius laudato declaravit, praedictos curatos seu parochos tam saeculares, quam regulares, animarum curam exercentes in monasteriis seu domibus religiosis, quibus hujusmodi cura personarum saecularium incumbit, subesse debere immediate, in iis, quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi et correctioni episcopi, (quod quidem, juxta magis receptam tribunalium hujus nostrae curiae sententiam, intelligitur de jurisdictione episcopi ordinaria, non vero de delegata); illa tamen monasteria seu loca ibidem a Concilio excipiuntur, in quibus abbates, aut alii regularium superiores jurisdictionem episcopalem et temporalem in parochos et parochianos exercent; salvo nihilominus eorum episcoporum jure, qui alia quapiam ex causa seu titulo, majorem in praedicta loca vel personas jurisdictionem exercent. Quare nonnullis episcopis contendentibus, licere sibi, saltem tamquam delegatis a Sede Apostolica, in parochos praedictos, sive in parochianos, aliquem jurisdictionis actum exercere, Congregatio Concilii respondit, quod ubi abbas, aut superior regularis suam probat jurisdictionem episcopalem et temporalem in ipsos parochos, parochianos, et contra episcopus probare nequit ampliorem in eosdem jurisdictionem ex alio capite sibi acquisitam fuisse, abstinere omnino debet episcopus tam a visitatione, quam ab alio quocumque jurisdictionis actu in hujusmodi parochos et parochianos. Quod quidem, veluti ipsius Concilii decretis consonum, Nos etiam apostolica confirmatione roboramus.

14. Similiter ab episcopi jurisdictione, visitatione, et correctione, etiam in his quae ad animarum curam et sacramentorum administrationem spectant, praedicta sancta synodus excipit tam saeculares, quam regulares parochos, qui animarum

curam exercent in iis monasteriis seu locis, in quibus abbates generales aut capita ordinum Sedem ordinariam principalem habent. Quae exceptio, sive limitatio, pluribus controversiis occasionem praebuit. Et primo, an ad inducendam hujusmodi exemptionem ab episcopali visitatione, satis sit, quod in aliquo monasterio resideat abbas regularis, licet is ordinis sui generalis non existat. Super quo praefata Concilii congregatio pronunciavit, non sufficere abbatis cujuslibet residentiam, nisi sit abbas totius ordinus sui generalis. Tunc enim Tridentinum Concilium simplices abbates, aut regularium superiores nominat, quum ab episcopi jurisdictione ac visitatione eximit parochos ecclesiarum seu monasteriorum, in quibus abbates aut alii regularium superiores jurisdictionem episcopalem et temporalem exercent; qua jurisdictione compertum est nonnullos etiam simplices abbates aut superiores regulares gaudere, quamvis non sint ordinum generales. De abbatibus autem generalibus, seu ordinum capitibus tunc loquitur eadem sancta synodus, quum a jurisdictione, et visitatione episcopali exemptos esse indulget eorum monasteriorum seu locorum parochos, in quibus abbates generales praedicti, aut capita ordinum, Sedem ordinariam principalem habent. Cumque ea dubio procul sit Concilii mens, in hunc plane modum semper in posterum judicari et censeri debere statuimus: minime attenta distinctionis nota, quae in plerisque Concilii Tridentini editionibus impressis apposita conspicitur inter verbum *abbates*, aliudque *generales*, utpote quae nullatenus reperitur in exemplari authentico actorum ipsius Concilii, quod in archivio Sedis apostolicae in Arce Sancti Angeli asservatur; quodque, ut genuinam hujus loci lectionem certo cognosceremus, diligenter, inspici fecimus, proindeque e praedictis exemplaribus impressis eadem distinctionis nota omnino est expungenda.

15. Altera quaestio est, an ad obtinendam exemptionem ab episcopali jurisdictione et visitatione, sufficiat, quod aliquod monasterium, superioris generalis Sedes ordinaria existat, an vero praeterea requiratur, ut ipsum monasterium sit caput ordinis. De quo quidquid alii opinati fuerint, decernimus sufficere, quod monasterium seu domus, sit ordinaria et principalis Sedes superioris generalis; prout a Congregatione Concilii

constanter judicatum fuit; quum verba Tridentini, de capitibus ordinum loquentis, non ad loca, sed ad personas praesulum regularium in locis residentium referantur.

16. Tertio dubitari contingit, an exemptio ab episcopi visitatione, quam Tridentina synodus, ut supra, concedit ecclesiis parochialibus eorum monasteriorum, in quibus resident abbates generales aut capita ordinum, ad alias quoque parochiales extendatur, quae praedictis monasteriis unitae sunt, et ab eisdem dependent. Sed quum de aliis hisce ecclesiis unitis taceant conciliaria decreta, neque porro eadem ratio honoris cujusdam et reverentiae habendae erga superiores ordinum generales in propriis monasteriis vel ecclesiis residentes, locum habeat in aliis parochialibus, eisdem monasteriis, ut praefertur, unitis; quod pluries Congregatio Concilii censuit, hujusmodi scilicet ecclesias unitas, minime exemptas esse a jurisdictione et visitatione episcopi, quamvis illae a parochis regularibus administrarentur; id ipsum nos, praedictae congregationis resolutionibus inhaerentes, decernimus, et constituimus.

17. Quaesitum fuit quarto loco, an ratione exemptionis a jurisdictione episcopi, quae competit supradictis rectoribus ecclesiarum residentialium superiorum generalium, et propter eorumdem rectorum omnimodam subjectionem jurisdictioni et correctioni praedictorum generalium regularium jus aliquod, et jurisdictio attributa sit iisdem superioribus generalibus in saeculares subditos hujusmodi ecclesiarum, sive parochianos; an vero dicendum sit jus istud ad episcopum privative pertinere. Super quo decernimus, episcopo plenam et privativam jurisdictionem competere in parochianos, ad eamdemque episcopum pertinere, non solum propriam auctoritatem et concensum (praevio examine per se ipsum, vel per vicarium suum faciendo) interponere, quotiescumque superior hujusmodi generalis aliquem sive saecularem, sive regularem parochum seu curatum, etiam ad nutum amovibilem, ad exercendam in praedictis ecclesiis animarum curam personarum saecularium deputare voluerit; sed etiam si episcopus hujusce parochiae regimen a supradictis parochis exemptis, sive saecularibus, sive regularibus, non recte administrari cognoverit; posse ipsum, et aliquando etiam debere pro

sui officii munere, apud superiorem generalem instare, ut parochum seu curatum hujusmodi ab animarum cura removeat; implorata quoque, quatenus opus sit, apostolicae Sedis auctoritate, si nempe generalem praedictum, aut reluctantem, aut parocho plus aequo faventem invenerit.

18. Praecipua in hac materia quaestio illa fuit, quaenam essent monasteria, in quibus abbates generales, seu capita ordinum, Sedem ordinariam principalem habent; contendentibus nonnullis, quodlibet in quo abbas generalis sive caput ordinis manet, inibique moratur, Sedem ipsius ordinariam principalem dici oportere, ita ut ejusdem monasterii aut loci parochus ab episcopali jurisdictione et visitatione immunis statim fiat. Verum vaga et arbitraria hujusmodi Sedes, quae a sola superioris generali praesentia naturam Sedis ordinariae et principalis mutuatur, tum rectae rationi, tum Concilii verbis ac sensui plane adversatur. Quapropter quum nobis compertum sit in aliquibus ordinum regularium constitutionibus assignatum reperiri locum pro residentia superioris generalis, ejusque curiae; in aliis vero ordinibus, ubi constitutiones de eo nihil statuant, eamdem residentiam veteri consuetudine esse praefinitam: quoties de ordinum hujusmodi superioribus generalibus agatur, eorum Sedem ordinariam principalem, ad effectum de quo agitur, illam esse, et censeri decernimus, quae ab ipsorum constitutionibus, vel ab inveterata consuetudine praedicta praescribi dignoscitur; idque tantummodo monasterium, non vero aliud, in quo, quacumque de causa, superior generalis commoratus fuerit, pro ordinaria generalis Sede haberi praecipimus, licet ipse generalis ibi actu non resideat.

19. Quod si aliqui sint religiosi ordines seu congregationes, quarum constitutionibus, vel consuetudinibus minime praefinitum sit monasterium, in quo abbas generalis, seu caput ordinis residere debeat, nullum monasterium pro ejusdem generalis Sede ordinaria principali, ad effectum eximendi parochum ab episcopi jurisdictione et visitatione, ex eo tantum haberi debere statuimus, quod solus ipse superior generalis in eo degat, absque consuetis ministris, quos in ordine regendo socios habet; sed illud dumtaxat monasterium pro Sede generalis ordinaria principali haberi volumus, quod semel ipse superior generalis, seu caput ordinis, initio

generalatus, elegerit pro sua stabili residentia, et officialium seu ministrorum praedictorum. Verum si, facta semel hujusmodi electione, eamden postmodum variare praesumpserit, declaramus, neque monasterium initio electum, neque alterum etiamsi cum sua curia eo se transtulerit, privilegia ordinariae et principalis generaliter Sedis habiturum.

20. In omnibus autem praemissis exemptionum casibus, salvum semper atque illaesum esse volumus eorum episcoporum jus, si qui supradictas parochiales ecclesias, earumque rectores visitare consueverint, nimirum tam illas, quae monasteriis seu domibus iis adnexae sunt, in quibus generales ordinum superiores Sedem ordinariam principalem, vel a suorum ordinum constitutionibus, vel ab inveterata consuetudine praefinitam habent; quam eas, quae ab ipsis superioribus generalibus alias pro ordinaria principali residentia fuerint electae, et nihilominus, hujusmodi residentia durante, episcopi visitationi, jurisdictioni et correctioni subjectae fuerint.

21. Decernentes praesentes nostras literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis, seu eorum aliquo, jus vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae, vel dignitatis existant, seu alias specifica, et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae, vel sufficienter, aut ullo modo justificatae fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensu, alioque quolibet; etiam quantumvis magno, ac formali et substantiali defectu, notari, impugnari, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu pari, et de apostolicae potestatis plenitudine simili concesso vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud, uti, seu se juvare ullo modo posse: sed ipsas praesentes semper

firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari.

22. Sicque, et non aliter in praemissis censeri, atque ita per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de Latere legatos, et apostolicae Sedis praedictae nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeminentia ac potestate fungentes et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere: ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra, et cancelleriae apostolicae regula *de jure quaesito non tollendo*, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus; necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus, et indultis, etiam in corpore juris clausis, aut literis apostolicis quibusvis personis, collegiis, locis, ordinibus, etiam militaribus, congregationibus, societatibus, et institutis, etiam societatis Jesu, et Sancti Joannis Hierosolymitani, aliisve quibuslibet specifica et individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam clausulis et decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis, et irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu simili, et de apostolicae potestatis plenitudine, seu consistorialibus, ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, et innovatis. Quibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus speciali, specifica, et individua mentio, seu quaevis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas, et occasione praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et exactissime servatis et specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad praemissorum

effectus plenissime et amplissime motu pari derogamus, et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus insuper, et eadem auctoritate praedicta mandamus, ut eaedem praesentes, et in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quisquam de eis ignorantiam praetendere valeat, ipsas praesentes, seu earum transumpta, ad valvas eccl. S. Joann. in Laterano, et basilicae Principis Apostolorum de Urbe, necnon cancellariae apostolicae Curiaeque generalis Innocentianae in Monte Citatorio, et in Acie Campi Florae per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari, et affigi, sicque publicatas et affixas omnes et singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficere et arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatae et notificatae fuissent.

Utque earumdem praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti, declarationis, infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem anno Incarnat. Domin. Millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, Octavo Idus Novembris Pontificatus Nostri Anno V.

D. CARD. PASSIONEUS I. DATARIUS.

VISA

DE CURIA I. C. BOSCHI.

L. EUGENIUS

Registrata in Secretaria Brevium.
Publicata die 18 ejusdem mensis et anni.

III.

INSTRUCTIO S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE,

DE TITULO ORDINATIONIS.

I. Cum indecorum omnino sit, atque a Clericorum, qui in sacris Ordinibus constituuntur, dignitate prorsus alienum, ut ipsi aut emendicatis subsidiis aut ex sordido quaestu ea quae ad victum necessaria sunt, sibi comparare cogantur; nemo ignorat, ab antiquissimis inde temporibus cautum fuisse, ut quicumque in Ecclesia Dei ad sacros Ordines essent promovendi, eisdem de congrua perpetuaque substentatione provideretur. Olim quidem nemo ordinabatur, nisi certae adscriberetur Ecclesiae, cui perpetuo esset addictus, ut ex ea haberet unde vitam honeste posset substentare.[1] Posterioribus vero temporibus titulus Ordinationis invectus, quo videlicet victui clericorum satis consuleretur. Cujus necessitas primitus pro ordinatione Diaconorum et Presbyterorum sancita, dein ab Innocentio III. ad Subdiaconos quoque extensa fuit.[2] Explorata autem omnibus sunt quae Synodus Tridentina[3] hac super re constituit; cujus saluberrimas praescriptiones progressu temporis alicubi neglectas s. m. Innocentius XI. literis encyclicis ad omnes Episcopos per S. Congregationem Concilii die 13 Maii 1679 datis gravissime observari mandavit.

II. Porro geminus distinguitur titulus, *Ecclesiasticus* scilicet, ac *Patrimonialis*. Hic postremus, cui occasionem dedisse videtur Alexander III.[4] quique circa finem saeculi XIII. usuvenire coepit, obtinet, cum ordinandus talibus bonis certis stabilibus ac frugiferis, aliunde quam ab Ecclesia provenientibus, est instructus, quae ad congruam ejus substentationem sufficere Episcopi

[1] *Conc. Chalcedonen. can. VI.*

[2] *Conc. Lateranen. III. can. V.*

[3] *Sess. XXI. De ref. cap. II.*

[4] *In Cap. IV. de Praeben.—Thomassinus* De vet. et nov. Eccl. discipl. *part.* 2. *l.* 1. *cap.* 9. *n.* 2.

judicio censeantur. Ad praefatum accedit titulus *Pensionis*, quae non modo ad congruam clerici alimoniam sufficere, sed et perpetua esse debet. Atque hi duo tituli extraordinarii censendi sunt ac veluti ex dispensatione admittuntur, si nimirum Episcopus pro Ecclesiae necessitate aut commodo aliquem ita ordinandum esse judicaverit.[1]

III. Ecclesiasticus vero titulus in *beneficialem* subdividitur, ac *paupertatis*, quibus aliae quaedam veluti subsidiariae atque extraordinariae species adjiciendae sunt, tituli nempe *Mensae Communis*, atque *Servitii Ecclesiae*, *Missionis*, *Sufficientiae*, et *Collegii*. Est autem titulus beneficii jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae propter officium aliquod spirituale, ecclesiastica auctoritate constitutum; atque hic ordinarius ac praecipuus titulus sacrae Ordinationis dici debet.[2]

IV. *Paupertatis* vero titulus in religiosa professione est positus, vi cujus qui solemnia vota in probata Religione emiserunt, vel ex reditibus bonorum, si quae ipsamet Religio possideat, vel ex piis fidelium largitionibus omnia communia habent, quorum ad vitam alendam indigent. Quem vero vocant *communis mensae* titulus, eos clericos attingit, qui Religiosorum more in communi vitae disciplina degentes aut nulla nuncupant vota, aut simplicia tantum, proindeque e domo religiosa exire aut dimitti, atque ad saeculum redire permittuntur. Neque enim ad eos pertinet titulus paupertatis, ut ex Const. *Romanus Pontifex*[3] S. Pii V. deducitur. Verum ex hisce Clericis ii dumtaxat communis mensae titulo promoveri ad sacros ordines possunt, quorum Congregationes aut Instituta peculiari ad id privilegio ab Apostolica Sede aucta fuerint.

V. Titulus *Servitii Ecclesiae* qui olim ordinarius erat, prout supra adnotatum fuit, et postea evasit extraordinarius, iis quandoque conceditur, qui cum Beneficio ecclesiastico vel pensione careant, aut patrimonialia aliaque bona non possideant, ea lege ordinantur, ut alicui Ecclesiae sint mancipati, ex cujus servitio et eleemosynis a piis Christifidelibus elargiendis substentari pos-

[1] *Conc. Trid. loc. cit.* et *Bened. XIV.* Inst. Eccl. 26. *n.* 1. *et* 3.

[2] *Fagnan*, in Cap. 4. *de Praebend. n.* 24.

[3] *Prid. Id. Octob.* 1568.

sint, et ab eadem Ecclesia nullo unquam tempore amoveri vel ipsi recedere nequeant, nisi aliter eis provisum fuerit; quo titulo ut suis Clericis sacros ordines conferret, s. m. Sixtum V. Patriarchae Venetiarum indulsisse constat [1].

VI. Denique titulus *Missionis*, de quo potissimum heic sermo est, praetermissis titulis *Sufficientiae et Collegii* (quos utpote raro occurrentes tantum commemorasse sat erit), adhiberi consuevit, cum alius legitimus titulus haud suppetit, pro iis, qui majoribus ordinibus initiari cupiunt ut Apostolicarum Missionum servitio sese devoveant. Id autem saepe contingit in locis missionum, in quibus ea est rerum conditio, ut commune Ecclesiae jus circa ea, quae ad praerequisitum pro sacra Ordinatione titulum spectant, servari adamussim nequeat. Qui vero hujusmodi titulo ordinati sunt, ii ex Apostolico ministerio in Missione, cui fuerunt addicti, ad victum necessaria consequuntur.

VII. Sed exploratum est, Ordinarios Clericis titulo Missionis non posse SS. Ordinationum munera impertiri, nisi speciali S. Sedis indulto muniti sint; agitur enim de titulo extraordinario qui praeter jus commune adhibitus fuit. Quod quidem indultum Superioribus Missionum aut Collegiorum seu Congregationum quae missionibus inserviunt, vel ad certum tempus, vel ad praefixum casuum numerum concedi solet. Meminerint autem Superiores eo parce utendum sibi esse: neque enim titulo Missionis omnes absque delectu sacris erunt Ordinibus initiandi Clerici, qui ad Missionum curriculum ineundum utcumque dispositi videantur. Si enim juxta s. Pauli monitum manus nemini cito imponendae, id potissimum valet, cum sermo est de iis qui in arduum apostolici ministerii opus assumuntur. Quare hic titulus adhibendus erit in eorum dumtaxat favorem, qui animi indole et docilitate, intentionis rectitudine, aptitudine ingenii, profectu in sacris studiis, morum integritate, ac rerum mundanarum contemptu, spem faciant, sese strenuos futuros fore Evangelii praecones; super quo eorumdem Superiorum conscientia districte oneratur.

[1] Campanil. *Diversor. jur. canonic. rubr.* 8 *Cap.* 4. *n.* 14. et Gartias *De Benefic. part.* 2, *cap.* 16. *n.* 96.

VIII. Non secus ac Alumni Collegiorum pontificiorum, ii omnes qui titulo Missionis inter sacros ministros cooptari cupiunt, tenentur prius juramentum emittere, quo spondeant missioni cui destinati sunt vel destinabuntur, se fore perpetuam operam daturos; quod quidem ab iis qui hoc titulo frui volunt, S. Sedes ut Missionum, quarum sumptibus illi aluntur, servitio consuleret, exigere constanter consuevit. Huic Instructioni subnectitur Forma istius juramenti jampridem approbata usuque recepta, eamque ab omnibus usurpandam esse, ut uniformitas hac super re servetur, omnino praecipt S. Congregatio.

IX. Necesse non est, ut qui ad SS. Ordines hoc titulo evehendus est, actualiter in missione versetur, sed sufficit, ut paratus sit ad missiones obeundas, quando et quomodo Superiores eum mittendum censuerint ac ire jubeant.

X. Eis, qui hoc titulo sunt ordinati, vi praestiti juramenti interdicitur in Religionem ingredi absque venia S. Sedis; ejus namque judicio reservatum est, praevia Ordinarii, cui intererit, relatione judicare, utrum missionum, quarum servitio ii sunt addicti, necessitas id patiatur. Scilicet publicum bonum privato antecellat oportet, ea nimirum ratione, qua aliquibus Ordinibus concessum est, ne eorum religiosis ad arctiorem sine suorum Superiorum licentia transire fas sit.

XI. Quemadmodum alii tituli, ita etiam hic, de quo agitur, juxta canonicas sanctiones amitti potest, atque ab Ordinariis auferri, de consensu tamen S. Congregationis, cujus est sic ordinatos praestiti juramenti vinculo exsolvere. Quod si amisso titulo generatim, aut etiam titulo Missionis, alter ei non substituatur, Sacerdos haud propterea remanet suspensus; sed Ordinarii tenentur compellere ordinatos ad alterius tituli subrogationem, prout sacris canonibus consultum est. Id Sacra haec Congregatio in generalibus Comitiis diei 1. Septembris 1856 declaravit.

XII. Pariter Sacerdotes regulares, qui vota solemnia nuncuparunt, atque ex Apostolica indulgentia in saeculo vivere permittuntur, vel qui ediderunt vota simplicia et e suis Congregationibus seu Institutis egressi sunt, ne cum proprii gradus

dedecore emendicare cogantur, ad sibi de canonico titulo providendum obligentur; in locis vero Missionum ipsi probare saltem tenentur, sibi suppetere media, quibus propriae substentationi, ut par est, consulant.

XIII. Qui titulo certae alicujus Missionis ad ecclesiasticos Ordines adscenderunt, ubi Missionarii officium dimiserint, procul dubio suum amittunt titulum, ac de alio sibi providere debent; si vero alterius missionis servitio deputentur, ut hujus Missionis titulum assumant, nova opus erit S. Sedis concessione; neque enim eis suffragatur facultas, si quam obtinuerit ejus missionis Ordinarius, memorato titulo Clericos ordinandi.

XIV. Ordinarii in missionibus utantur opera illorum etiam sacerdotum, qui aliis titulis ad sacros Ordines admissi fuerunt, servatis de jure servandis; neque enim ipsi possunt eos adstringere ad titulum missionis subrogandum. Quin immo hortatur S. Congregatio Ordinarios, ut quantum fieri potest, alii quoque legitimi tituli pro sacra Ordinatione introducantur.

XV. Tandem Sacra Congregatio animadvertens incremento Missionum plurimum posse conducere, si qui in Collegiis sive Seminariis utriusque Cleri, evangelii praecones mox futuri educati sunt, vel qui titulo Missionis ad Ordines fuere promoti, animo identidem recolant jusjurandum, quo se obstrinxerunt, cooperandi Deo in salutem animarum; eos hortatur, ut in annos singulos anniversaria die praestiti juramenti illud repetere curent, serio meditantes divinam erga se bonitatem quae eos constituit Verbi ministros ad annuntianda mirabilia virtutis ac potentiae suae; quam immarcescibilis gloriae corona eis in coelis parata sit, si officium suum sancte impleverint; quamque e contra districtum maneat judicium, si negligentia vel socordia sua, quod absit, quemquam perire contigerit. Id autem, quo promptius et alacrius praestent, noverint s. m. Pium VI. in audientia diei 7 Maii 1775 unicuique illorum plenariam indulgentiam, animabus quoque in Purgatorio detentis applicabilem, et perpetuis valituram temporibus impertitum fuisse, non solum cum praedictum juramentum primo emiserint, verum etiam cum illud stato jam die renovaverint, dummodo in utroque casu

conscientiam suam poenitentiae Sacramento expiare non omittant, atque eucharisticam communionem suscipiant, vel Missae celebrent Sacrificium.

Datum Romae ex Aedibus dictae S. Congregationis die 27 Aprilis 1871.

FORMULA JURAMENTI

AB IIS PRAESTANDI QUI TITULO MISSIONIS ORDINANTUR.

Ego N., Filius N., Dioecesis (*vel* Vicariatus) N., spondeo et juro, quod, postquam ad Sacros Ordines promotus fuero, nullam Religionem, Societatem, aut Congregationem regularem, sine speciali Sedis Apostolicae licentia, aut S. Congregationis de Propaganda Fide, ingrediar, neque in earum aliqua professionem emittam.

Voveo pariter et juro, quod in hac Dioecesi (*aut* Vicariatu, *vel*[1] in Missione cui S. Sedi vel S. Congregationi de Propaganda Fide me destinare placuerit) perpetuo in divinis administrandis laborem meum ac operam, sub omnimoda directione et jurisdictione R. P. D. pro tempore Ordinarii, pro salute animarum impendam; quod etiam praestabo, si, cum praedictae Sedis Apostolicae licentia, Religionem, Societatem, aut Congregationem regularem ingressus fuero, et in earum aliqua professionem emisero.

Item voveo, et juro, me praedictum juramentum, et ejus obligationem intelligere, et observaturum. Sic me Deus adjuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

[1] *Juxta hunc alterum modum jurare debent, qui nondum alicui missioni addicti fuerint.*

IV.

ORDO SCRUTINII

IN ELIGENDO COMMENDANDUM AD EPISCOPATUM.

FONTES.					
De modo commendandi ad Episcopatum.—	*Conc. Prov. I. Westm.*,			*p.* 9.
De Sessionibus Capitularibus . . .	,,	,,	,,	*p.* 44.
Instructio S. Cognis de Prop. Fide .	,,	,,	,,	*p.* 57.
Quaest. circa qualitates &c. in commend.	,,	*IV.*	,,	*p.* 302.

"Cum Episcopus est constituendus" (p. 58.)

I. "Capitulariter Dignitarius et Canonici illius Ecclesiae "conveniant," (p. 58) "non ultra mensem a die mortis "Episcopi," (p. 45.)

II. "Celebrata per Canonicum digniorem Missa de Spiritu "Sancto," (p. 45.)

III. "Precibus de more praemissis," (p. 58.)

IV. "Et praestito a singulis juramento de secreto servando." (pp. 45, 58.)

1° Ego N. Praepositus N. spondeo, voveo et juro, me secretum fideliter servaturum, de singulis nominibus proponendis, et suffragiis ferendis, in hac Sessione Capitulari; sic me Deus adjuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

2° Ego N. Canonicus N. idem spondeo, voveo et juro; sic me Deus, etc.

V. "Absentes non valent per litteras votum suum aperire, "sed per procuratorem, e gremio Capituli eligendum, et muni- "tum legitimo mandato, quod non potest admitti nisi propter "causam vere necessariam, clare descriptam et Capitulo "probandam: vel propter infirmam valetudinem, quo in casu, "exprimatur quod de consilio unius saltem medici et unius "canonici, documento ipsi se subscribentium, capitularis nequit

"adesse. Procurator est admittendus dumtaxat ad *tres* schedas "tradendas, continentes nomina et praenomina deligendorum." (pp. 10, 45, 58.)

VI. "Suffragia"

1° "In scriptis dabuntur, nulla discussione praecedente "in conventu capitulari." (p. 45.)

2° "Ita plicanda sunt, ut non nisi nomen *proponendi* "legi possit." (p. 45.)

3° "Nomen *proponentis* interius scribatur, et suffra- "gium sit bene clausum sigillo non noto." (p. 45.)

4° "Stylus scriptionis sit diversus ab eo quo utitur "ordinarie is qui suffragium fert." (p. 45.)

VII. "Suffragia . . . . a tribus scrutatoribus in "initio sessionis electis excipientur." (p. 45.)

Ego N. Canonicus N. spondeo, voveo et juro me officium scrutatoris fideliter expleturum ; sic me Deus, etc.

VIII. "Tribus vicibus suffragia ferantur circa personas "Sanctae Sedi veluti digniores commendandas." (p. 58.)

IX. "In primo suffragio, singuli adnotabunt nomen illius "personae ecclesiasticae, quam ad sedem vacantem magis idoneam "judicaverint. (p. 45.) "Quod si in primo scrutinio, nullus "fuerit assecutus *majorem numerum*, iterum suffragia ferantur, "usque dum unus fuerit illum assecutus." (p. 46.)

X. "Hac ratione procedendum erit, ad designationem "alterius et tertii candidati. (p. 46.) "Si in aliqua ex tribus "vicibus, in favorem nullius adsint suffragia tot numero quae "excedant majorem partem vocum, actus nullius momenti "existat, atque iterum suffragia ferantur." (p. 58.)

XI. "Ex comparatione suffragiorum, scietur si quis habuerit "totidem suffragia sibi favorabilia, quot excedunt medietatem "suffragiorum, tam praesentium quam absentium per procura- "tores representatorum, non vero absentium absque procuratore." (p. 45.)

XII. "Publicatis post quodlibet scrutinium nominibus, "comburantur ipsa suffragia." (p. 45.)

XIII. "Tria nomina *alphabetico* ordine descripta (sint), "quae in singulis votationibus majorem suffragiorum partem "obtinuerint." (p. 58.)

XIV. "De hisce omnibus instrumentum fiet his terminis:- "Vacante propter obitum, &c. (p. 46.)

XV. "Actus capitularis rite descriptus atque obsignatus, "transmittendus erit ad Archiepiscopum." (p. 58.)

XVI. "Tria vero exempla authentica fiant, quorum unum "apud capitulum asservetur, alterum apud Archiepiscopum, "tertium vero ab Archiepiscopo ad S. Cong. de Propaganda "Fide transmittatur." (p. 46.)

XVII. Tandem in Conc. IV. Prov. Westm., (p. 302,) habentur notiones et quaestiones circa qualitates, &c., in commendandis ad episcopatum necessarias: responsa opportuna et necessaria commode exquiri possunt a Praeposito et uno vel altero Capitulari, in informationem episcoporum.

V.

DE FACULTATE SECUNDAM MISSAM EADEM DIE CELEBRANDI.

I.

ISTRUZIONE DELLA S. CONGREGAZIONE DI PROPAGANDA SUL BINARE LA MESSA.

1. La facoltà di binare la Messa, di cui la S. Sede suol munire gli Ordinarii delle Missioni con che possano comunicarla ai loro Missionarii, ha suscitato non pochi dubbi, proposti dai medesimi a questa S. Congregazione. La ragione di tali dubbi si desume dal rigore stesso delle clausole, che per ordine di Alessandro VII. furono apposte al relativo articolo delle Formole.

Il perchè è sembrato opportuno di raccogliere nella presente istruzione le massime e le regole più comuni, che deggiono aversi in vista nell' uso della menzionata facoltà.

2. Ognuno sa, che per regola generale secondo l'odierna disciplina della Chiesa, è lecito ai Sacerdoti di offrire il S. Sagrificio una sola volta il giorno. Così dispone Innoc. III.:[1] "respondemus quod excepto die Nativitatis Dominicae *nisi* "*causa necessitatis suadeat*, sufficit Sacerdoti semel in die "unam Missam solummodo celebrare."

3. Nel caso adunque di necessità si permette ai Sacerdoti d'iterare la Messa in un medesimo giorno. Ciò per altro deve intendersi, come risulta chiaramente dai termini stessi delle Formole, del permesso di celebrare due Messe soltanto, malgrado la gravità delle cause per celebrarne un numero maggiore. Domandava il Prefetto della Missione de' Cappuccini di Tunisi, si essendo tutti i suoi Missionarii carcerati, avrebbe potuto in un medesimo giorno, *si necessitas urgeat*, celebrarne più di due. E la Congregazione Generale di Propaganda dei 7. Agosto 1684. risolveva "non posse vigore facultatum celebrare ultra duas Missas." Il che erasi già risposto nella Congregazione Generale tenuta *coram Ssmo.* ai 17 Febbraro 1648; poichè esposto l'abuso che erasi introdotto presso i Sacerdoti schiavi in Algeri di celebrare tre Messe "Ssm̃us. . .jussit per dictum Praefectum (Algeriae) "praecipi nomine Sanctitatis suae Sacerdotibus . . . quod cum "Sedes Apostolica in facultatibus Missionariorum potestatem seu "licentiam concesserit celebrandi bis in die, ubi necessitas id "exegerit, ne deinceps ultra duas Missas celebrent." Lo stesso si ripeteva negli anni 1818 e 1820 al Prefetto Apostolico di Tunisi.

4. La necessità adunque è l'unico titolo per cui si autorizzano i Sacerdoti a binare la Messa. Convien però osservare anzi tratto col Verricelli[2] che "haec necessitas non est desumenda ex parte "inopiae Sacerdotum, sed ex parte necessitatis spiritualis populi, "et raritate Sacerdotum." Posto il quale principio è agevole ricavare varie regole negative sull' uso della facoltà, di cui si tratta.

[1] Cap. *Consuluisti* de celebratione Missarum.
[2] De Apost. Missionibus Tit. IV. Q. 98 Dub. 18 n. 201.

5. In 1° luogo è chiaro che mal si apporrebbe chi dicesse potersi binare nelle feste soppresse, in cui il popolo va esente dall' obbligo di ascoltare la Messa, come avvertivasi dalla S. Congregazione nel 1837: "Re mature perpensa, ex ipsius "formulae verbis satis clare patuit non posse facultates ad "abrogatas festivitates extendi. Cum enim in memorata for- "mula declaretur facultatem valere si necessitas urgeat, sequitur "ex eo unice titulo, quod dies illi festi olim fuerint, non posse "Missam bis ab eodem Sacerdote celebrari."

6. 2° Parimenti è vietato il binare per comodo di quelli, che amassero di sodisfare al precetto della Messa nelle private loro Cappelle. Avea rappresentato nel 1842 il Vicario Apostolico di Limburgo la consuetudine invalsa colà di permettere la binazione negli Oratorii privati *in castris magnatorum*, nè credendo in tali occasioni avverarsi la necessità voluta dalle Formole, chiese tanto in vista dell consuetudine che della utilità morale che ne derivava, d'essere autorizzato a permetterlo. Ma il S. Offizio giudicò *juxta exposita non expedire.* E avendo replicato il Vicario Apostolico, che alcuni Sacerdoti per la facoltà avutane anteriormente dal suo predecessore proseguivano a binare, la Suprema decretò "facultatem esse revocandam, quatenus "Vicarius Apostolicus Limburgen. prudentur id fieri posse "existimet."

7. 3° Da queste stesse risoluzioni si deduce che la consuetudine non è un titolo sufficiente perchè uno stesso Sacerdote possa offrire in un giorno due volte il S. Sagrificio. E ciò è conforme a quanto insegna Bened. XIV. nella cost. *Declarasti nobis* diretta ai 16 Marzo 1746 al Vescovo di Huesca in Aragona: "Solum inquirimus," così il Pontefice, "utrum ea consuetudo "rationem praescriptionis aut praesumptionis sibi comparavit, "et utrumque falsum et alienum judicamus." Ed inquanto alla prescrizione dice: "Si etenim juxta civiles leges sanctae res "praescribi non possunt, absonum undique est asserere fuisse per "praescriptionem aliquid obtentum vel requisitum, quod adver- "setur sanctionibus universalibus Ecclesiae, quarum observantiam "S. Concilium Trid. in Missarum celebratione Sacerdotibus omni- "bus praecipit." Sulla presunzione poi soggiunge: "Sed ceteris

"praetermissis subdimus haec intelligi posse de illis privilegiis, "quae impetrari potuissent a Sede Apostolica, si quis ea postu- "lasset; non vero de iis, quae cum postulantur, negari omnino "consueverunt, ne praesumptio plus habeat roboris et momenti "quam veritas." Ond' è che quando la S. Congregazione ha conosciuto che in qualche luogo fosse invalsa la consuetudine di binare la Messa senza necessità, non ha mancato di riprovare consuetudine di tal fatta siccome un abuso, eccitando lo zelo dei Vescovi ad eliminarla.

8. 4° Anche la povertà dei preti è ben lungi dal giustificare la binazione della Messa, come già si accennò dal Verricelli.[1] Un Arcivescovo d'Irlanda dimandò nel 1688 se per la sola causa "della povertà possono li Regolari celebrare due Messe nei giorni "festivi, facendolo nelle case private non ostante che tutte le "parrocchie e li conventi abbiano le loro chiese e cappelle." La risposta della S. Congregazione fu negativa; ed essendosi riferito nelle due particolari Congregazioni di Propoganda dei 7 Marzo 1743, e 28 Luglio 1750 che tuttora vigeva in Irlanda il divisato abuso, perchè molti Sacerdoti si servivano "della facoltà di binare "non per altro fine che di aver limosine piu abbondanti, e quindi "potersi più comodamente sostentare," gli EE. PP. ordinarono: *Graviter moneantur Sacerdotes, ne facultate celebrandi bis in die abutantur, ut stipendium largius et pinguius habeant.* E da Bened. XIV.[2] chiamasi *abusus intolerabilis* quello di dare ad un Sacerdote la facoltà di binare *eum in finem, ut duplici eleemosyna decentius se substentaret.* Solo ad usare un riguardo ai Religiosi poveri di quel regno, i quali eransi lamentati di un analoga proibizione fatta nel 1817 dal sinodo Provinciale di Tuam pel danno, che loro recava, togliendo ad essi l'elemosina che all'occasione della Messa solevana percipire alla porta della Chiesa, mentre essi vivevano della contribuzioni de' fedeli, volle la S. Congregazione che si avvertissero i Vescovi, che "in impertienda "de auctoritate Apostolica Sacerdotibus licentia celebrandi diebus "festis de praecepto duas Missas ob causas necessitatis ab Apos- "tolicis constitutionibus approbatas rationem habeant Sacerdotum

[1] L. cit. [2] Cost *Apostolicum ministerium*, 30 Maggio, 1753, § 11.

"regularium ac praesertim illorum qui in pauperibus coenobiis "morum trahunt." Del resto avendo dichiarato la S. Congregazione del Concilio "ex praxi generali Presbyteris non concedi "eleemosynam recipere pro secunda Missa, etiamsi de illis agatur "qui parochiali munere instructi ideo stipendum pro prima Missa "nequent obtinere, quod eam *pro populo* applicare teneantur," come si notificò con apposita Circolare della Propaganda dei 15 Ottob. 1863 agli Ordinarii delle Missioni, si è tolto oggimai ogni pretesto all' abuso di binare la Messa ad intuito dello stipendio. In vista però delle particolari circostanze di alcune Missioni il S. Padre si è degnato autorizzare, come consta dalla Circolare medesima, i predetti Ordinarii a permettere "ut justa et gravi "causa intercedente, Sacerdotes sibi subditi etiam pro secunda "Missa in eadem die celebranda stipendium percipere possint ac "valeant."

9. 5° Non occorre da ultimo notare, che è vietato al Sacerdote di celebrare due volte la Messa, qualora possa aversi altro Sacerdote, pel cui mezzo possa soddisfarsi alla necessità del popolo, come insegna espressamente Bened. XIV. nella precitata Cost.—*Declarasti nobis.* Ed è perciò, che prima di farsi luogo alla binazione, conviene esaminare se vi sia alcuno de' rimedi stabiliti dal diritto per provvedere allo spirituale bisogno del popolo; e dapprima è tenuto il parroco stesso a somministrare ad un altro Sacerdote lo stipendio; posta l'impotenza di esso, vi è tenuto il popolo; e finalmente, se neppure il popolo per la sua povertà, vi si potesse costringere, vi dovrebbe supplire l'Ordinario.[1]

10. Fin quì dei casi in cui è proibito iterare la Messa. Venendo ora ai casi in cui concorre la necessità richiesta a tale effetto, trovansi i medesimi svolti nella Cost. *Declarasti Nobis.* In essa si osserva primieramente, che secondo l'unanime consenso de' Teologi si permette binare la Messa al Sacerdote "qui duas Parochias obtineat, vel duos populos adeo sejunctos, ut alter "ipsorum Parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo

[1] Ben. XIV. l. cit. Voto del Card. Zelada *Thesaur. resolutionum* Tom. 37, in causa Derthusen. 25 Agosto 1768.

"possit ob locorum maximam distantiam." Ed è questo il primo caso, e più comune; l'altro che ivi si enumera, è "quando una tantum sit Ecclesia, in qua Missa celebratur, et ad quam "insimul universus populus convenire non potest."

11. Nei casi suenunciati può iterarsi la Messa anche da chi non trovasi munito delle facoltà delle Formole che sogliono concedersi dalla Propaganda, consentendolo lo stesso diritto comune, sempre però dipendentemente dall Ordinario, cui s'appartiene il giudicare sia della vera necessità, come ancora della possibilità di applicare i rimedi canonici (§ 9). Diffatti dopo averli indicati Bened. XIV. soggiunge: "Quae huc usque "dicta sunt, canonicis etiam generalibus sanctionibus innituntur." Che anzi è concorde opinione de' Teologi, come avverte Bened. XIV. nel caso di un sol parroco con due parrochie "parochum "nedum posse, sed plane teneri bis eodem die missam celebrare." [1] Di che facilmente ne conseguita che l'analogo articolo delle Formole, essendo facoltativo, si estende anche ad altri casi di necessità non contemplati nel diritto comune, altrimenti renderebbesi inutile, almeno pe' luoghi, ove le parrocchie sono canonicamente istituite, disponendo per queste lo stesso dritto comune. Ciò è conforme a quanto il lodato Pontefice dice nell' opera *de Sacros. Missae Sacrificio*,[2] ove dopo aver asserito "casum qui revera contingit, eum esse cum parochus duas habet "parochias etc.," prosiegue nei seguenti termini: "neque tamen "quidquam praejudicatum volumus de aliis casibus, qui accidunt "in missionibus, quibus consultum est concedendo Missionariis "facultatem plures celebrandi missas eodem die; itemque de "de aliis casibus, in quibus vel ob locorum distantiam, vel ob "paucitatem Sacerdotum, aut haereticorum aut infidelium "persecutionem, ne fideles missa careant, opus est a Sacer-"dotibus duas missas celebrari." E di queste cause appunto che hanno luogo nelle Missioni e per le quali si dà ai Superiori delle medesime la facoltà, si parlava nel 1832 dalla Propaganda nello scrivere ad un Missionario di Filippopoli, il quale non celebrava più messe, quantunque assistesse più popolazioni.

[1] De Syn. Dioec. L. VI. cap. VIII. n. 2.
[2] Lib. III. cap. V. n. 4.

Impostoglisi cioè di binare anche per ordine della Congregazione generale, gli si soggiungeva: "Se poi ella domanda perchè alla "facoltà di binar la Messa nella formola dell' indulto sieno unite "quelle clausole di rigore, ella troverà nella formola stessa la "risposta, osservando, che l'indulto non si restringe ai bisogni "del popolo ne' giorni festivi, ma essendo in termini generali "comprende ancora gli altri casi in questione, come sarebbe il "bisogno di amministrare il viatico agli infermi in ambedue le "parrocchie, ed in questi altri casi è dove debbono aver luogo le "cautele prescritte."

12. Ora appunto qer questi casi meno ovvii si sono trovati non di rado imbarazzati i Vescovi ed i Missionarii nell' uso della facoltà, dubitando principalmente della sufficienza delle cause che si richiedessero a seconda delle clausole che l'accompagnano. D'altro lato tanti sono e sì differenti i casi che possono avvenire su questa materia nelle Missioni, da non potersi facilmente prevedere e molto meno ridurre a determinate regole, potendo variare il giudizio sui medesimi secondo le varie circostanze dei luoghi dei tempi e delle persone, che in essi concorrano. Ecco perchè la soluzione dei particolari dubbi che in proposito si sono avanzati, si è per lo più rimessa al savio discernimento del superiore della Missione.

13. E dapprima si è più volte chiesta una regola sul numero bastevole dei fedeli, perchè si possa iterare la messa. Nella Cost. *Apostolicum Ministerium* per l'Inghilterra si dice potersi far uso della facoltà "cum eorum numerus qui diebus festivis "tenentur sacris assistere, talem exhibeat necessitatem, ut nisi "alicui Sacerdoti duas Missas eodem die celebrandi potestas "concedatur, Ecclesiae mandato *plures* non satisfacerent." Questo criterio generale però non toglie ogni dubbio sul numero che sia necessario alla binazione. Lo stesso può dirsi di una risposta negativa del S. Uffizio nel 1688 ad alcuni Missionarii Cappuccini della Grecia. Aveano essi dimandato: "utrum Missionarius "Sacerdos solus in loco degens duas Missas diebus dominicis et "festivis pro quindecim seu viginti personis, quae legitime "impeditae primae Missae adesse non valuerunt, celebrare possit;" e la Suprema ai 28 Genn. dello stesso anno decretò *non licere*.

Se peraltro il numero di venti è insufficiente all' effetto, può ulteriormente dimandarsi, quale sia il numero minimo, che basti.

14. Ma intorno a questo dubbio, come a quelli concernenti la distanza, la S. Congregazione ha tenuto la massima di lasciarli decidere dalla prudenza degli Ordinari delle Missioni, da cui dipende la facoltà, potendo essi soli sulla faccia dei luoghi dare il giusto peso a tutte le circostanze concorrenti nelle singole contingenze. Ed invero fin dal 1688 il Prefetto della Missione di Tunisi in Barbaria chiedeva in generale, che si dichiarasse, quale dovesse essere il numero de' fedeli privi d'altronde di messa a riguardo di cui si potesse binare; e la Congregazione Generale di Propaganda dei 16 Novembre rispondeva: *Relinquatur charitati et conscientiae P. Praefecti.* Similmente il Vescovo di S. Lonis negli Stati Uniti d'America nel 1828 dopo aver esposto come il proprio, così il timore di altri Vescovi di gravarsi la coscienza per le clausole delle formole, dimandava "utrum "quoties triginta aut quinquaginta fideles periculo exponuntur "missam de praecepto non audire, bis celebrare valeant." Con lettera dei 13 Marzo per ordine di Leone. XII. gli si rescrisse "omnem te anxietatem animi deponere debere, et quin commove-"aris verborum rigore, Se conscientiae ac prudentiae tuae com-"mittere, ut judices quibus in casibus ratione habita adjunctorum "dioecesis tuae graves adesse causae censendae sint, facultatem, "de qua sermo est, Sacerdotibus impertiendi. Ubi vero has "causas graves secundum conscientiam, prudentiamque tuam "arbitratus fueris, Sanctitas Sua posse te absque ulla dubitatione "ea facultate uti benigne declaravit."

15. Una consimile risposta fù anche data nel 1851 al Vicario Apostolico di Limburgo, il quale avea proposto un dubbio sulla distanza. "In hac regione (così egli) ex antiqua "consuetudine binandi licentia aliquando conceditur ob necessi-"tatem moralem, licet parochia vicinior non distet ultra spatium "mediae leucae: quaeritur num recte." La Propaganda con lettera dei 31 luglio gli rispose: "Praemisso Episcoporum esse "muneris pro viribus curare, ut hac uti facultate non sit opus ad "succurrendum fidelium necessitatibus, praxis generalis servanda "in singulis casibus assignari non potest. Quapropter in casibus

"ut supra particularibus, deficiente presbyterorum copia, aliisque "omnibus circumstantiis mature perpensis prudenti judicio "Superioris definiendum, utrum eo in casu concurrant gravia "rerum adjuncta, quae tradunt Doctores necessitatis casum "efficere (uti propositus videtur) in quo dispensationi a prae-"cepto universali de non iterando sacrificio ab eodem presbytero "eademque die locus fiat, et binandi facultati tribuendae, qua "parce omnino illum uti debere ex apostolici ipsius indulti "verbis apprime perspicitur." E questa istruzione ne' termini stessi fù inviata al Vescovo di Treviri nel 1853, da parte del quale erano stati proposti svariati dubbi sul binare la messa, essendoglisi scritto ai 28 Settembre, che considerati i suoi quesiti "censuit S. Congregatio dandam esse instructionem, quam . . . "Vicarius Apostolicus Limburgen. obtinuit sub die 31 Julii an 1851."

16. Per altro tra le varie risposte, che affidano il giudizio sulla gravità delle cause al Superiore, alcune meritano peculiar menzione, come quelle che senza dilungarsi dalla regola ordinaria di chiamar il Superiore stesso a giudicar delle cause, indicano insieme in qualche guisa la qualità, o il grado della necessità richiesta per la binazione, e talora temperano alquanto l'impressione, e calmano la soverchia anzietà che avean prodotto ne' Vescovi e Missionarii le clausole, ond' è vincolata nelle Formole questa facoltà. Una di tali risposte fù data nel 1848 ad un Vescovo degli Stati Uniti d'America: "Venio ad postulatum "tuum (così in una lettera dei 9 Maggio) circa modum interpre-"tandi necessitatem quae requiritur ad licitum usum facultatis "bis in die missam celebrandi. . . . Noverit ergo Ampli-"tudo Tua necessitatem hujusmodi, de qua sermo est, veram "quidem sed moralem intelligi; non autem absolutam de qua "proinde dijudicare in singulis casibus pendet a prudenti judicio "inspectis circumstantiis. Caveas ergo oportet hac in re ab "anxietate nimia in dijudicando, ne frustra concessa aut pene in "nullo casu ad actum reducenda facultas praedicta videatur." Più notevole è la dichiarazione, che si porse nel 1824 ad un Prefetto Apostolico nelle Antilli di America. Diffidando quel Prefetto di poter far uso tranquillamente della facoltà in discorso

per le gravi condizioni, che la circondano, avea implorato "ampliorem facultatem a Sede Apostolica copiam faciendi pres-"byteris . . . . ut diebus dominicis et festis de praecepto "missam bis celebrare possint, cum id postulet necessitas aut "spiritualis fidelium utilitas." Fattane relazione al Papa nell' udienza dei 13 Aprile gli si rispose nel modo seguente: "Talis "existimatio est virtutis et prudentiae tuae, ut SS. D. N. jusserit, "omnem deponere te debere anxietatem animi, et si existi-"maveris necessarium esse vel fidelibus vehementer utile, ut "Sacerdotes bis missam eodem festo die celebrent, verborum "quibus rescriptum contineri videtur, rigore commoveri te non "debere. Prudentiae itaque et conscientiae D. T. committit de "necessitate ista, et causarum gravitate judicare atque in iis "rerum adjunctis facultatem per memoratum rescriptum copiam "faciendi Sacerdotibus, ut missam bis celebrent, te habere "Sanctitas Sua benigne declaravit."

17. La medesima regola di commettere all'arbitrio o alla carità de' Superiori delle Missioni l'applicazione de'principii genereli ai casi pratici, si è osservata anche quando in essi, come eransi esposti, non si scorgesse quella grave urgenza di cause considerandole almeno in se stesse e in astratto, quale esiggono le clausole di questa facoltà; il che appunto conferma doversi dare gran parte nel calcolo delle ragioni, che ne giustificano l'uso, alle condizioni tutte e allo stato de' fedeli. Di ciò fa testimonianza la risposta data da questa S. Congregazione nel 1688 al Vice-Prefetto della Missione di Tripoli. Il quale incerto per le più volte accennate clausole avea richiesto, "a quanto numero "di schiavi o liberi possa celebrare precisamente le seconda "messa, dandosi talvolta il caso, che nel bagno fuori di Tripoli "non si retrovino presenti al sacrificio dieci o quindici persone "schiavi...e se in mancanza di Sacerdoti per questi soli possa "celebrare la seconda volta le feste." Ora malgrado la sfavorevole decisione emanata in quell anno stesso dal S. Offizio per un caso simile, come si è dettò al § 12, il S. Consesso di Propaganda dei 5 Ottobre ordinò *Relinquatur charitati et conscientiae P.V. Praefecti.* Nè è a meravigliare, se la Propaganda credè potersi far luogo a più benigna interpretazione, trattandosi di schiavi, i

quali per la loro condizione meritavano una particolare indulgenza, essendo forse l'unico loro conforto l'assistere al S. Sagrificio. Un altra prova di propensione ad una più mite interpretazione o connivenza in vista delle circostanze ne somministrò la Suprema nel 1610; imperocchè sebbene ai 20 giugno rispondesse al Vicario Apostolico d'un regno aggiacente alla Cina, "desiderium "Neophytorum bis aut ter in anno SSm̃am Eucharistiam sumere "volentium *per se* non esse urgentissimam causam, in casu de "quo agitur" cioè per iterar la messa secondo la facoltà, tuttavia soggiungeva: "sed pensatis omnibus locorum et personarum circumstantiis relinquendum arbitrio R. P. D. Vicarii "Apostolici." D'onde risulta che quelle cause, le quali di perse stesse e quindi per molti loughi non sono gravi, lo possono addivenire in alcuni altri per le circostanze, che vi si associno.

18. Sono queste le massime, che si sona avute in mira riguardo alla facoltà di binare, e che varranno certamente a tranquillizzare gli Ordinarii delle Missioni nell' esercizio della medesima. Se è vero che suol deferirsi in ciò al savio discernimento degli Ordinarii delli Missioni, si rende chiaro però dalle cose discorse, quanto mai debbano essi cautelarsi, rimanendo sempre gravata la loro coscienza sul legittimo esercizio di siffiata straordinaria facoltà. Nondimeno le clausole usate nelle Formole "non debbonsi interpretare (giova conchiudere con "quest' avvertenza data dala S. C. nel 1832 al Vescovo di "Nicopoli in Bulgaria) nell' *estremo* rigore, avendo sempre in "vista che la Sede Apostolica concede la detta facoltà a spiri-"tuale vantaggio dei fedeli, bramando che tutti abbiano il "comodo di adempiere il precetto ecclesiastico."

19. Resta ora a dire del rito, ossia del modo da tenersi nel binare la Messa. Su di che non è necessario osservare, essersi sempre prescritto ai Missionarii dalla S. Congregazione e dallo stesso Bened. XIV. che chi bina, non dee prendere le solite abluzioni del calice a cagion del digiuno, cosicchè "si in prima "missa post receptionem Corporis et Sanguinis, profusionem "acceperit, non debet secundam missam in praedictis casibus

"celebrare"[1] anche cioè in que' casi, in cui la popolazione altrimenti rimarrebbe priva della messa in giorno festivo. Sebbene poi con decreto della S. Congregazione de' Riti *in Ebusitana* die 16 Settembre 1815 erasi prescritto, che uno solo fosse il calice da adoperarsi da chi celebra due messe, siccome l'osservanza di un tale decreto involveva non lievi difficoltà, qnando si dovesse celebrare in due Chiese remote l'una dall' altra; la encomiata S. Congregazione nei generali comizi dei 12 Settembre 1857 moderando il precedente decreto decise *usum duorum calicum in casu posse permitti.* La qui unita istruzione, che fù compilata per ordine della medesima S. C., riguarda il modo di purificare il calice servito per la prima messa.

Dalla Propaganda li 24 Maggio 1870.

II.

INSTRUCTIO

A S. R. C. DIE XII SEPTEMBRIS 1857 EDITA PRO SACERDOTE APOSTOLICAM FACULTATEM HABENTE BIS MISSAM EADEM DIE CELEBRANDI.

Quando Sacerdos eadem die duas Missas dissitis in locis celebrare debet, in prima dum divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super corporale ponat Calicem et palla tegat, ac junctis manibus in medio Altaris dicat: *Quod ore sumpsimus, etc.*, et subinde admoto aquae vasculo digitos lavet dicens: *Corpus tuum*, et abstergat. Hisce peractis Calicem super Corporale manentem adhuc, deducta palla cooperiat ceu mos est, scilicet primum purificatoris linteo, deinde patena ac palla, et demum velo. Post haec Missam prosequatur, et completo ultimo Evangelio, rursus stet in medio Altaris, et detecto Calice, inspiciat an aliquid divini Sanguinis nec ne ad imum se

[1] Conc. di Nimes tenuto nel 1284. presso Bened. XIV. De Sanct. Missae Sacrif. L. III. cap. V. n. 4.

receperit, quod plerumque continget. Quamvis enim sacrae species primum sedulo sorptae sint, tamen dum sumuntur, cum particulae, quae circum sunt, undequaque sursum deserantur, non nisi deposito Calice ad imum redeunt. Si itaque divini Sanguinis gutta quaedam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur et quidem ex eadem parte qua ille primum sumptus est. Quod nullimode omittendum est, quia Sacrificium moraliter durat, et super extantibus adhuc vini speciebus ex divino praecepto compleri debet.

Postmodum Sacerdos in ipsum Calicem tantum saltem aquae fundat, quantum prius vini posuerat, eamque circumactam ex eadem parte, qua S. Sanguinem biberat in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum Purificatorio linteo abstergat, ac demum cooperiat, uti alias fit atque ab altari discedat. Depositis vestibus sacris, et gratiarum actione completa, aqua e Calice demissa pro rerum adjunctis vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus Sacerdos redeat Missam habiturus) et in secunda purificatione in Calicem demittatur, vel gossipio aut stupa absorpta comburatur, vel in Sacrario si sit exsiccanda relinquatur, vel demittatur in piscinam.

Cum autem calix, quo Sacerdos primum est usus, purificatus jam sit, si illo ipso pro Missa altera indigeat, eum secum deferat: secus vero in altera Missa diverso Calice uti poterit.

Cum superior S. R. C. Instructio nonnisi casum respicit, quo Sacerdos duas Missas dissitis in locis eadem die sit celebraturus; operae pretium visum est ex Commentariis Bartholomaei Gavanti et Cajetani Mariae Merati hic ritum adjungere a Sacerdote servandum cum utramque Missam in eadem Ecclesia offerre debet.

Hoc itaque in casu Sacerdos post haustum in prima Missa diligenter Sanguinem Domini, omissa consueta purificatione, patena calicem et palla patenam tegens ac super corporale relinquens, dicet junctis manibus: *Quod ore sumpsimus Domine, etc.* Deinde digitos, quibus SS. Sacramentum tetigit, in aliquo vase mundo ad hoc in Altari praeparato abluet, interim dicens *Corpus tuum Domine, etc.*, abstersisque purificatorio digitis calicem velo cooperiet, velatumque ponet super corporale

extensum. Absoluta Missa si nulla in Ecclesia sit sacristia, calicem eodem modo super Altare relinquet; secus vero in Sacristiam deferet, ibique super Corporale vel pallam in aliquo loco decenti et clauso collocabit usque ad secundam Missam: in qua, cum eodem calice uti debeat, illum rursus secum deferet ad Altare, ac super corporale extensum reponet. Cum autem in secunda Missa Sacerdos ad Offertorium devenerit, ablato velo de Calice hunc parumper versus cornu Epistolae collocabit sed non extra corporale, factaque hostiae oblatione cavebit ne purificatorio extergat calicem, sed eum intra corporale relinquens leviter elevabit, vinumque et aquam eidem caute imponet, ne guttae aliquae ad labia ipsius Calicis resiliant, quem deinde nullatenus ab intus abstersum more solito offeret.

VI.

INSTRUCTIO

EDITA A S. CONGNE CONCILII DIE 22 AUGUSTI 1840, PRO CONFECTIONE PROCESSUS IN CAUSIS MATRIMONIALIBUS.

Cum moneat Glossa (in cap. fin. de frig. et malef.) in causis matrimonialibus omnem cautelem esse adhibendam propter periculum animarum, quod et docuit Sanchez (de matrim. lib. 7 disp. 107) et Card. Argenvilliers (in dissert. matrimonii relat. inter vota Constantini P. 5 vol. ult. n. 16) plura hinc a Sacris Canonibus sancita sunt, ut tutum ac rectum judicium efformari queat. Ad removendas vero fraudes, quæ conjugum malitiâ vel collusione saepe oriebantur, S. M. Bend. XIV. (in Constit. *Dei Miseratione*) processum conficiendum esse praecepit sub poenâ nullitatus omnium actorum, ut probationibus undequaque accuratissime cumulatis, in causis hujusmodi omnium gravissimis, in quibus agitur de Sacramenti validitate vel nullitate, ac de dissolvendo vinculo matrimoniali, judices in proferendo judicio tuti conquiescere possent. At quia saepe in hoc difficillimo pro-

cessu acta minus recte et apte ad veritatem eruendam conficiebantur, S. Congregatio saepius instructiones edidit, ac normam praecripsit quam Episcopi sequerentur.

Cum itaque in hujusmodi causis, non de jure alterutrius partis tantum, sed praecipue de Sacramentali vinculo dissolvendo agatur, processûs acta non ad instar aliorum judiciorum, praesertim civilium, sed juxta SS. Canones, et citatam S. M. Benedict. XIV. Constitutionem, et praesentem instructionem erunt efformanda. Ea itaque non vernaculo sed latino sermone erunt conscribenda, exceptis tamen excipiendis, nimirum articulis, interrogatoriis, responsionibus ad ea, et peritorum relationibus; praesertim vero decreta, et sententia, quae juxta priscos mores erit conficienda, latinâ linguâ exarabuntur. Praeterea cum a Sacro Conc. Trid. (sess. 24 cap. 20 de reform, §. ad haec), ac etiam a S. M. Bened. XIV. (in cit. Constit. *Dei Miseratione* § 4) causarum matrimonialium cognitio quibusvis judicibus inferioribus, non obstante quovis privilegio ac praescriptione, fuerit sublata, ac Episcoporum tantum examini et jurisdictioni reservata, etiam prae Abbatibus vere nullius, licet Cardinalitiâ dignitate fulgentibus, juxta S. Congregationis resolutiones, hinc tutius erit, ut nedum sententia proferatur, sed etiam acta processûs per Episcopum, vel per Ecclesiasticam personam specialiter ab eo delegandam conficiantur.

Hisce praemissis, quoties aliquis ex conjugibus instantiam in scriptis porriget super nullitate Matrimonii, Episcopus Judicem, si velit, delegabit, deinde ipse, vel judex delegatus citari mandabit Defensorem Matrimonii, quatenus in Curiâ Episcopali jam deputatus existat, sin minus, idoneum virum deputabit iis qualitatibus praestantem, quas superius memorata Constitut. S. M. Benedicti XIV. requirit, eumque citari mandabit. Defensoris Matrimonii erit, praefixâ die accedere ad praestandum juramentum, se munus suum diligenter et incorrupte expleturum, et omnia voce ac scriptis deducturum, quae ad validitatem Matrimonii sustinendam conferre poterunt. Praeterea hic Defensor Matrimonii citandus erit ad quaelibet acta, ne vitio nullitatis ipsa tabescent. Ipsi, qui pro Sacramenti validitate stat, semper et quandocumque acta processûs, etsi nondum publicati, erunt

communicanda, semper et quandocumque ejus scripta erunt recipienda, ac novi termini eo flagitante erunt prorogandi, ut ea perficiat et exhibeat.

Praefinitâ die in citatione comparebit instans pro nullitate, et tunc Defensor Matrimonii tradet interrogatoria clausa, et obsignata Cancellario seu Notario, aperienda, illo postulante, ex Judicis decreto in actu examinis, super quibus interrogandus erit conjux instans pro nullitate. Iis ea addet etiam actu examinis ex officio Judex, quae ex responsionibus magis apta conspiciet ad veritatem eruendam, sive in declarationem responsionum datarum, sive super novis circumstantiis resultantibus, quod erit intelligendum etiam de aliis interrogatoriis, super quibus coeteri omnes, de re instructi, erunt examinandi.

Cum itaque advenerit statuta dies, pars nullitatem Matrimonii allegans comparebit, ut supra dictum, coram Judice, adstante Defensore Matrimonii et Cancellario. Judex deferet parti examinandæ juramentum de veritate dicendâ, et deinde reserabit interrogatoria exhibita, ut supra dictum est, a Defensore Matrimonii, eaque singulatim proponet, audiet responsiones, easque dictabit Cancellario.

Interim dum pars erit examinanda, ipse Cancellarius exscribit in processu primam interrogationem, et deinceps singulas ex ordine, post quas, scribet responsiones a Judice vel a Defensore Matrimonii, Cancellarius interrumpet ordinem progressivum et adnotabit *interrogata ex-officio;* et scriptâ interrogatione et responsione, reassumet ordinem progressivum interrogationum exhibitarum a Defensore Matrimonii.

Si examen unâ sessione absolvi non poterit, Judex illud suspendet, ac destinabit etiam diem et horam pro reassumptione et prosecutione faciendâ eodem modo ac formâ, ut supra dictum est. Absoluto examine, Cancellarius leget clarâ et intelligibilli vose responsiones datas, factâ examinato facultate variandi, et declarandi datas responsiones, prout ei libuerit. Tandem judex deferat juramentum eidem conjugi, se vera dixisse, atque nunquam ante publicationem processûs se evulgaturum sive interrogationes propositas, sive responsiones datas. Deinde ipse subscribet, et si fuerit illiteratus, per signum Cru✠cis; dein

Judex et Defensor validitatis matrimonii apponet suam subscriptionem, et Cancellarius de actu rogabit.

Poterit pars examini subjecta, vel illico post examen, vel etiam deinceps, antequam publicetur processus, si velit, articulos proponere, super quibus etiam, citato Defensore Matrimonii, erit examinandus alter conjux, et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus conjux, qui primus fuerat intorrogatus, et adstante Defensore Matrimonii, super articulis ab altero propositis audietur.

Hæc norma, quæ data fuit pro instantis examine, servanda erit, congrua congruis referendo, in quovis alio examine.

Expleto examine illius conjugis qui actor fuit in promovendâ nullitatis querelâ, sequitur examen alterius conjugis, quod erit conficiendum iisdem prorsus methodo ac lege, quæ præscriptæ fuerunt in præcedentibus paragraphis, ac sub iisdem interrogatoriis actori propositis, vel aliis additis vel novis confectis, prout Defensor Matrimonii in Domino censuerit.

Deinde procedendum erit ad examen *septimæ manus*, hoc est, septem propinquorum ex utroque latere ad formam Text. *(in Cap. Litteræ Vestræ: de frig et. malef.).* Ut id facilius exequi Judex valeat, Defensor Matrimonii citabit partem actricem, ut indicet septem sibi sanguine, vel affinitate conjunctos, si fieri possit, sin minus septem vicinos bonæ famæ. Singuli, auditâ prius lecturâ examinis, seu confessionis conjugis eos inducentis erunt interrogandi, utrum perspectam habeant religionem et honestatem illius conjugis, ut propterea sibi verosimile sit, ac credant eum vera dixisse. Similiter instante Defensore Matrimonii, citandus erit alter conjux, ut etiam ipse indicet septem propinquos vel affines, iisque deficientibus, septem vicinos bonae famae, qui ut supra dictum est deponant: seorism erunt hi quatuordecim conflantes septimam manum examini subjiciendi, designatis diebus et horis, et delato prius singulis juramento. Defensor Matrimonii interrogatoria clausa exhibebit, ut superius dictum est.

Liberum erit conjugibus testes bonae famae ac de re instructos inducere, qui omnes seorsim et methodo hactenus praescripta erunt examini subjiciendi.

Si alios etiam Defensor Matrimonii ex actis jam confectis deprehendet de re instructos, hos etiam citabit, ut examini subjiciantur. Si qui forsan absentes noscantur, qui commode ad Civitatem accedere nequeant etiam ob distantiae sumptus, vel ad partis instantiam vel, eâ silente, ad instantiam Defensoris Matrimonii, erunt ab Episcopo illius Dioecesis in qua morantur, examinandi juxta interrogatoria ab eodem Defensore conficienda, ac clausa et obsignata transmittenda, deputato ab eodem Episcopo altero idoneo viro, qui praestet requisitis in Bullâ saepius laudatâ S. M. Bend. XIV. praescriptis, quique expleat munus Defensoris validitatis matrimonii, et examini intersit.

Omnes vero testes, congrua congruis referendo, rogandi erunt praesertim quando initum fuerit Matrimonium, utrum inter Conjuges mutui amoris et benevolentiæ signa intercesserint; quamdiu in eâdem domo, vel Civitate cohabitaverint; utrum innotuerit eos consummationi operam dedisse; an inde matrimonium consummatum censeretur; de causis consummationem impeditivis; de conquestionibus, quando et cum quibus factis, et cur nolint amplius in Matrimonio permanere.

Si querela super impotentiâ versetur, interrogandi erunt periti physici, quos conjuges consuluerunt.

* * * * * *

Quatenus Defensori Matrimonii nulla alia probatio exquirenda videatur, nullamque putet aliam Judex præ suâ diligentiâ assumendam, finis imponetur probationum collectioni et publicabitur processus, edito super hoc, decreto a Judice, factisque subscriptionibus ab Eo, a Defensore Matrimonii, et a Cancellario. Haec habenda methodus. Quae in actis continentur, nemini, nec ipsis quidem conjugibus eorumque Defensoribus erunt communicanda, ante processûs publicationem, uno excepto Defensore Matrimonii, cui libera semper et quandocumque erit actorum inspectio et examen.

Locus deinde erit defensionibus. Liberum etiam erit Defensori Matrimonii, post processûs publicationem, novas probationes exquirere, cum agat favore Sacramenti, et nunquam bina sententia nullitatis conformis transeat in rem judicatam, ac

reassumi causa possit etiam post initas novas nuptias a partibus, juxta Constitut. saepius citatam *Dei miseratione.*

Omnibus absolutis, et cum nil amplius deducendum censuerit Defensor Matrimonii, sententiam proferet Episcopus.

Si haec Matrimoni nullitas decreta fuerit, debebit Defensor Matrimonii appellare, juxta citatam Constitutionem, nec poterunt Conjuges ad alia vota transire, nisi post obtentam alteram sententiam conformem super nullitate, sub poenis contra polygamos constitutis in citatâ Constitutione *Dei miseratione.* Deinde transmittenda erunt acta ab Episcopo ad Judicem, ad quem provocatum fuit, in copiâ authenticâ, solutâ per partem diligentiorem competenti mercede Cancellario.

VII.

DE PROBANDO STATU LIBERO EORUM QUI MATRIMONIUM CONTRAHERE VOLUNT.

I.

INSTRUCTIO

PRO EXAMINE ILLORUM TESTIUM, QUI INDUCUNTUR PRO CONTRAHENDIS MATRIMONIIS, TAM IN CURIA EMINENTISSIMI ET REVERENDISSIMI D. CARDINALIS, URBIS VICARII, QUAM IN ALIIS CURIIS CAETERORUM ORDINARIORUM.

In primis: Testis moneatur de gravitate juramenti, in hoc praesertim negotio pertimescendi, in quo divina simul et humana majestas laeditur, ob rei, de qua tractatur, importantiam, et gravitatem; et quod imminet poena triremium et fustigationis deponenti falsum.

II. Interrogetur de nomine, cognomine, patria, aetate, exercitio et habitatione.

III. An sit civis, vel exterus, et quatenus sit exterus, a quanto tempore est in loco, in quo Testis ipse deponit.

IV. An ad examen accesserit sponte, vel requisitus; si dixerit, accessisse sponte a nemine requisitus dimittatur, quia praesumitur mendax.

Si vero dixerit accessisse requisitus; interrogetur a quo, vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, et quoties fuerit requisitus, et an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

V. Interrogetur, an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine.

VI. Interrogetur, an cognoscat ipsos contrahere volentes, et a quanto tempore, in quo loco, qua occasione, et cujus qualitatis, vel conditionis existant.

Si responderit negative, Testis dimittatur; si vero affirmative—

VII. Interrogetur, an contrahere volentes sint cives, vel exteri; si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per litteras Ordinarii ipsorum contrahere volentium, doceatur de eorum libero statu, de eo tempore, quo permanserunt in sua civitate, vel dioecesi. Ad probandum vero eorumdem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet usque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur testes idonei, qui legitime, et concludenter deponant statum liberum contrahere volentium, et reddant sufficientem rationem causae eorum scientiae, absque eo quod teneantur deferre attestationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

Si vero responderit, contrahere volentes esse cives—

IX. Interrogetur, sub qua parochia hactenus contrahere volentes habitarunt, vel habitent de praesenti.

Item an ipse Testis sciat, aliquem ex praedictis contrahere volentibus quandoque habuisse uxorem, vel maritum.

Si responderit affirmative, non procedatur ad licentiam, nisi producantur authenticae et legales attestationes, vel testes fide digni, et verisimiliter informati de obitu conjugis defuncti.

Si vero Testis responderit, non habuisse uxorem vel maritum—

X. Interrogetur de causa scientiae, et an sit possibile, quod aliquis ex illis habuerit uxorem vel maritum, et quod ipse Testis nesciat.

Si responderit affirmative, supersedeatur, nisi ex aliis testibus probetur concludenter, non habuisse uxorem vel maritum.

Si vero responderit negative—

XI. Interrogetur de causa scientiae, ex qua deinde Judex colligere poterit, an Testi sit danda fides.

Si responderit, contrahere volentes habuisse uxorem vel maritum, sed esse mortuos—

XII. Interrogetur de loco, et tempore, quo sunt mortui, et quomodo ipse Testis sciat, fuisse conjuges, et nunc esse mortuos.

Et si respondeat, mortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certa ecclesia, vel occasione militiae sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico a Rectore hospitalis, in quo praedicti decesserunt, vel a Rectore Ecclesiae, in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel, si fieri potest, a Duce illius cohortis in qua descriptus erat miles.

Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quae de jure communi possunt admitti, dummodo sint legitimae et sufficientes.

XIII. Interrogetur, an post mortem dicti conjugis defuncti, aliquis ex praedictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota.

Si responderit negative—

XIV. Interrogetur, an esse possit, quod aliquis ex illis transierit ad secunda vota, absque eo, quod ipse Testis sciat.

Si responderit affirmative, supersedeatur in licentia, donec producantur Testes, per quos negativa coarctetur concludenter.

Si vero negative—

XV. Interrogetur de causa scientiae, qua perpensa, Judex poterit judicare, an sit concedenda licentia, vel ne.

Si contrahentes sunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides ordinariorum suorum, esse liberos, et in aliis servata forma Conc. Trid. in cap. *Multi, Sess. XXIV.*

Fides aliaque documenta, quae producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita sigillo et legalitate Episcopi ordinarii, et recognita saltem per Testes, qui habeant notam manum, et sigillum, et attente consideretur, quod fides, seu testimonia bene et concludentur identificent personas, de quibus agitur.

Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei, quam extranei, quia praesumuntur melius informati, et cives magis quam exteri, nec admittantur homines vagi et milites, nisi data causa, et maturo consilio; et Notarius exacte describat personam Testis; quem si cognoscit, utatur clausala, mihi bene cognitus; *sin minus, examen non recipiat, nisi una cum persona Testis aliqua alia compareat cognita Notario, et quae attestetur de nomine, et cognomine ipsius Testis, necnon de idoneitate ejusdem ad testimonium ferendum. Et hujusmodi examinibus debet interesse in Urbe, ultra Notarium, officialis specialiter deputandus ab Eminentissimo Vicario; et extra Urbem, Vicarius Episcopi, vel aliqua alia persona insignis, et idonea, ab Episcopo specialiter deputanda, alias puniatur Notarius arbitrio Sacrae Congregationis, et Ordinarius non permittat fieri publicationes.*

Ordinarii praecipiant omnibus, et singulis Parochis, in eorum Dioecesibus existentibus, ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, a quo, vel ejus generali Vicario prius teneantur authenticam fidem reportare, quod pro tali matrimonio fuerunt examinati Testes in eorum tribunali, qui probant statum liberum contrahere volentium, &c., contravenientes autem severe punientur.

II.

SUPREMAE SACRAE CONGREGATIONIS

INSTRUCTIO AD PROBANDUM OBITUM ALICUJUS CONJUGIS.

Matrimonii vinculo duos tantummodo "Christo ita docente, "copulari, et conjungi posse, alterutro vero conjuge vita functo, "secundas, imo et ulteriores nuptias licitas esse, dogmatica "Ecclesiae Catholicae doctrina est."

Verum ad secundas, et ulteriores nuptias quod attinet, cum de re agatur, quae difficultatibus ac fraudibus haud raro est obnoxia, hinc Sancta Sedes sedulo curavit modo Constitutionibus generalibus, saepius autem responsis in casibus particularibus datis, ut libertas novas nuptias ineundi ita cuique salva esset, ut predicta matrimonii unitas in discrimen non adduceretur.

Inde constituta Sacrorum Canonum, quibus, ut quis possit licite ad alia vota transire, exigitur quod de morte conjugis certo constet, uti cap. *Dominus de secundis nuptiis*, vel quod de ipsa morte recipiatur *certum nuncium* uti Cap. *In praesentia, De sponsalibus, et matrimoniis,* Inde etiam ea quae explanatius traduntur in Instructione "*Cum alias*," 21 Augusti 1670, a Clemente X. sancita, et in Bullario Romano inserta super examine Testium pro matrimoniis contrahendis in Curia Em̃i Vicarii Urbis, et coeterorum Ordinariorum. Maxime vero quae propius ad rem facientia ibi habentur *nn. 12 et 13.*

Et haec quidem abunde sufficerent si in ejusmodi causis peragendis, omnimoda, et absoluta certitudo de alterius Conjugis obitu haberi semper posset; sed cum id non sinant casuum propemodum infinitae vices (quod sapienter animadversum est in laudata Instructione his verbis: "*Si tamen hujusmodi testi-"monia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit "excludere alias probationes, quae de jure communi possunt "admitti, dummodo legitimae sint, et sufficientes")* sequitur, quod stantibus licet principiis generalibus praestitutis, haud raro casus eveniunt, in quibus Ecclesiasticorum Praesidum judicia haerere solent in vera justaque probatione dignoscenda, ac statuenda, imo pro summa illa facilitate, quae aetate nostra facta est,

remotissimas quasque regiones adeundi in omnes fere orbis partes homines divagentur, ejusmodi casuum multitudo adeo succrevit, ut frequentissimi hac de re ad Supremam hanc Congregationem habeantur recursus, non sine porro partium incommodo, quibus inter informationes, atque instructiones, quas pro re nata, ut aiunt, peti, mittique necesse est, plurimum defluit temporis, quin possint ad optata vota convolare.

Quapropter Sacra eadem Congregatio hujusmodi necessitatibus occurrere percupiens, simulque perpendens in dissitis praesertim missionum locis, Ecclesiasticos praesides opportunis destitui subsidiis, quibus ex gravibus difficultatibus extricare se valeant, e re esse censuit, uberiorem edere Instructionem, in qua, iis, quae jam tradita sunt, nullo pacto abrogatis, regulae indigitentur, quas in ejusmodi casibus haec ipsa S. Congregatio sequi solet, ut illarum ope, vel absque necessitate recursus ad Sanctam Sedem, possint judicia ferri, vel certe, si recurrendum sit, status quaestionis ita dilucide exponatur, ut impediri longiori mora sententia non debeat. Itaque.

1. Cum de conjugis morte quaestio instituitur, notandum primo loco, quod argumentum a sola ipsius absentia quantacumque (licet a legibus civilibus fere ubique admittatur) a Sacris Canonibus minime sufficiens ad justam probationem habetur. Unde sa. me. Pius VI. ad Archiepiscopum Pragensem die 11 Julii 1789 rescripsit, solam conjugis absentiam, atque omnimodum ejusdem silentium *satis argumentum non esse ad mortem comprobandam*, ne tum quidem cum edicto regio conjux absens evocatus (idemque porro dicendum est, si per publicas ephemerides id factum sit) nullum suimet indicium dederit. *Quod enim non comparuerit*, idem ait Pontifex, *non magis mors in causa esse potuit, quam ejus contumacia.*

2. Hinc ad praescriptum eorumdem sacrorum Canonum, documentum authenticum obitus diligenti studio exquiri omnino debet; exaratum scilicet ex regestis Paroeciae, vel Xenodochii, vel militiae, vel etiam, si haberi nequeat ab auctoritate ecclesiastica, a Gubernio civili loci in quo, ut supponitur, persona obierit.

3. Porro quandoque hoc documentum haberi nequit; quo casu testium depositionibus supplendum erit. Testes vero duo

saltem esse debent, jurati, fide digni, et qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint, ac sint inter se concordes quoad locum, et causam obitus, aliasque substantiales circumstantias. Qui insuper, si defuncti propinqui sint, aut socii itineris, industriae, vel etiam militiae, eo magis plurimi faciendum erit illorum testimonium.

4. Interdum unus tantum testis examinandus reperitur, et licet ab omni jure testimonium unius ad plene probandum non admittatur, attamen ne conjux alias nuptias inire peroptans, vitam coelibem agere cogatur, etiam unius testimonium absolute non respuit Suprema Congregatio in dirimendis hujusmodi casibus, dummodo ille testis recensitis conditionibus sit praeditus, nulli exceptioni obnoxius, ac praeterea ejus depositio aliis, gravibusque adminiculis fulciatur; sique alia extrinseca adminicula colligi omnino nequeant, hoc tamen certum sit, nihil in ejus testimonio reperiri, quod non sit congruum, atque omnino verisimile.

5. Contingit etiam ut Testes omnimoda fide digni testificentur se tempore non suspecto mortem conjugis ex aliorum attestatione audivisse, isti autem vel quia absentes, vel quia obierint, vel aliam ob quamcumque rationabilem causam examinari nequeunt; tunc dicta ex alieno ore, quatenus omnibus aliis in casu concurrentibus circumstantiis, aut saltem urgentibus respondeant, satis esse censentur pro sequutae mortis prudenti judicio.

6. Verum, haud semel experientia compertum habetur, quod nec unus quidem reperiatur Testis qualis supra adstruitur. Hoc in casu probatio obitus ex conjecturis, praesumptionibus, indiciis, et adjunctis quibuscumque, sedula certe et admodum cauta investigatione curanda erit, ita nimirum, ut pluribus hinc inde collectis, eorumque natura perpensa, prout scilicet urgentiora, vel leviora sunt, seu propriore, vel remotiore nexu cum veritate mortis conjunguntur, inde prudentis viri judicium ad eamdem mortem affirmandam probabilitate maxima, seu morali certitudine promoveri possit. Quapropter quandonam in singulis casibus habeatur ex hujusmodi conjecturis simul conjunctis justa probatio, id prudenti relinquendum est judicis arbitrio: heic

tamen non abs re erit plures indicare fontes ex quibus illae sive urgentiores, sive etiam leviores colligi et haberi possint.

7. Itaque in primis illae praesumptiones investigandae erunt quae personam ipsius asserti defuncti respiciunt, quaeque profecto facile haberi poterunt a conjunctis, amicis, vicinis, et quoquo modo notis utriusque conjugis. In quorum examine requiratur *ex. gr.*

An ille, de cujus obitu est sermo, bonis moribus imbutus esset; pie, religioseque viveret; uxoremque diligeret; nullam sese occultandi causam haberet; utrum bona stabilia possideret, vel alia a suis propinquis, aut aliunde sperare posset.

An discesserit annuentibus uxore, et conjunctis: quae tunc ejus aetas, et valetudo esset.

An aliquando, et quo loco scripserit, et num suam voluntatem quamprimum redeundi aperuerit, aliaque hujus generis indicia colligantur.

Alia ex rerum adjunctis pro varia absentiae causa colligi judicia sic poterunt.

Si ob militiam abierit, a duce militum requiratur quid de eo sciat; utrum alicui pugnae interfuerit; utrum ab hostibus fuerit captus; num castra deseruerit, aut destinationes periculosas habuerit, etc.

Si negotiationis causa ita susceperit, inquiratur utrum tempore itineris gravia pericula fuerint ipsi superanda: num solus profectus fuerit, vel pluribus comitatus: utrum in regionem ad quam se contulit supervenerint seditiones, bella, fames, et pestilentiae, etc., etc.

Si maritimum iter fuerit aggressus sedula investigatio fiat a quo portu discesserit; quinam fuerint itineris socii; quo se contulerit; quod nomen navis quam conscendit; quis ejusdem navis gubernator; an naufragium fecerit; an societas quae navis cautionem forsan dedit, pretium ejus solverit; aliaeque circumstantiae, si quae sint, diligenter perpendantur.

8. Fama quoque aliis adjuta adminiculis argumentum de obitu constituit, hisce tamen conditionibus, nimirum: quod a duobus saltem testibus fide dignis et juratis comprobetur; qui deponant de rationabili causa ipsius famae; an eam acceperint

a majori et saniori parte populi, et an ipsi de eadem fama recte sentiant; nec sit dubium illam fuisse concitatam ab illis, in quorum commodum inquiritur.

9. Tandem, si opus fuerit, praetereunda non erit investigatio per publicas ephemerides, datis Directori omnibus necessariis personae indiciis, nisi ob speciales circumstantias saniori, ac prudentiori consilio aliter censeatur.

10. Haec omnia pro opportunitate casuum Sacra haec Congregatio diligenter expendere solet; cumque de re gravissima agatur, cunctis aequa lance libratis, atque insuper auditis plurium Theologorum, et Juris prudentum suffragiis, denique suum judicium pronunciat, an de tali obitu satis constet, et nihil obstet quominus petenti transitus ad alias nuptias concedi possit.

11. Ex his omnibus Ecclesiastici Praesides certam desumere possunt normam quam in hujusmodi judiciis sequantur. Quod si non obstantibus regulis hucusque notatis res adhuc incerta, et implexa illis videatur, ad Sanctam Sedem recurrere debebunt, actis omnibus cum ipso recursu transmissis, aut saltem diligenter expositis.

VIII.

INSTRUCTIO SUPER QUASI-DOMICILIO

PRO EPISCOPIS ANGLIAE ET STATUUM FOEDERATORUM AMERICAE FERIAE IV. DIEI 7. JUNII, 1867.

Ad constituendum quasi-domicilium quod in hisce casibus necessario adipiscendum est, duo simul requiruntur: habitatio nempe in eo loco ubi matrimonium contrahitur, atque animus ibidem permanendi per majorem anni partem: quapropter si legitime constet vel ambos vel alterutrum ex sponsis animum habere permanendi per majorem anni partem, ex eo primum die quo duo haec simul concurrunt, nimirum et hujusmodi animus et actualis habitatio, judicandum est quasi-domicilium acquisitum fuisse, et matrimonium quod proinde contrahatur esse validum.

Verumtamen si de praedicto animo non constet, ad indicia recurrendum est quae praesto sint, quaeque moralem certitudinem pariant. In re autem occulta et interna difficile est hujusmodi indicia habere, quae judicem securum faciant: inde est quod adhiberi maxime debet regula a Summo Pontifice Benedicto XIV. confirmata, ut inspiciatur utrum ante matrimonium, spatio saltem unius mensis vel ambo vel alteruter in matrimonii loco habitaverint. Quod si factum fuisse deprehendatur, censendum est ex praesumptione juris intentionem permanendi per majorem anni partem extitisse, et domicilium fuisse acquisitum proindeque matrimonium esse validum. At si praesumptio haec juris, quae ex menstrua habitatione oritur, contrariis elidatur probationibus, quibus certo ac liquido constet praedictum animum nullo pacto extitisse, tunc profecto contrarium proferri debere judicium manifestum est, quia praesumptio cedere debet veritati. Praeterea manifestum quoque est actualem habitationem ineptam esse ad quasi-domicilium pariendum, si quis in ea regione more vagi ac itinerantis commoretur, non autem vere proprieque habitantis, quemadmodum scilicet coeteri solent, qui in eodem loco verum proprieque dictum domicilium habent.

IX.

INSTRUCTIO

S. CONG. DE PROP. FIDE

SUPER DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS.

Cum dispensatio sit juris communis relaxatio cum causae cognitione, ab eo facta, qui habet potestatem, exploratum omnibus est dispensationes ab impedimentis matrimonialibus non esse indulgendas, nisi legitima et gravis causa interveniat. Quin imo facile quisque intelligit, tanto graviorem causam requiri, quanto gravius est impedimentum, quod nuptiis celebrandis opponitur. Verum haud raro ad S. Sedem perveniunt

supplices literae pro impetranda aliqua hujusmodi dispensatione, quae nulla canonica ratione fulciuntur. Accidit etiam quandoque, ut in hujusmodi supplicationibus ea omittantur, quae necessario exprimi debent, ne dispensatio nullitatis vitio laboret. Idcirco opportunum visum est in praesenti Instructione paucis perstringere praecipuas illas causas, quae ad matrimoniales dispensationes obtinendas juxta canonicas sanctiones, et prudens ecclesiasticae provisioni arbitrium, pro sufficientibus haberi consueverunt; deinde ea indicare, quae in ipsa dispensatione petenda exprimere oportet.

Atque ut a causis dispensationum exordium ducatur, operae pretium erit imprimis animadvertere, unam aliquando causam seorsim acceptam insufficientem esse, sed alteri adjunctam sufficientem existimari; nam quae non prosunt singula, multa juvant, *arg. l. 5. C. de probat.* Hujusmodi autem causae sunt quae sequuntur:

1. *Angustia loci* sive absoluta sive relativa (ratione tantum Oratricis), cum scilicet in loco originis, vel etiam domicilii cognatio foeminae ita sit propagata, ut alium paris conditionis, cui nubat, invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem, patriam vero deserere sit ei durum.

2. *Aetas foeminae superadulta*, si scilicet 24um aetatis annum jam egressa hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit. Haec vero causa haud suffragatur viduae, quae ad alias nuptias convolare cupiat.

3. *Deficientia aut incompetentia dotis*, si nempe foemina non habeat actu tantam dotem, ut extraneo aequalis conditionis, qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. Quae causa magis urget, si mulier penitus indotata existat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere, aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit.

4. *Lites super successione bonorum jam exortae* vel *earumdem grave* aut *imminens periculum.* Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti substineat neque adest alius, qui litem hujusmodi in se suscipiat, propriisque

expensis prosequatur, praeter illum qui ipsam in uxorem ducere cupit, dispensatio concedi solet; interest enim Reipublicae, ut lites extinguantur. Huic proxime accedit alia causa, scilicet *Dos litibus involuta*, cum nimirum mulier alio est destituta viro, cujus ope bona sua recuperare valeat. Verum hujusmodi causa nonnisi pro remotioribus gradibus sufficit.

5. *Paupertas viduae*, quae numerosa prole sit onerata, et vir eam alere polliceatur. Sed quandoque remedio dispensationis succurritur viduae ea tantum de causa, quod junior sit, atque in periculo incontinentiae versetur.

6. *Bonum pacis*, quo nomine veniunt nedum foedera inter regna, et Principes, sed etiam extinctio gravium inimicitiarum, rixarum, et odiorum civilium. Haec causa adducitur vel ad extinguendas graves inimicitias, quae inter contrahentium consanguineos vel affines ortae sint, quaeque matrimonii celebratione omnino componerentur; vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiae graves viguerint, et, licet pax inter ipsos inita jam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis confirmationem maxime conduceret.

7. *Nimia, suspecta, periculosa familiaritas*, nec non *cohabitatio* sub eodem tecto, quae facile impediri non possit.

8. *Copula* cum consanguinea vel affine vel alia persona impedimento laborante praehabita, et *Praegnantia*, *ideoque legitimatio prolis*, ut nempe consulatur bono prolis ipsius, et honori mulieris, quae secus innupta maneret. Haec profecto una est ex urgentioribus causis, ob quam etiam plebeis dari solet dispensatio, dummodo copula patrata non fuerit sub spe facilioris dispensationis: quae circumstantia in supplicatione foret exprimenda.

9. *Infamia mulieris*, ex suspicione orta, quod illa suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa, cum nempe nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata, vel innupta remaneret, vel disparis conditionis viro nubere deberet, aut gravia damna orirentur.

10. *Revalidatio matrimonii*, quod bona fide et publice, servata Tridentini forma, contractum est: quia ejus dissolutio

vix fieri potest sine publico scandalo, et gravi damno, praesertim foeminae, *c. 7 de consanguin.* At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente Conc. Trid. *Sess. XX V, cap. V. de Reform. matrim.*

11. *Periculum matrimonii mixti*, vel *coram acatholico ministro celebrandi.* Quando periculum adest, quod volentes matrimonium in aliquo etiam ex majoribus gradibus contrahere, ex denegatione dispensationis ad Ministrum acatholicum accedant pro nuptiis celebrandis spreta Ecclesiae auctoritate, justa invenitur dispensandi causa, quia adest non modo gravissimum fidelium scandalum, sed etiam timor perversionis, et defectionis a fide taliter agentium, et matrimonii impedimenta contemnentium, maxime in regionibus, ubi haereses impune grassantur. Id docuit haec S. Congregatio in instructione die 17 Apr. 1820 ad Archiepiscopum Quebecensem data. Pariter cum Vicarius Apostolicus Bosniae postulasset, utrum dispensationem elargiri posset iis Catholicis, qui nullum aliud praetexunt motivum, quam vesanum amorem, et simul praevidetur, dispensatione denegata, eos coram judice infideli conjugium fore dituros, S. Congregatio S. Officii in Fer. IV. 14 Aug. 1822 decrevit: "respondendum Oratori, quod in exposito casu utatur faculta-"tibus sibi in Form. II. commissis, prout in Domino expedire "judicaverit." Tantumdem dicendum de periculo, quod pars catholica cum acatholico Matrimonium celebrare audeat.

12. *Periculum incestuosi concubinatus.* Ex superius memorata instructione an. 1822 elucet, dispensationis remedium, ne quis in concubinatu insordescat cum publico scandalo, atque evidenti aeternae salutis discrimine, adhibendum esse.

13. *Periculum matrimonii civilis.* Ex dictis consequitur, probabile periculum quod illi, qui dispensationem petunt, ea non obtenta, matrimonium dumtaxat *civile*, ut aiunt, celebraturi sint, esse legitimam dispensandi causam.

14. *Remotio gravium scandalorum.*

15. *Cessatio publici concubinatus.*

16. *Excellentia meritorum*, cum aliquis aut contra fidei

catholicae hostes dimicatione aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute, aliove modo de Religione sit optime meritus.

Hae sunt communiores, potioresque causae, quae ad matrimoniales dispensationes impetrandas adduci solent; de quibus copiose agunt theologi, ac sacrorum canonum interpretes.[1]

Sed jam se convertit instructio ad ea, quae praeter causas in literis supplicibus pro dispensatione obtinenda, de jure vel consuetudine, aut stylo Curiae exprimenda sunt, ita ut si etiam ignoranter taceatur veritas, aut narretur falsitas, dispensatio nulla efficiatur. Haec autem sunt:—

1. *Nomen et cognomen* Oratorum, utrumque distincte, ac nitide ac sine ulla literarum abbreviatione scribendum.

2. *Dioecesis orignis* vel *actualis domicilii.* Quando Oratores habent domicilium extra dioecesim originis, possunt, si velint, petere, ut dispensatio mittatur ad Ordinarium dioecesis, in qua nunc habitant.

3. *Species* etiam *infima* impedimenti, an sit consanguinitas, vel affinitas, orta ex copula licita vel illicita; publica honestas originem ducens ex sponsalibus, vel matrimonio rato; in impedimento *criminis*, utrum provenerit ex conjugicidio cum promissione matrimonii, aut ex conjugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione matrimonii: in cognatione spirituali, utrum sit inter levantem et levatum, vel inter levantem et levati parentem.

4. *Gradus consanguinitatis*, vel *affinitatis*, aut *honestatis* ex matrimonio rato, et an sit simplex, vel mixtus, non tantum remotior, sed etiam propinquior, uti et linea, an sit recta et transversa; item an Oratores sint conjuncti ex duplici vinculo consanguinitatis, tam ex parte patris, quam ex parte matris.

5. *Numerus impedimentorum* e. gr. si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas, vel si praeter cognationem adsit etiam affinitas, aut aliud quodcumque impedimentum sive dirimens, sive impediens.

[1] Inter ceteros consulendi Pyrrhus Corradus—*Praxis dispensationum Apostolicarum*—Lib. VII. et VIII. ac Vincentius De Justis—*De dispensationibus matrimonialibus*—Lib. III.

6. *Variae circumstantiae*, scilicet an matrimonium sit contrahendum, vel contractum; si jam contractum, aperiri debet, an bona fide, saltem ex parte unius, vel cum scientia impedimenti; idem an praemissis denuntiationibus, et juxta formam Tridentini; vel an spe facilius dispensationem obtinendi; demum an sit consummatum, si mala fide, saltem unius partis, seu cum scientia impedimenti.

7. *Copula incestuosa* habita inter sponsos ante dispensationis executionem, sive ante, sive post ejus impetrationem, sive intentione facilius dispensationem obtinendi, sive etiam seclusa tali intentione, et sive copula publice nota sit, sive etiam occulta. Si haec reticeantur, subreptitias esse et nullibi ac nullo modo valere dispensationes super quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis, et legalis, nec non et publicae honestatis declaravit S. Congregatio S. Officii fer. IV. 1 Augusti 1866. In petenda vero dispensatione super impedimento affinitatis primi vel secundi gradus lineae collateralis, si impedimentum nedum ex matrimonio consummato cum defuncto conjuge Oratoris vel Oratricis, sed etiam ex copula antematrimoniali seu fornicaria cum eodem defuncto ante initum cum ipso matrimonium patrata oriatur, necesse non est, ut mentio fiat hujusmodi illicitae copulae, quemadmodum patet ex responso S. Poenitentiariae diei 20 Martii 1842, probante s. m. Greg. XVI. ad Episcopum Namurcensem, quod generale esse, idem Tribunal literis diei 10 Decembris 1874 edixit.

Haec prae oculis habere debent non modo qui ad S. Sedem pro obtinenda aliqua matrimoniali dispensatione recurrunt, sed etiam qui ex pontificia delegatione dispensare per se ipsi valent, ut facultatibus, quibus pollent, rite, ut par est, utantur.

Datum ex Aedibus S. C. de Prop. Fide die 9 Maii 1877.

X.

DE RESIDENTIA EPISCOPORUM.

ILLME. AC RME. DOMINE,

Quandoquidem divino praecepto animarum Rectoribus mandatum sit oves suas agnoscere, easque pascere verbo Dei, sacramentis, atque exemplo bonorum operum, idcirco ii ad personalem in suis Dioecesibus vel Ecclesiis residentiam obligantur; sine qua injunctum sibi officium defungi per se ipsos minime possent. Porro pastoralis residentiae debitum quovis tempore Ecclesia Dei asserere atque urgere non destitit; cujus sollicitudinis luculenta exhibent testimonia non modo veteres canones, sed et sacrosancta Tridentina Synodus *Sess. VI. cap.* 1. *de Refor.* et *Sess. XXIII. de Ref. cap.* 1. ac novissime Summus Pontifex Benedictus XIV. qui Constitutione *ad Universae Christianae Reipublicae statum* edita die 3. Septembris 1746 residentiae obligationem et inculcavit sedulo et disertissime explicavit.

Quod si ubique locorum Pastores animarum pro officii sui ratione continenter in medio gregis vivere oportet, ad id potiori etiam titulo illi tenentur quibus animarum cura demandata est in locis Missionum. Cum enim fideles in Missionibus graviora passim subire cogantur pericula, dum minora ut plurimum iis praesto sunt adjumenta virtutum, peculiari ac praesentissima indigent vigilantia atque ope Pastorum. Haud igitur mirum si sacro Consilio Christiano Nomini Propagando nil fuerit antiquius quam datis etiam Decretis curare ut a se dependentes Episcopi Vicariique Apostolici in suis Missionibus, quoad fieri posset, absque ulla interruptione residerent. Quam quidem in rem eo usque pervenit Sancta Sedes, ut laudatis Praesulibus sub gravissimis poenis prohibuerit, ne Pontificalia munia in aliena Dioecesi vel Districtu etiam de consensu Ordinarii ullo modo peragerent.

At quoniam, hisce non obstantibus, haud raro contingit ut Praelati Missionum inconsulta Sede Apostolica et absque vera necessitate aut causa canonica perlonga suscipiant itinera, ex quo non mediocria commissae illis Missiones pati possunt detri-

menta, propterea Emi. ac Rmi. Patres Sacrae hujus Congregationis in generalibus comitiis habitis die 21. Januarii hujus anni expedire censuerunt, ut in memoriam revocarentur praedictorum Praesulum canonicae sanctiones circa Pastorum residentiam, nec non Decreta quae circa ejusdem obligationem edita sunt pro locis Missionum, ne quis videlicet in posterum Dioecesim aut Districtum cui praeest vel ad tempus relinquat absque praevia licentia ejusdem S. Congregationis. Quod quidem dum Amplitudini tuae significo ex mente Emorum. Patrum, Decreta, de quibus supra, addere non praetermitto.[1]

Praeterea Emi. ac Rmi. Patres in iisdem generalibus comitiis statuerunt, ut universis Episcopis, Vicariis, ac Praefectis Apostolicis Missionum *Quaestiones* transmittantur pro relatione exhibenda Sacrae Congregationi de statu Dioecesium vel Missionum queis praesunt. Cum enim ii omnes qui Missionibus praeficiuntur praedictam relationem statis temporibus subjicere S. Sedi teneantur, voluit Sacrum Consilium ut eam in posterum exigendam curent ad normam 55. Quaestionum quae in adjecto folio continentur[2], utque in iis praesertim accuratiores se praebeant, quae ad vitam, honestatem ac scientiam sacerdotum referuntur.

Denique cum experientia compertum sit plures ex adolescentibus qui Romam mittuntur, ut inter Alumnos Collegii Urbani cooptentur, finem in quem instituuntur non attingere, quod vel ecclesiastica vocatione vel firma corporis valetudine aut ingenio ad scientias addiscendas idoneo destituantur, Emi. Patres universis Superioribus Missionum tradi voluerunt *Prospectum*, ut cum licentiam a Sacra Congregatione obtinuerint adolescentes ad Collegium Urbanum mittendi, noverint quibus dotibus hi praestare debeant, ne secus fiat, ut ex ingentibus expensis in illorum educatione erogandis nullam Ecclesia percipiat utilitatem, ac pulcherrimae Missionum spes in irritum cadant. Haec Amplitudini tuae pro mei muneris

[1] Vide infra p. 423.
[2] Pro quaestionibus de quibus hic agitur, vide supra pp. 124-127.

ratione communicans, Deum precor ut Ipsam diu sospitem atque incolumem servet.

Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide die 24. Aprilis 1861.

DE RESIDENTIA PRAESULUM

IN LOCIS MISSIONUM.

Decreta et Declarationes S. Congr. de Prop. Fide.

I.

In Congregatione Generali coram SSm̃o habita die 28. Martii Anno 1651.

"Sanctitas Sua decrevit quod Episcopi S. Congregationi de "Propaganda Fide subordinati non possint exercere Pontificalia "in aliis, praeterquam in propriis Ecclesiis, etiamsi esset de "consensu Ordinariorum sub poena suspensionis ipso facto incur- "rendae, ac eidem Pontifici reservatae, dummodo a praefata S. "Congregatione non sint in certo loco destinati Vicarii Apostolici, "seu Administratores alicujus Ecclesiae deputati."

Similia Decreta prodierunt ab eadem S. Congregatione die 26. Julii 1662. et 17. Julii 1715.

II.

In Congregatione particulari de Propaganda Fide habita die 7. Maii 1669.

Cum iteratis per S. C. decretis exercitium Pontificalium extra Dioeceses Episcopis ejusdem S. C. assignatas prohiberetur, quaesivit Episcopus Heliopolitanus.

"An dicta decreta intelligenda essent vim suam habere "intra fines Europae tantum, an vero extenderentur etiam ad "alia loca, per quae transeundum esset, cum ad suas Ecclesias "proficisceretur.

"S. Congregatio respondit Decreta prohibentia dictum exercitium Pontificalium extendi ad omnia loca, etiam extra fines Europae."

N.B.—*Sacra Congregatio de Propaganda Fide cum comperisset generalem inhibitionem quae continetur in superioribus Decretis non mediocri quandoque incommodo esse, praesertim quum Antistites ob adversam valetudinem ad ea peragenda quae Episcopalis sunt potestatis, vicinum aliquem Praesulem accersere coguntur, in gen. conventu habito die 2 Augusti 1819, censuit supplicandum Sanctissimo pro eorumdem Decretorum moderatione, ita ut* quando rationabili causa vel urgente necessitate Episcopi seu Vicarii Apostolici ad alienas Dioeceses vel Vicariatus se conferunt, possint sibi invicem communicare facultatem Pontificalia exercendi, dummodo tamen semper accedat Episcopi seu Vicarii loci consensus, inviolatumque de cetero maneat residentiae praeceptum. *Id autem Summus Pontifex Pius PP. VII. in Aud. diei 8. Augusti ejusdem anni ratum habuit ac provavit.*

III.

In Congregatione Generali habita die 10. Julii 1668.

Emĩ. ac Rmĩ. Patres S. Consilii Christiano Nom. Propag. attentis expositis contra Episcopos ab eodem S. Consilio dependentes qui cum detrimento suarum Dioecesium eas desere-bant ut Romam vel alia loca peterent, statuendum censuerunt.

"Inhibeatur Episcopis S. Congregationi subjectis ne Romam "sub quovis praetextu veniant, absque licentia Sacrae Congrega-"tionis. Decretum editum Anno 1626. renovarunt."

XI.

DE LITERIS TESTIMONIALIBUS PRO RELIGIOSIS.

Decretum Sacrae Congregationis super statu Regularium Auctoritate Sanctissimi Domini Nostri Pii PP. IX. editum de testimonialibus Ordinariorum literis requirendis in receptione illorum, qui ad habitum religiosum admitti postulant.

Romani Pontifices pro eorum pastorali cura, qua semper Regularium familiarum bono et splendori prospicere non omiserunt, illud Superioribus pro viribus commendarunt, ut antequam ad religiosum habitum Postulantes reciperent, de illorum vita, moribus ceterisque dotibus et qualitatibus sedulo inquirerent, ne indignis ad religiosas familias, non sine maximo illarum detrimento, ostium adaperirent. Verum quamlibet Moderatores Ordinum diligentiam adhibeant in informationibus exquirendis, in gravi tamen ut plurimum versantur periculo deceptionis, nisi ab locorum Antistitibus testimonium exquirant circa eorum qualitates, qui ad habitum religiosum admitti postulant: Ordinarii enim vi pastoralis officii oves suas prae ceteris agnoscere possunt, et saepe saepius ea manifestare impedimenta, quae alios latent. Haec animadvertens Sanctissimus D. N. Pius PP. IX., audito voto S. R. E. Cardinalium hujus Sacrae Congregationis super statu Regularium, attentisque postulationibus nonnullorum Episcoporum, praesenti decreto ubique locorum perpetuis futuris temporibus servando, haec, quae sequuntur, Apostolica auctoritate statuit, atque decernit.

1. In quocumque Ordine, Congregatione, Societate, Instituto, Monasterio, Domo, sive in iis emittantur vota solemnia, sive simplicia, et licet agatur de Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, Institutis, Monasteriis, ac Domibus, quae ex peculiari privilegio etiam in corpore juris clauso, vel alio quovis titulo in decretis generalibus non comprehenduntur, nisi de ipsis specialis, individua, et expressa mentio fiat, nemo ad habitum

admittatur absque testimonialibus literis tum Ordinarii orginis, tum etiam Ordinarii loci, in quo Postulans post expletum decimum quintum annum aetatis suae ultra annum moratus fuerit.

2. Ordinarii in praefatis literis testimonialibus postquam diligenter exquisiverint etiam per secretas informationes de Postulantis qualitatibus, referre debeant de ejus natalibus, aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia; an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate, aut alio canonico impedimento irretitus, aere alieno gravatus, vel reddendae alicujus administrationis rationi obnoxius. Et sciant Ordinarii eorum conscientiam super veritate expositorum oneratam remanere; nec ipsis unquam liberum esse hujusmodi testimoniales literas denegare; in eisdem tamen super praemissis singulis articulis ea tantum testari debere, quae ipsi ex conscientia affirmare posse in Domino judicaverint.

3. Omnibus et singulis Superioribus regularibus, aliisque Religiosis, ad quos spectat, cujuscumque gradus sint, et instituti licet exempti, et privilegiati ac de necessitate exprimendi, etiam in virtute sanctae obedientiae hujus decreti observantia districte praecipitur: et qui contra hujus decreti tenorem aliquem ad habitum religiosum receperit, poenam privationis omnium officiorum, vocisque activae, et perpetuae inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda eo ipso incurrat, a qua nonnisi ab Apostolica Sede poterit dispensari.

4. Vi cujuscumque privilegii, facultatis, indulti, dispensationis, approbationis, regularum, et constitutionum etiam in forma specifica, quam ab Apostolica Sede aliquis Ordo, Institutum, Superior Religiosus consequeretur, numquam huic decreto derogatum esse censeatur, nisi ei expresse et nominatim derogetur, licet in concessione derogatoriae generales quamtumvis amplae apponantur. Quod si alicui Instituto expresse, et nominatim dispensatio super eodem decreto aliquando concedi contigerit, aliis minime extendi vi poterit cujuscumque privilegii, et communicationis privilegiorum.

5. Quolibet anno die prima Januarii in publica mensa hoc decretum legatur sub poena privationis officii, ac vocis activae et passivae, a Superioribus ipso facto incurrenda.

Ne autem hujus decreti observantia aliqua ratione, titulo, praetextu impediatur, Sanctitas Sua quibuscumque in contrarium facientibus constitutionibus, regulis, et statutis cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, Monasterii, Domus etiam in forma specifica ab Apostolica Sede approbatis, nec non cuilibet privilegio licet in corpore juris clauso, et Apostolicis Constitutionibus ac decretis confirmato, ac expressa, individua, speciali, et specialissima mentione digno, aliisque contrariis quibuscumque prorsus derogat, et derogatum esse declarat.

Datum Romae ex Sacra Congregatione super Statu Regularium die 25 Januarii 1848.

ANDREAS CAN. BIZZARRI,
a Secretis.

XII.

RESPONSA S. ROMANAE ET UNIV. INQUISITIONIS QUOAD BAPTISMUM

Feria IV. die 2 Aprilis, 1879.

In Congregatione generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita coram Emis. et Rmis. DD. S. R. E. Cardinalibus in rebus Fidei generalibus Inquisitoribus, propositis infrascriptis dubiis transmissis a R. P. D. Episcopo Nottinghamiensi, nempe—

1. An liceat sub conditione baptizare publice et cum sacris caeremoniis parvulos rationis expertes qui, in protestantismo dubie et sine caeremoniis jam baptizati, sub conditione baptizari debent.

2. An, si liceat, oporteat etiam sub praecepto hujusmodi parvulis sacras caeremonias adhibere in baptismo conditionato.

3. Quatenus affirmative, quid faciendum de permultis hujusmodi qui fere passim jam per multos annos in pueritia sub conditione sine caermoniis baptizati sunt.

Decreverunt respondendum.

Ad primum. Baptismum sub conditione parvulis de quibus in casu administrandum esse secreto et cum caeremoniis in Rituali Romano praescriptis.

Ad secundum. Provisum in *primo.*

Ad tertium. Dissimulandum; quod si quis petat, remittitur prudenti arbitrio R. P. D. Ordinarii.

J. Pelami,

S. Rom. et Univ. Inq. Notarius.

L. ✠ S.

XIII.

DE ESU IN COLLATIUNCULA BUTYRI, CASEI ET LACTIS.

Beatissimo Padre,

Avvicinandosi la S. Quaresima e trovandosi in Curia il Vescovo di Clifton, egli desidera di fare rispettosamente osservare, anche a nome degli altri Vescovi Inglesi, che in Inghilterra trovasi necessario di dispensare molte persone dal digiuno pel motivo che essi non possono provedersi di cibo lecito per la refezione serotina, che si permette dalla Chiesa ai digiunanti oltre l'unica commestione. Non sarebbe necessario di dispensare tali persone dal digiuno qualora essi potessero prevalersi del permesso che dà la Chiesa di fare quella piccola refezione. Ma 1°. l'olio, l'aceto, l'insalate, le frutta e simili cose,

che sono permesse come companatico o condimento, non si possono ottenere in Inghilterra se non ad un prezzo che non è alla portata del popolo comune. 2°. Per ciò stesso che questi cibi e condimenti non sono alla portata del popolo, essi non ne hanno uso, e quindi non si possono assuefarsi a mangiarli. 3°. Un gran numero di tali persone si trovano per servizio od altro in casa di protestanti, i quali, benchè non ricusano di dar loro di magro nei giorni prescritti, non vogliono alcerto procacciare cibi e condimenti fuori dell'uso comune del popolo. Quindi ai confessori non resta altro rimedio che di dispensare tali persone affatto dal digiuno.

Ora si ricerca se invece di dispensarli dal digiuno sarebbe lecito ai confessori di tenerli obbligati al digiuno, ma di permettere loro per via di tolleranza di servirsi per companatico o condimento alla detta piccola rifezione di un poco di butiro o di cacio, che formano il condimento o companatico ordinario del popolo in Inghilterra ed altri paesi settentrionali. Tale tolleranza si pratica nella Scozia, nell'Olanda, nel Belgio, e nelle parti settentrionali della Francia, paesi tutti limitrofi dell'Inghilterra; e se si praticasse ancora in Inghilterra, il numero dei digiunanti che ora si va sempre diminuendo sarebbe di molto accresciuto.

Feria IV. die 18 Martii, 1880.

SSmus. Dnus. Noster LEO Divina Providentia PAPA XIII. in solita Audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, audita relatione suprascripti supplicis libelli, una cum Emorum. ac Rmorum. PP. Cardinalium Generalium Inquisitorum suffragiis, benigne annuit pro gratia qua RR. PP. DD. Oratores tolerare possint diebus jejunii in collatiuncula esum butyri, casei, et lactis juxta preces, quatenus jejunium in caeteris servetur; exceptis tamen feria IV. Cinerum, et feria VI. Majoris Hebdomadae. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

J. PELAMI,

S. Rom. et Univ. Inquis. Notarius.

L. S.

XIV.

DE ESU CARNIUM.

Declaratio S. Poenitentiariae quoad eos qui a lege jejunii dispensantur ratione affectae valetudinis.

Emza Rma,

Il Vescovo di Salford umilmente supplica che V.E.R. si degni dichiarare se quelle persone le quali per causa di malferma salute sono dispensate della legge del digiuno, possano cibarsi di carne piu di una volta nei giorni in cui si permette l'uso della carne?

Sacra Poenitentiaria, mature ac diligenter perpenso proposito dubio, respondendum censuit, fideles qui ratione affectae valetudinis a lege jejunii seu unicae comestionis eximuntur licite posse, iis quadragesimae diebus quibus esus carnium per indultum permissus est, toties carnibus vesci quoties per diem edunt.

Datum Romae in Sa. Poenitentiaria, die 16 Martii, 1882.

A. Card. Bilio, *P.M.*,

Hip. Cânus. Palombi, *S. P. Secretarius.*

XV.

DE DIOECESEOS BEVERLACENSIS DIVISIONE.

ERECTIO DIOECESIUM LOIDENSIS ET MEDIOBURGENSIS.

Litterae Apostolicae in forma Brevis, quarum vigore, Dioecesis Beverlacensis in duas novas et distinctas Dioeceses dividitur, Loidensem et Mediobargensem, nuncupatas.

LEO PP. XIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Quae ex hac Beatissimi Petri Cathedra sublimi, veluti e specula, Catholico Nomini bene, prospere, ac feliciter prospicimus eventura, ea praestare, interposita Apostolica Nostra

auctoritate, maturamus. Jam vero cum Venerabilis Frater Robertus Cornthwaite, Episcopus Beverlacensis in Anglia, ad Nos detulerit Dioecesim suam nimis late patere, ideoque, ut spirituali fidelium bono, satius uberiusque consultum sit, admodum salubre fore ac frugiferum, si eadem Dioecisis duas in Ecclesias dividatur, quarum unaquaeque proprio committatur Antistiti, Nos, ubi datum fuit, cum VV. FF. NN. S.R.E. Cardinalibus, negotiis Fidei Propagandae praepositis, rem communicavimus, et quo divisio hujusmodi in aeternam animarum salutem maxime cedat, Beverlacensi Episcopo demandavimus, ut ipse novarum Dioecesium fines describeret, ac cetera significaret, quae in Domino magis expedire arbitraretur. Qui quidem commissi sibi muneris partes, pro egregia sua Pastoralis officii cura atque industria, cum nitidissime obierit, Nos de eorundem VV. FF. NN. consilio haec, quae infra scripta sunt, Apostolica Nostra Auctoritate decrevimus. Beverlacensem Dioecesim latissime patentem, in duas distinctas Dioeceses, vi praesentium, dividimus; harum alteri ad Septentrionem positae, a Medioburgensi, alteri a Loidensi, vulgo "Leeds," Urbe, nomen facimus. Praeterea volumus, ut alterius, in Medioburgensi, alterius, in Loidensi urbe Episcopus sedeat; et altera quidem constet Septentrionali simul atque Orientali Districtibus, "Ridings," qui nominantur, una cum ea parte Comitatus Urbisque Eboracensis, quae jacet ad Septentrionalem partem fluminis "Ouse:" altera unicum complectatur Districtum, seu "Riding" Occidentalem, cum ea Comitatus et Urbis Eboracensis parte, quae in Meridiem spectat ejusdem fluminis "Ouse." Quo vero novae Medioburgensis Ecclesiae temporalibus etiam prospiciatur praesidiis, volumus item, ut ei cedat quidquid ad partem pertinet actualis Dioecesis Beverlacensis, quam novae Medioburgensi Sedi adsignavimus; insuper tertia pars fundorum quorumcumque communium; ac denique dimidia pars actualis mensae Beverlacensis, juxta conventionem cum Clero initam, quum collectae pro actuali Dioecesi institutae fuerunt. Tandem decernimus praesentes Nostras Litteras firmas fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque, ad quos spectat, ac pro tempore spectabit, in omnibus

et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis, per quoscumque Judices et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari et definiri debere, irritumque esse et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula, de jure quaesito non tollendo; Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri recol. me., super *Divisione Materiarum*, denique Beverlacensis Ecclesiae etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die xx. Decembris, MDCCCLXXVIII. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Pro Dno. CARD. ASQUINIO.

L. ✠ S. D. JACOBINI, *Subst.*

XVI.

DE NOVA DIOECESI LOIDENSI.

PRIMI EPISCOPI NOMINATIO.

LEO PP. XIII.

Litterae Apostolicae, quibus Robertus Episcopus Beverlacensis, ad novam Dioecesim Loidensem nominatur.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quod bonum, faustum, felixque sit, et Catholico Nomini benevertat, Beverlacensem istam Diocesim latissime patentem, per Apostolicas Literas, quas hoc ipso die, et hac eadem forma dedimus, ita divisimus, ut ex ejus partibus, duo novae Dioeceses, Medioburgensis nempe Loidensisque, prodirent. Jam vero cum agatur de Episcopis, quibus novarum hujusmodi Dioecesium regimen committatur, Nos, cum VV. FF. NN. S. R. E. negotiis Propagandae Fidei praepositis, re communicata, seduloque perpensa, in eam sententiam devenimus, ut te, Venerabilis Frater, a Beverlacensi ista Ecclesia, quae post divisionem a

Nobis factam, esse desiit, ad Loidensem Sedem nominemus: praeterea, Tibi Medioburgensis Dioecesis administrationem demandemus, donec novus Medioburgensis Episcopus constituatur. Quae cum ita sint de eorumdem VV. FF. NN. consilio, a vinculo quo Beverlacensi isti Ecclesiae adstrictus detineris, Apostolicae Potestatis Nostrae plenitudine te, Venerabilis Frater, solventes et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quovis modi, vel quavis de causa latis, si quas forte incurreris, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, ad novam Loidensem sedem, hisce Litteris, Apostolica Nostra Auctoritate, nominamus, teque eidem in Episcopum praeficimus et Pastorem, curam, regimen et administrationem Ecclesiae ejusdem in spiritualibus tibi ac temporalibus plenarie committendo; in Illo qui dat gratiam et largitur dona confisi, quod, dirigente Domino, actus tuos praefata Ecclesia Loidensis gaudeat se provido Gubernatori, ac fructuoso Administratori esse commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium, Nostram quoque et Sedis Apostolicae, uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam. Insuper, eadem Apostolica Auctoritate, vi praesentium, te in novae Medioburgensis Dioecesis Administratorem, ad Nostrum et Sanctae hujus Sedis beneplacitum, eligimus, facimus et constituimus; tibique istius Ecclesiae regimen et administrationem, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, donec proprius ejus Antistes renuncietur, committimus; pro certo habentes, te, Venerabilis Frater (ea es religione, et Catholici Nominis provehendi studio) vel in hoc procurationis officio expectationi Nostrae cumulatissime responsurum. Non obstantibus Apostolicis, nec non universalibus Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non speciali licet, atque individua mentione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die xx. Decembris, MDCCCLXXVIII. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Pro Dno. CARD. ASQUINIO.
D. JACOBINI, *Subst.*

ERECTIO ECCLESIAE CATHEDRALIS ET CAPITULI.

Litterae Apostolicae in forma Brevis, quarum vigore, Ecclesia S. Annae, Loidis, ad dignitatem Cathedralis evecta est, ibique constitutum est Capitulum Loidense.

LEO PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

A Venerabili Fratre Roberto Cornthwaite Episcopo Loidensi, per alterum e curialibus Consilii Christiano nomini propagando praepositi, supplicatum Nobis est, ut sitam in Loidensi Civitate Ecclesiam, Deo Sacram ad honorem Sanctae Annae Genitricis Immaculatae Deiparae Virginis, Cathedralis titulo condecorari, et in ea Capitulum erigi de Apostolica venia possit. Nos hujusmodi votis, ad majorem Dei gloriam sempiternamque animarum salutem, libenti animo annuentes, et omnes ac singulos, quibus Nostrae hae Literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et e quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Apostolica Auctoritate Nostra, harum Literarum vi, praedictam Ecclesiam Sanctae Annae in Loidensi Civitate sitam, Cathedralis titulo perpetuum in modum decoramus, augemus, propriaque aliarum Cathedralium Ecclesiarum jura et privilegia perpetuo item deferimus et elargimur. Praeterea in memorata Ecclesia Sanctae Annae, Apostolica Auctoritate Nostra Capitulum perpetuis temporibus instituimus, quod tamen Canonicis et Praeposito per ejusdem Congregationis de Propaganda Fide rescriptum die xxix. Julii hoc vertente anno designatis constare volumus. Haec concedimus atque statuimus, servatis praesertim quae a Concilio Tridentino servanda praescribuntur. Decernentes has Literas Nostras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, eidemque Ecclesiae et Capitulo plenissime suffragari; sicque in praemissis per

quoscumque Judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuntios, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de Latere Legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros judicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri super *Divisione Materiarum*, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, coeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXIII. Septembris, MDCCCLXXIX. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

TH. CARD. MERTEL.

CONCESSIO PATRONORUM.

Decretum S. Cognis. Rituum, quo conceduntur Patroni Dioecesis Loidensis.

LOIDEN.

Rmus. Dnus. ROBERTUS CORNTHWAITE, Episcopus novae Dioeceseos Loidensis, a SSmo. Domino Nostro Leone Papa XIII., supplicibus votis postulavit, ut tanquam Patronos Coelestes ipsius Dioeceseos indulgere dignaretur, scilicet uti praecipuam, Beatam Mariam Virginem, sub titulo *Perpetui Succursus*, ejusque Festum celedrando sub ritu duplici primae classis cum octava, Dominica proxime praecedente diem 24 Junii, cum Missa et Officio propriis, jam Congregationi SSmi. Redemptoris benigne concessis, ac ceteris cum privilegiis et honorificentiis, quae praecipius locorum Patronis, de jure competunt; et ut minus praecipuos, Sanctum Franciscum Salesium, Episcopum, Confessorem et Doctorem, ac Sanctum Wilfridum, Episcopum

et Confessorem, utriusque Festum recolendo, sub ritu duplici majori, primi quidem die 29 Januarii, alterius vero die 12 Octobris.

Sanctitas porro Sua, ad relationem infrascripti Secretarii S. Rituum Congregationis, benigne in omnibus annuere dignata est, servatis rite Rubricis, contrariis non obstantibus quibuscumque, die 18 Decembris 1879.

D. CARD. BARTOLINIUS, *S.R.C. Praefectus.*

L. ✠ S. PLAC. RALLI, *S.R.C. Sec.*

XVII.

DE NOVA DIOCESI MEDIOBURGENSI.

PRIMI EPISCOPI NOMINATIO.

Litterae Apostolicae quibus nominatur Primus Episcopus MediobBurgensis, et limites novae Diocesis assignantur.

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Apostolatus officium, meritis licet imparibus, Nobis ex alto commissum, quo Ecclesiarum omnium regimini Divina dispositione praesidemus, utiliter exsequi, adjuvante Domino, satagentes, solliciti corde reddimur et solertes, ut cum de earum Ecclesiarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant, non solum doctrina verbi, sed etiam bonorum operum exemplo informare, commissasque sibi Ecclesias, in pacifico tranquilloque statu velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisiones Ecclesiarum omnium nunc vacantium et in posterum vacatu-

rarum, ordinationi et dispositioni Nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane si secus super his a quoquam quavis Auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Jam vero quum similibus Litteris Nostris die XX. Mensis Decembris Anno MDCCCLXXVIII. datis, Beverlacensem Dioecesim nimis late patentem in duas distinctas Dioeceses, quo satius uberiusque spirituali illorum fidelium bono et commodo consultum foret, diviserimus, quarum altera Medioburgensi in Civitate Episcopalem haberet sedem, et Septentrionalem simul atque Orientalem districtus, "Ridings" qui vulgari idiomate dicuntur, et comitatus urbisque Eboracensis partem, quae jacet ad Septentrionalem partem fluminis "Ouse;" altera cujus Episcopalem sedem "Loïdis" constituimus, unicum districtum seu "Riding" Occidentalem cum ea Comitatus et urbis Eboracensis parte quae ad Meridiem spectat ejusdem fluminis "Ouse" complecteretur, et Loïdensi Ecclesiae, sic in Cathedralem erectae, Venerabilem Fratrem Robertum Cornthwaite qui erat Beverlacensis sacrorum Antistes, praefecerimus, eidemque Venerabili Fratri Roberto Medioburgensem Dioecesim interim administrandam demandaverimus. Modo ad ejusdem Ecclesiae Medioburgensis, per supradictas Litteras, ad Cathedralis honorem erectae, provisionem deveniendam censuimus, remque cum Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Ecclesiae Romanae Cardinalibus, Christiano nomini propagando praepositis, egimus. Hinc omnibus accurate diligenterque perpensis, te dilecte fili, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis, quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, Ecclesiae Medioburgensi praedictae, de persona tua Nobis et memoratis Venerabilibus Fratribus Nostris ob praeclara tua in rem sacram merita, et ob egregias quibus praefulges laudes accepta, de Fratrum eorumdem consilio, Apostolica Auctoritate Nostra, providemus, teque illi in Episcopum praeficimus et Pastorem, curam, regimen, et administrationem dictae Ecclesiae, tibi in spiritualibus, et temporalibus plenarie committendo; in Illo, qui dat gratias, et largitur dona confisi, ut dirigente Domino, actus tuos, nova haec Medio-

burgensis Ecclesia a te utiliter, et prospere dirigatur, grataque in iisdem spiritualibus ac temporalibus suscipiat incrementa. Jugum igitur Domini, tuis impositum humeris, prompta devotione animi suscipiens, curam et administrationem praedictas, ita studeas sollicite prudenterque explere, ut praefata Ecclesia gubernatori provido, et fructuoso administratori gandeat se esse commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium, Nostram et Sanctae hujus Apostolicae Sedis benedictionem et gratiam uberius exinde consequi merearis. Ceterum ad ea, quae in tuae cedere possunt commoditatis augmentum favorabiliter respicientes, tibi, ut a quocumque malueris Catholico Antistite, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente, accitis et in hoc ei assistentibus duobus aliis sacrorum Antistitibus, vel si hi commode nequeant reperiri, duobus eorum loco Presbyteris in ecclesiastica dignitate constitutis, similem gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis suscipere valeas, eidemque Antistiti, ut receptis a te prius fidei Catholicae professione ac Nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae juramento, munus praedictum tibi Auctoritate Nostra impendere licite possit, plenam et liberam tenore praesentium, concedimus facultatem. Volumus autem eademque Auctoritate praecipimus ac decernimus, ut nisi receptis a te per supradictum Antistitem fidei professione ac juramento praedictis, idem Antistes, munus hujusmodi tibi impendere tuque illud suscipere praesumpseritis, tam idem Antistes, quam tu, a Pontificalis officii exercitio, et a regimine et administratione Ecclesiarium Vestrarum, suspensis sitis eo ipso. Non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV. Praedecesoris Nostri super *divisione Materiarum*, aliisque Constitutionibus et sanctionibus Apostolicis, ceterisque quamvis speciali et individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die II. Decembris, MDCCCLXXIX. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

TH. CARD. MERTEL.

ECCLESIAE CATHEDRALIS ERECTIO.

Litterae Apostolicae in formâ Brevis, quarum vigore Ecclesia Sanctae Mariae, Medioburgae, ad dignitatem Cathedralis evecta est.

LEO. PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Ad majorem fidelium amplissimae dioecesis Beverlacensis utilitatem commoditatemque, similibus Litteris Nostris die XX. Mensis Decembris, superiori anno datis, eamdem Beverlacensem dioecesim, in duas divisimus dioeceses, et alterius in Loïdensi Civitate sedem Episcopalem constituimus, ac proinde ut Loïdensis dioecesis nominaretur, decrevimus; alteri, Medioburgam Civitatem in Episcopi sedem destinavimus ac Medioburgensis dioecesis nomen dedimus. Confirmantes modo decretum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Ecclesiae Romanae Cardinalium, Propagandae Fidei praepositorum, Medioburgensi dioecesi Cathedralem Ecclesiam assignamus. Quae cum ita sint, Apostolica Auctoritate Nostra, harum Litterarum vi, Aedem Deo sacram in honorem Beatae Mariae Virginis, Medioburgae sitam in Cathedralem Ecclesiam erigimus, et constituimus. Propterea eidem Ecclesiae, omnia et singula deferimus atque impertimus jura, honores, indulta, privilegia, praerogativas, praeeminentias, quibus aliae Cathedrales Ecclesiae, ex jure et consuetudine utuntur et fruuntur. Decernentes has Litteras Nostras firmas, validas, et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, eidemque Ecclesiae Beatae Mariae Virginis praedictae, et omnibus ad quos pertinet, plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuntios, ac Sanctae Ecclesiae Romanae Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his, a quoquam,

quavis Auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die II. Decembris MDCCCLXXIX. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

TH. CARD. MERTEL.

CAPITULI ERECTIO.

Cum. R. P. D. Richardus Lacy, Episcopus Medioburgensis in Anglia, SSmo. D. N. Leoni PP. XIII. supplices preces porrexerit pro erectione Capituli Ecclesiae Cathedralis in eadem nova Medioburgensi Dioecesi, simulque sanctitatem suam postulaverit, ut praeter RR. DD. Josephum Render, Gulielmum Fisher, et Henricum Walker, quorum primus in Praepositum, alii vero in Canonicos jam designati fuerant, alios Canonicos nominare necnon duos ex Canonicis ad officia Theologi et Poenitentiarii eligere dignaretur ; eadem Sanctitas Sua in audientia diei 13 vertentis mensis, referente infrascripto S. Consilii Christiano Nomini Propagando Secretario, precibus ac postulationibus praedictis benigne annuere dignata est. Itaque Capitulum Cathedrale novae Dioeceseos Medioburgensis ad instar Capitulorum aliarum in Anglia Dioecesium Sanctitas sua ita erexit, ut ex Praeposito ac decem Canonicis debeat constare. Attentis antem doctrina, morum integritate ceterisque ecclesiasticis virtutibus, quibus presbyteri quorum nomina haec recensentur ornati existunt, eosdem ut infra nominat, videlicet : Praepositum, R. D. Josephum Render ; Canonicos, RR. DD. Gulielmum Fisher, Henricum Walker, Gulielmum Arnold, Franciscum Callebert, Jacobum Wells, Josephum Xaverium Molloy, Edwardum Pearson, Geraldum Shanahan, Benjamimum Randerson et Edwardum Gulielmum Riddell. Simul vero ex praedictis Canonicis ad officium Theologi elegit ac nominavit R. D Henricum Walker, et ad officium Poenitentiarii R. D. Franciscum Callebert. Voluit praeterea eadem

Sanctitas Sua ut hi omnes antequam canonicam possessionem canonicatus et officii capiant, solemnem fidei professionem juxta formulam a S. Sede praescriptam emittere debeant. Super quibus omnibus praesens Decretum expediri mandavit.

Datum Romae ex. Aed. S. C. de Propaganda Fide, die 15 Februarii 1881.

JOANNES CARD. SIMEONI, *Praefectus.*

J. MASOTTI, *Secretarius.*

INDULGENTIAE

Ob Imaginem B. M. V. de Perpetuo Succursu in Ecclesia Cathedrali veneratam.

LEO. PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Cum, sicuti Nobis nuper relatum est, in Cathedrali Ecclesia sub titulo B. Mariae Virginis de Perpetuo Succursu civitatis Medioburgensis, expondituri sint Imaginem Deiparae Virginis sub eadem invocatione de Perpetuo Succursu, illi similem quae in Ecclesia S. Alphonsi de Urbe ad Exquilias colitur; Nos ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, vere poenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, qui supradictas Ecclesiam et Imaginem die quo ipsa primum publicae fidelium venerationi exponetur, tum die sollemnis hujusmodi expositionis anniversario, ac Dominica ante festum Nativitatis S. Joannis Baptistae, qua festum ejusdem S. Imaginis, habita facultate, ibidem celebrabitur, aut, ea Dominica impedita, Dominica immediate sequenti, vel uno ex septem diebus continuis immediate respective subsequentibus, ad cujusque fidelium arbitrium sibi eligendo singulis annis devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haresum extirpatione,

peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo ex hisce die id praestiterint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praeterea eisdem Christifidelibus corde saltem contritis, qui memoratas Ecclesiam et Imaginem quolibet anni die visitaverint, et ibi uti superius dictum est oraverint, tercentum dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac lue migraverint, per modum suffragii applicari posse indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die XXVII. Januarii MDCCCLXXX. Pontificatus Nostri Anno II.

Pro Dno. CARD. MERTEL.

A. TRINCHIERI, *Subst.*

XVIII.

DE DIVISIONE DIOECESEOS SUTHWARCENSIS.

ERECTIO DIOECESEOS PORTESMUTHENSIS EJUSQUE ECCLESIAE CATHEDRALIS.

LEO PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Nimian Dioecesis Suthwarcensis amplitudinem cogitantes, dilectus Filius Noster Henricus Edwardus S.R.E. Presbyter Cardinalis Manning, ex Apostolico dispensatione Archieposcopus Westmonasteriensis, ceterique in Anglia Sacrorum Antistites de

fidelium bono et commoditatibus solliciti, non semel praefatam Dioecesim in duas dividere Sanctae huic Apostolicae Sedi proposuerunt. Superior antem anno, quum per obitum bonae mem. Jacobi Danell, Pastore suo Suthwarcensis Dioecesis destituta fuerit, eidem Venerabili Fratri Archiepiscopo Westmonasteriensi per Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium Christiano nomini propagando Consilium, renuntiatum est Sanctam Sedem libenter modo supradictae divisionis propositionem esse excepturam. Hinc ab eodem Archiepiscopo ejusque suffraganeis Episcopis Suthwarcensis Dioecesis divisio iteratis precibus postulata est. Qua de re statim cum praedictis Fratribus Nostris negotiis Propagandae Fidei praepositis egimus, matureque consideratis omnibus ac perpensis, memoratam Dioecesim in duas partiendam censuimus.

Itaque hos, de eorumden Venerabilium Fratrum Nostrorum Consilio, a Suthwarcensi Dioecesi duos Comitatus Berkshire et Hampshire una cum insulis in Britannico mari, vulgo *English Channel*, seu *la Manica* ad Angliam pertinentibus, Apostolica Auctoritate omnino sejungimus et segregamus, novamque erigimus et constituimus Dioecesim, quae duobus Comitatibus insulisque praedictis constabit. Novae hujus Dioecesis Episcopum sedem suam habere volumus in Portus Magni *vulgo* "*Portsmouth*" Civitate, et ab eadem Civitate nomen ei facimus, ita ut nova haec Dioecesis Portesmuthensis appellabitur. In Portesmuthensis praeterea Dioecesis Cathedralem Ecclesiam, cum Capitulo instituendo, erigendam praecipimus Templum quod modo in honorem S. Joannis Evangelistae penes ipsam Civitatem Portesmuthensem aedificatur. Vetus autem Suthwarcensis Ecclesia pristinum nomen suum, prestinam Sedem, et antiquam Ecclesiam Cathedralem in honorem S. Georgii cum Capitulo denuo erigendo retinebit, atque in ejusdem Jurisdictione Comitatus Surrey, Kent et Sussex manebunt. Dein inter Suthwarcensem et novam Portesmuthensem Dioeceses eosdem praescribimus limites, quibus Comitatus Surrey et Sussex a Comitatibus Berkshire et Hampshire dividuntur. Denique de eorunden Fratrum Nostrorum consilio, Dioecesanorum fundorum inter Suthwarcensem et Portesmuthensem Dioeceses partitionem

Venerabili Fratri Archiepiscopo Westmonasteriensi ac duobus Senioribus ex ejus suffraganeis Episcopis Auctoritate Nostra demandavimus, ea tamen lege ut hujusmodi divisio et attributio perficiatur priusquam unus et alter Episcopus in sua instituatur Sede. Haec volumus, statuimus, praescribimus et edicimus, decernentes has Litteras Nostras firmas, validas, et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque, ad quos pertinet aut pertinere poterit hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae nuncios, et S.R.E. Cardinales etiam de Latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari ac definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de Jure quaesito non tollendo, necnon fel. rec. Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri super *divisione Materiarum*, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datae Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XIX. Maii MDCCCLXXXII. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

L. ✠ S. TH. CARD. MERTEL.

ERECTIO CAPITULI.

Quum in provincia ecclesiastica Westmonasteriensi nuper erecta fuerit nova Dioecesis Portesmuthensis, R.P.D. Joannes Virtue ejusdem electus Episcopus a SSmo. Domino Nostro Leone Divina Providentia PP. XIII. humiliter efflagitavit ut ipsius Cathedralis Ecclesiae Capitulum erigere, unaque simul Praepositum et Canonicos, quos inter Theologum et Poenitentiarium, eligere ac nominare dignaretur. Porro Sanctitus Sua in Audientia diei 1 Octobris Anni 1882, referente infrascripto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretario, precibus

benigne annuere dignata est, et Capitulum Cathedrale novae Dioecesis Portesmuthensis ad instar Capitulorum aliarum in Anglia dioecesium erexit, ita ut ex Praeposito et decem Canonicis constare debeat. Attentis antem eorum doctrina, morum integritate ceterisque ecclesiasticis virtutibus, de quibus indubia extant testimonia, elegit ac nominavit R. D. Joannem Crookall Praepositum, dimissa tamen Praepositura Capituli Suthwarcensis, decem autem Canonicatus contulit R. D. Thomae Doyle, dimisso pariter Canonicatu Capituli Suthwarcensis, R. D. Gulielmo Fryer, R. D. Augusto Applegath, R. D. Josepho Bower, R. D. Roberto Mount, R. D. Georgio Frederico Ballard, R. D. Joanni Horan, R. D. Thomae Luck, R. D. Joanni Baptisae Cahill, R. D. Aloisio Hall cum adnexis honoribus atque oneribus. Simul vero eadem Sanctitas Sua ex praedictis Canonicis ad officium Theologi elegit R. D. Thomam Doyle, et ad officium Poenitentiarii R. D. Joannem Horan. Voluit insuper et mandavit ut antequam praedicti ecclesiastici viri canonicam memoratae Praeposituræ et Canonicatuum possessionem capiant, solemnem Fidei professionem emittant juxta formulam a Sancta Sede praescriptam ; et super his omnibus praesens Decretum edi jussit.

Datum Romae ex aedibus S. C. de Propaganda Fide die 1 Ocobris 1882.

JOANNES CARD. SIMEONI, *Praefectus.*

L. ✠ S. *Pro R.P.D. Secretario*

ANT. AGLIARDI, *Officialis.*

PATRONORUM CONCESSIO.

Decretum S. Cognis. de Prop. Fide quo conceduntur Patroni Dioeceseos Portesmuthensis.

PORTESMUTHEN.

Erecta nuper nova Portesmuthensi Dioecesi in Anglia, primus ejusdem Episcopus R.P.D. Joannes Virtue votis cleri atque fidelium pastorali suae sollicitudini concreditorum obse-

cundare cupiens, SSmum. D. N. Leonem PP. XIII. enixe rogavit ut in Patronam praecipuam Dioecesis ipsius constituere dignaretur B.V. Mariam sub titulo Immaculatae Conceptionis, atque in compatronum S. Edmundum Episcopum et Confessorem. Porro Sanctitas Sua in Audientia diei 29 vertentis mensis, referente infrascripto Secretario hujus S. Consilii Christiano Nomini Propagando, benigne annuit de speciali gratia juxta preces, indulgendo scilicet ut utriusque festum in praedicta Dioecesi recoli valeat sub ritu, praerogativis atque honorificentiis, quae praecipuis locorum Patronis de jure competunt. Attentis autem locorum circumstantiis, eadem Sanctitas Sua dispensationem a lege jejunii in Vigilia praedictarum festivitatum concedere dignata est, addito privilegio, iis annis quibus alterutra festivitas in diem ferialem incidat, transferendi extrinsecam ejusdem solemnitatem, una cum duplici praecepto, abstinendi scilicet ab operibus servilibus et Sacrum audiendi, ad Dominicam proxime insequentem, in qua unica Missa solemnis respective propria ut in festo celebrari valeat in omnibus ecclesiis praefatae Dioecesis, dummodo non occurrat Duplex primae classis, ac servatis rubricis. Pro commemoratione vero S. Edmundi inter Suffragia Sanctorum Antiphonae et Versiculi sumi debebunt ex officio communi, nempe ad *Laudes* Antiph. *Euge, serve bone* cum vers. *Amavit*, et ad Vesperas Antiph. *Amavit* cum Vers. *Justum*, et oratio ut in festo ejusdem Sancti. Super quibus omnibus eadem Sanctitas Sua praesens Decretum expediri mandavit.

Datum Romae ex Aed. S. Cognis. de Propaganda Fide, die 31 Octobris 1882.

JOANNES CARD. SIMEONI, *Praefectus.*

✠ D. ARCHIEP. TYREN,
Secretarius.

L. ✠ S.

XIX.

DE IMPENSIS EPISCOPORUM
RATIONE
VISITATIONIS PASTORALIS.

A doubt having been suggested by one of the Bishops as to whether it is lawful for the Ordinary to receive an offering on the occasion of the Canonical Visitation for the expenses thereby incurred, it was decided that the doubt should be referred to the S. Cong. of Propaganda for solution. It was explained in the reference that the travelling expenses of Visitation, when taken in the aggregate, form a large sum,—that a contribution can generally be made from the receipts of the Mission without inconvenience,—and that no Bishop would suffer a poor Mission to be taxed and burdened for such a purpose, when it could not afford it.

The answer of the Cardinal Prefect of Propaganda declares that, under these circumstances, it is lawful to receive such offerings:—

"Illmo. e Revmo. Signore,

"Attese le spiegazioni datemi dalla S. V. a nome anche degli altri Vescovi Inglesi, intorno all'uso di ricevere offerte dai fedeli in occasione della visita pastorale, nulla impedisce che possa continuarsi l'uso suddetto contemperato da una prudente discrezione, secondo cui i Vescovi non accettano tali offerte, dove sarebbero per riuscire troppo gravose ai fedeli nella poverta loro e della loro Missione.

"Riscontrata cosi la lettera della S. V. in data del 20 Ottobre, prego il Signore che La conservi lungamente e Le conceda ogni bene.

"Roma dalla Propaganda 30 Novembre, 1882.

"Di. V. S.

"Affm̃o. come Fratello,

"GIOVANNI CARD. SIMEONI,

Prefetto.

"✠ D. ARCIV. DI TIRO,

Segretario.

XX.

CONCESSIO OFFICIORUM.

I.—Angliae.

In proprio Officiorum ac Missarum ex Apostolicae Sedis concessione in Angliae Dioecesibus hucusque adhibito, quum nonnulla desiderarentur Festa Sanctorum, qui insignem eam regionem vitae sanctimonia et miraculorum splendore mirifice illustrarunt, Rm̃i earundem Dioecesium Antistites consilium iniverunt supplementum adornandi, quod Officia cum Missis de eisdem Sanctis propria complecteretur. Hinc ejusmodi supplementum ab ipsis eximio studio elucubratum Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII. humillime exhibuerunt, expostulantes, ut illud suprema auctoritate sua approbare dignaretur.

Placuit vero eidem Sanctissimo Domino Nostro praefati supplementi examen committere Sacrorum Rituum Congregationi, quae, omnibus sedulo expensis, supplementum ipsum a se emendatum atque ordinatum, prouti superiori in exemplo prostat, probari posse censuit. Quam porro Sacrae Congregationis sententiam Sanctitas Sua, referente infrascripto Secretario, ratam

habens, Officia cum Missis in suprascripto supplemento contenta, in usum Cleri cunctarum Angliae Dioecesium tam Saecularis quam Regularis Dioecesano Kalendario utentis, approbavit ac concessit; attamen injuncto onere ut, postquam haec omnia fuerint typis cusa, duplex eorum authenticum exemplar ad ipsam Sacram Rituum Congregationem transmittatur. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 14 Augusti 1883.

Praesens Duplicatum expeditum fuit hac die 11 Martii, 1884.

D. Card. Bartolinius,
S.R.C. Praefectus.

Laurentius Salvati,
S.R.C. Secretarius.

II.—Salfordien.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII., referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, ad enixas preces R̃mi D̃ni Herberti Vaughan Episcopi Salfordiensis, votis Cleri sibi commissi satisfacturi, benigne indulgere dignatus est, ut in Kalendario perpetuo in usum ipsius Dioeceseos, insequentia Festa cum respectivis Officiis ac Missis pro aliquibus locis jam adprobatis, amodo inscribi valeant, nimirum, sub ritu duplici majori, Dominica infra Octavam Epiphaniae Festum Inventionis Pueri Jesu,—Die 17 Februarii, Fugae D.N.J.C. in Aegyptum,—Die 26 Aprilis, B.M.V. de Bono Consilio,—Die 12 Maji, Humilitatis B.M.V.,—ac die 15 ejusdem mensis Festum B.M.V. de Gratia: sub ritu vero duplici minori, Die 26 Martii, S. Boni Latronis,—Die 15 Julii, Divisionis Apostolorum,—ac Dominica tertia Julii, Omnium Sanctorum Romanae Ecclesiae Summorum Pontificum: sub ritu vero semiduplici, Die 26 Februarii (vel prima post hanc modo in Kalendario Dioecesano libera, fixe tamen adsignanda), S. Margaritae de Cortona, Poenitentis: ac facta demum potestate addendi Officio et Missae in Festo Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum, commemorationem Omnium Sanctorum Apostolorum, quae pro Galliarum Ecclesiis

aliisque concessa est: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 20 Novembris, 1884.

D. CARD. BARTOLINIUS,
S.R.C. Praefectus.

LAURENTIUS SALVATI,
S.R.C. Secretarius.

III.—Salfordien.

Rmus Dominus Erbertus Vaughan, hodiernus Episcopus Salfordien., votis Cleri sibi commissae Dioeceseos satisfacturus, Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII. humillimis precibus deprecatus est, ut Festum Sancti Kentigerni Episcopi et Confessoris, qui, quum adhuc viveret, partem ejusdem sibi creditae Dioeceseos sanctissime rexit, et exemplo illustravit, amodo in Kalendario Dioecesano diei liberae post 13 Januarii affigi valeat, adhibendo Officium et Missam jam a Sancta Sede approbata pro Monasterio Ordinis Sancti Benedicti loci, cui nomen vulgo *Fort Augustus.* Sanctitas porro Sua, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, benigne hisce precibus annuere dignata est: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 29 Januarii, 1885.

D. CARD. BARTOLINIUS,
S.R.C. Praefectus.

LAURENTIUS SALVATI,
S.R.C. Secretarius.

XXI.

DE APPELLATIONE AD METROPOLITANUM
IN CAUSIS ECCLESIASTICIS.

Decretum.

Nomine Emi. Cardinalis Archiepiscopi Westmonasteriensis et omnium Suffraganeorum in Anglia R. P. D. Guillelmus

Clifford, Episcopus Cliftoniensis, exposuit per litteras infrascripto Cardinali Praefecto datas, opportunum iisdem visum esse, cum in annuo suo conventu post Dominicam *in Albis* de rebus ecclesiasticis illius provinciae pertractarent, suppliciter a Sancta Sede expostulare, ut aliquid adjiciatur Decretis primae et quartae Synodi Westmonasteriensis a S. Sede approbatis, quae respiciebant modum agendi in causis adversus clericos de gravi crimine accusatos. Ad hoc scilicet, ut hujusmodi causae ad tramitem juris communis pressius redactae majori cautela ad removendum quoad fieri possit periculum erroris in re tanti momenti pertractentur, utque quaestiones praesertim facti judicio S. Sedis accuratius exponantur et maturius subjiciantur, censuerunt summopere expedire ut clerici post sententiam ab Episcopo de consilio Commissionis Investigationis in ipsos latam, non immediate ad S. Sedem, ut hactenus decretum erat, sed antea ad Metropolitanum vel ad seniorem ex Suffraganeis appellent. Rogaverunt igitur praedictus Archiepiscopus et Episcopi, ut S. Sedes statuere dignetur in ejusmodi causis ex nunc juxta insequentes normas procedi debere:

1. Quotiescumque clericus velit appellationem proponere contra sententiam ab Ordinario suo post examen Commissionis Investigationis emissam, haec appellatio fiat primum ad Metropolitanum, qui ad examen revocabit processum in prima inquisitione peractum, causamque denuo videbit juxta methodum quae in Commissionibus Investigationis servanda praescribitur.

2. Ad constituendam Commissionem in casu appellationis ad Metropolitanum, tres Adsessores eligentur inter septem sacerdotes ab Episcopis ad id nominandos quotannis in eorum conventu post festa paschalia.

3. A sententia Metropolitani appellare semper fas erit ad S. Sedem juxta sacrorum canonum sanctiones.

4. In casu hujus appellationis, Romam mittentur in scriptis Acta tam primae quam secundae inquisitionis.

5. Si prima inquisitio in dioecesi Metropolitana locum habuerit, quando scilicet presbyter accusatus subditus sit Archiepiscopi, secunda inquisitio fiet a Seniore ex Episcopis

Suffraganeis, adhibito consilio Adsessorum Commissionis Investigationis dioecesis ipsius.

Facta autem horum omnium in Audientia diei 25 superioris mensis Maii per infrascriptum R. P. D. Secretarium SSmo. Domino Nostro Leoni PP. XIII. relatione, Sanctitas Sua praedictas normas benigne approbans suprema auctoritate sua sancivit, servarique ex nunc in Anglia praecepit, ac praesens ad id Decretum expediri mandavit.

Datum Romae ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 28 Junii, anno 1884.

Joannes Card. Simeoni, Praefectus.

✠ D. Archiep. Tyren., Secretarius.

L. ✠ S.

XXII.

DE UNIVERSITATIBUS ACATHOLICIS.

S. Congregazione di Propaganda
Segreteria.
N. 150.

Roma, li 30 Gennajo, 1885.

Emo. e Rmo. Signor Mio Ossmo,

Ho ricevuto la lettera di Vostra Eminenza in data del 20 dello scorso mese dalla quale con mio dolore ho saputo, che da varie famiglie non si fa troppo conto delle ammonizioni della S. Sede sull' inviare i loro figli alle Università Protestanti. Mi accenna che ciò provenga piuttosto dallo scusare che facciano tal prattica con una supposta tolleranza da parte della S. Sede, che da malizia di volontà. La prego perciò, affin di tutelare l'educazione superiore della gioventù cattolica di cotesti paesi da siffato pericolo di perversione, di far noto ai fedeli che non si è cambiato nulla riguardo alle istruzioni che su tal materia

furono trasmesse all' Episcopato inglese dal Cardinal Barnabò mio predecessore in data del 6 Agosto, 1867, inserite di poi nei sinodi provinciali di Westminster. A tal scopo crederei opportuno significare ai Vescovi di cotesta Provincia di richiamare alla memoria dei loro fedeli le suddette istruzioni.

Intanto le bacio umilissimamente le mani.

Di Vostra Eminenza

Umilissimo Devotissimo Servitor Vero,

GIOVANNI CARD. SIMEONI, *Prefetto.*

✠ *D. Arcives. di Tiro, Segretario.*

Eñio. e Rñio.

Signor Cardinale Enrico Edoardo Manning,

Arcivescovo di Westminster.

N.B.—Pro *Instructione* de qua hic agitur, cf. p. 330.

XXIII.

SOLUTIO QUAESTIONIS ORTAE DE INTERPRETATIONE CONSTITUTIONIS "ROMANOS PONTIFICES."

S. Congregazione di Propaganda

Segreteria.

N. 483.

Roma, li 7 Marzo, 1885.

Illñio e Rñio Signore,

Ho ricevuto la lettera di V. S. datata ai 4 di Gennajo scorso nella quale Ella espone il suo caso riguardante l'interpretazione della Bolla "Romanos Pontifices" circa la visita delle Missioni tenute dai Benedettini. Su tal aggetto

Le debbo significare, che ho già parlato all' Abbate O'Gorman Presidente Generale della Congregazione Anglo Benedettina, ed a Lui ho significato, che a norma della succitata Costituzione, i vescovi sono nei loro diritti, allorchè esiggono dai Missionarj Benedettini che sottomettano alla visita pastorale ciò che riguarda l'amministrazione e i rendiconti finanziari di tutte le missioni tenute da loro, senza esclusione di sorta. Intanto prego il signore che lungamente La conservi La prosperi.

D. V. S.

Affm̃o come fratello,

GIOVANNI CARD. SIMEONI, *Pref.*

✠ D. ARCHIEP. Tyren. *Seg.*

Mgr. Erberto Vaughan,
Vescovo di Salford.

INDEX.

A.

B.

C.

D.

E.

G.

H.

I.

J.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

T.

U.

V.

W.

ADDITAMENTA IN SECUNDA EDITIONE.

WESTMINSTER (PROVINCE) ROMAN CATHOLIC
SYNOD.

WESTMINISTER (PROVINCE) ROMAN
CATHOLIC SYNOD.
DECRETA QUATUOR CONCILIORUM PRO-
VINCIALIUM WESTMONASTERIENSIUM,
1852-1873